

Presented to the

LIBRARY *of the*

UNIVERSITY OF TORONTO

by

Professor

Ralph G. Stanton

VERITAS

HARMONICA

VERITAS
HARMONICA
VTRIVSQVE TESTAMENTI.

VERITAS HARMONICA
VTRIVSQVE TESTAMENTI
ALEXANDRO VII.
PONTIFICI TER MAXIMO.

D. C. Q.

AB AVTHORE

D. SEBASTIANO CÆSARE
De Meneses Lusitano.



ROMAE, Ex Typographia Nicolai Angeli Tinassi, MDCLXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

SYLLABVS

Capitum Partis Primæ Veritatis Harmonicæ.

SYLLA-

SYLLABVS
Capitum Secundæ Partis.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro S. Palatij Apoſtolici.

O. Archiep. Patracen. Vicesg.

Imprimatur,
Fr. Raimundus Capiſuccus Sac. Palatij Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.





ALEXANDRVM VII

SVPREMVM RELIGIONIS ORTHODOXÆ ANTISTITEM.

Veneratur plurimùm.

SEBASTIANVS CAESAR DE MENESES.





ACRAS Manus tuas, BEATISSIME PATER, poſt pedum oſcula Liber, & labor hic noſter oppidò ambit; vt qui proferri ſperet in lucem, quia prodit in ſinum lucidiſſimum nominis tui; quod enim ad Authorem attinet, obſcuriſſimam rectà gradiebatur in vmbram. Argumenti nobilitas, Magnitudo patrocinij, & ipſius,

quam Sacro Inquisitionis foro dedi, operæ fructus me potissimùm excitant, illum vt SANCTITATI VESTRÆ deuoueam officiosa, qua possum, & qua par est, animi submissione.

Argumenti nobilitas; quia totum spectat ad veritatem intaminatam Fidei; cuius Princeps norma, & Lex est SANCTITAS VESTRA. Et hac sanè arte consequar, vt nihil non recti dogmatis; & exinde plurimum habeat ponderis, & robustæ authoritatis. Iam verò proximum argumento nomen id nostrate exigere videtur à calamo: cui enim alij potiori iure consecrari posset Harmonica Veritas, nisi SANCTITATI VESTRÆ, in qua nihil non harmonicum sonat; imò & in qua omnium virtutum chorus concentum edit humano suauiorem.

Magnitudo patrocinij; quia Liber ab Authore, quem refert, paruus; à PONTIFICE, quem sibi in patronum asserit, dubio procul euadet magnus. Et quidem ab ALEXANDRO, cui sublimitas pariter, & probitas MAGNI cognomen indidit, quid non magnum præsumat spes Cæsaris? Patrocinium itaque SANCTITATIS VESTRÆ, cum excelsæ adeò naturæ sit, rei vendicatum paruæ, magnam præ alijs extemplò faciet.

Ipsius deniq; quam Sacro Inquisitionis foro dedi, operæ fructus mearum hoc esse partium admonet:

monet; quia cùm Vniuersi Orbis Quæsitor sis dignitate primus, & dexteritate maximus (id omnes compertum habent experimento decennij, quo apud Melitam, iam tunc Pontificiæ Tiaræ proludens meritis, implicatiores Gordio nodos, Alexandro Macedone felicior dissoluebas, vt sartam tectam aduersùs impugnationes perfidiæ præstares Fidem) rationi consonum est huiusmodi fructum sistere ad Aram tuam; non tamen vt verum, legitimumq; subditi donum tribuam, sed vt factum discipuli nomen exoluam.

Verum enim verò patiatur, quæso, SANCTITAS VESTRA; absq. offensione modestiæ qua nemini componi potest, quia neminem non excedit, quod audacter dixerim, hunc mihi dumtaxat superesse fructum post duos & triginta Sanctæ Inquisitionis officij continentes annos; è quibus viginti quatuor Supremæ (quod aiunt) Mensæ Quæsitorem egi in hoc Lusitaniæ Regno: Non quia non labori par merces responderit, qua Antecessores SANCTITATIS VESTRÆ me prolixè, cumulatèq; munerati sunt; sed quia me omnibus expoliauit temporis infelicitas: fortè vt nihil vulgi ludibria fierem, qui omine, vti & nomine Cæsar fueram. Hoc vnum tamen ad felicitatem satis habeo, si omissa tantisper Maiestate, quam TIBI Pontificia dignitas, & Tua præsertim virtus imposuit, eruditos ad hunc Librum

oculos

oculos flectas, & qua polles iudicij maturitate, censeas: alterum enim beneficium erit, & alterum voti summa. TE diù saluum, & incolumem necessitatibus gentium, Temporum tranquillitati, Fidei propagationi, Virtutum splendori, Omnium bono sospitet, fortunetq; Deus; tantiq; PONTIFICIS fruendi copiam pro modo desiderij mei sufficiat.



PARS PRIMA VERITATIS HARMONICAE Vtriusq; Testamenti.

CAPVT PRIMVM.

Prophetica vtriusq; Testamenti Harmonia.

I. DIVINI tantùm studiosus honoris, & alienæ consulens saluti duo præsertim hoc in opere aperire decerno; alterum Euãgelicæ legis veritatem, cuius se magistram exhibet Catholica Romana Ecclesia; alterum Iudaismi cæcitatem, quã rudi, pertinaciq; animo obnixè amat profiteturq; Synagoga; vt ad Diuinæ veritatis splendorem à Iudæorum cordibus nubilum tandem velum dissoluatur: à corde enim tãquam à fonte malorum omnium illis promanat scaturigo: *Mala autem in cordibus eorum*, Regius cecinit Vates. Et apertiùs Diuus Paulus loquens de velamine non inuenustè Mosis vultum obumbrante: quod, ait, è Mosis facie in Iudæorum corda demigrâsse: *Velamen positum est super cor eorum.*

Operis scopus.

A corde Iudęis mala proueniunt. *Psalm. 27.*

Mosis velũ in corda Iudæorum migrauit. rum. Si igitur Moses clementi hac nube frontis radios temperabat, quî Iudæorum cordibus Cimmerias velum offundit tenebras? In Mose fides, in Iudæis viget infidelitas: at

2. Cor. 3. fidei non ita oculorum obstat perspicacitas, vt cordium obstrepit cæcitas: non ibi periculosiùs vacillat fides, vbi hebetiùs cæcutit acies: vbi tenaciùs cor obcæcatur, ibi peruicaciùs viuit infidelitas; voluntatis enim pertinaciæ cordis cęcitas munit viam: cùm verò si absit voluntas nulla sit fides; & amor faciles ad fidem aditus patefaciat, (actum enim fidei pia semper præcedit affectio) æternam reddit pertinacia cæcitatem, vtpotè quæ contumacis est cordis; & tandiu caligabit, quandiu solem Christum cor non admiserit: *Cùm autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Posse Christum ante extremum orbis diem fratrem Lazarum ad vitam reuocare haud sibi persuadebat Martha: *Scio, quod resurget in nouissimo die*: at nullis diffidentiæ fluctibus iactatur illius Soror Maria. Quid, quæso, in causa fuit, ne idem incredulitatis obstringeret nodus, quas arctissima sanguinis necessitudo conjunxerat? In Christi amore negligētiùs languebat Martha; at æstuabat vehementiùs Maria: *Dilexit multùm*, idem orbis Assertor hunc illius asserit amorem: hoc verò suum amoris munus est, fidei fasces summittere: nullas ibi fides dubitationum patitur nubes, vbi cor maiora nutrit amoris incendia.

Fidei acriùs aduersatur cordis cæcitas, quam oculorum perspicacitas.

Nulla est fides, vbi non est voluntas.

2. Cor. 3.

Luc 7

Amor dubitatem non patitur.

II. Animaduerti, velum, de quo Paulus loquitur, Mosis vultui non continenter fuisse obtentum, cùm Moses illud modò fronti imponeret, modò deponeret, vt sacra constat ex pagina: *Impletisq; sermonibus posuit velamen super faciem suam; quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo auferebat, donec exiret.* Sed vbi refractaria Iudæorum corda velum hoc obtexit, illis adhuc miserrimè (vt loquitur Paulus) incumbit. Facili negotio huiusce rei causa patebit, tot licèt sub nubibus illorum lateat cæcitas. In Mose enim velum illius tantūmodò oculos velabat, quod in Iudæos transcriptum & velat, & obcæcat illorum cor: *Super cor eorum.* At quàm ab oculis non difficulter arceas cæcitatem, hærentem cordi nullâ expugnes machinâ: quæ in oculis, forsan cedit

Velum nō perpetuum Moses affectabat.

Exod. 34.

Oculorum cæcitatem faciliùs euertas, quā cordis.

cedit tempori; quæ in corde, æternum dominabitur: quippè quæ animum, gemináſq; illius nobiliores facultates inuadit, intellectum nimirum, et voluntatem, quibus captis ſempiternâ animus capiatur obſtinatione neceſſe eſt. Fidem faciant exempla veritati. Vt ferret Hebræis legem in Sinam montem Diuina ſe contulit maieſtas. Montis vndique vertex fumeis obſeſſus nubibus ab oculis penè receſſerat: *Totus mons fumabat, eo quòd Dominus deſcendiſſet in igne*. Egreſſo ab Aegypto populo promiſſam in tellurem honorarij pueri munere fungitur ipſe Deus, ignea in columna denſiſſimas inter noctis tenebras facem præferẽs: *Per noctem in columna ignis*. Quò tot pertinent ignis argumenta? ignem induit ad ferendam legem? flammam præfert ad ducendam viam? cui tot flammis diuina obarmata maieſtas terrorem non inferat? Tot facibus eget cæcitas quæ tenet Hebræos, quos Deus amat illuſtrare. Adeo illorum infidelitatis caligo affinis tenebris eſt, vt totum impendere ignem vix ad illorum corda illuſtranda ſit ſatis. Cùm animus gratuitò peruicax tantùm ſibi ſua de caligine gratuletur, vt ad illam proſcribendam tot flammas admouere operam ſit ludere. Hebræis excidium afferet ignis: at non feret lucem; obſtinata enim corda diuinis etiam radijs fores obſtruunt. *Combuſſit eum in circuitu, & non cognouit: & ſuccendit eum, & non intellexit*. Diuini ſunt hi queſtus apud Iſaiam. A Romanis Iſraeliticus ſuccenſus eſt populus: nec tanto admoto igni; nec tantâ adhibita luce conualuit à cæcitate: noluit enim Fidei monitis acquieſcere, ne obſtinatam deponeret voluntatem.

III. Et verò morbi contumacia nõ indè prouenit, quòd medicamina, quantùm ad ſe attinet, non præſentiſſimam poſſint opem afferre; ſed quia tenax Iudæorum durities illorum viribus præfractè obluctatur. Erroris vulneri doctrinæ veritas medetur; ſed cum medicamen ad aſſequendam ſalutem læſæ debeat parti adhiberi, ea enim eſt, quæ illo indiget; Cùmq; Iudæorum morbus corde penitus inſideat: *Mala autem in cordibus eorum*. vbi cæcitas ægriùs crudeſcit, ibi impenſiùs doctrinæ ope opitulandum eſt.

Fert Deus legem nubibus obſeſſus.

Exod. 19.

Præuium facem fert populo in deſerto.

Exod. 13.

Nullius ignis ad impertiẽdam Iudæis lucem ſatis eſt.

Cap. 42.

Iudæorum peruicacitati dandũ eſt, quòd non reſipiſcant.

 Verùm

Verùm iccirco morbus indies ingrauescit, quia doctrinæ pharmacum ori admissum cordi interdicitur, quo de Iudęorũ more iam olim suum apud vatem querebatur Deus:
Isai. 26. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me*. Non felicem sortitur effectum medicamen, quod sauciæ parti non admouetur. *Pone me vt signaculum super cor*
Cant. 8. *tuum, & vt signaculum super brachium tuum*, intemeratæ animæ Diuinus in mandatis dabat Sponsus. Sed quæro, si cor, si brachium, cur non etiam caput, vel quamlibet aliam corporis partem diuino hoc munire signaculo sponsæ imperat? Amoris vulnera cordi inflicta experiebatur Amasia:
Cant. 2. vnde etiam brachia sauciabantur: *Fulcite me floribus: stipate me malis, quia amore langueo*. Quam igitur partem languentem senserat, illi opem jubet admoueri.

Euangelica disciplina semini comparatur.

IV. Et vt apertiùs constet, quàm aptè Christo respondeat vates! quàm consonè Euangelio Lex cõueniat! Euãgelicę legis disciplinam idem orbis Seruator lecto componit semini ab agricola terrę commisso; quod cùm primùm hominum animis mandaretur, per communem humani generis hostem ab auscultantium corde omninò amouebatur,
Matth. 13. quapropter vnà cum fide interirent: *Venit malus, & rapit, quod seminatum est in corde eius*. Nec indignum admonitu est hunc Domini Sermonem ad Iudaicum præsertim populum fuisse conuersum: vt sacer loquitur Textus: *Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt*. Et hoc loci Isaiæ vaticinium Christus citat; in quo Prophetes asserit Euangelicam doctrinam excepturum auribus populum istum, sed nec cæcitatis, nec infidelitatis tenebras expulsurum; quia quæ au-
Luc. 8. dient, non intelligent: *Auditu audietis, & non intelligetis*. Sed quod peculiari arbitror animaduersione dignum, modus est, quo mentẽ suam hac in re Dominus aperuit apud Lucam; ait enim, Iudæos Fidei defuturos, eo quòd Euangelicæ Legis verba ab eorũ corde Satan impudenter auertet; vt fidem non illis habentes infaustè hauriant inde exitium, vnde felicissimè salutem possent ducere: *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.*

Iudæi non habent fidẽ Christi disciplinæ, quia dæmõ ab illorum corde verba aufert.

Vbi

Vbi operæ pretium eſt expendere dixiſſe Seruatorem non ab ore, ſed à corde Verbum à Diabolo remotum iri; cùm natum, aptumq; verbo inſtrumentum os ſit. De Euangelico verbo, ſuæq; diſciplinæ veritate Chriſtus verba faciebat in præſens, Iudæoſq; alloquebatur, quos voluit admonere; parui eſſe ducendum, ori Euangelium mandare, ſi negarent cordi: Chriſtum verbo colere, affectu Moyſen: aliud in lingua promptum habere, aliud pectore clauſum amplecti, non fidei, damnationis argumentum eſt: mendacij manifeſtæ ſunt voces; non eſt fides veritate firmata. Et cùm Iſraelitæ vel neq; ore, neq; corde credant, vel ſummùm contenti verbo tenus Fidem amare, corde oderint; nunquam enim corde fidem excipiunt (quod ſi nonnullis, paucos enumeres) hinc immedicabilis perſtat morbus, quia laboranti parti fomentum non adiungitur. Cùm reddant inutile medicamen, æternùm languebunt.

Parum Iudæis prodeſt Chriſtum verbo amplecti, ſi corde negligant.

V. Sed vt manifeſtiùs ſuam cæcitatem intueantur Hebræi, noſtræ nos Legis fundamenta perſpiciamus, vndeq; illius probetur veritas perpendamus accuratiùs. Pro Euangelicæ legis veritate argumento eſt, imò in eo tota eſt; quòd ſui Authorem obtineat Vnigenitum Dei Filium, Aſſertorem totius orbis, Chriſtum Dominum. Cuius veritatis perſpicuitas Diuinâ vtriuſq; Teſtamenti acoluthiâ nititur. Quæ quidem Teſtamenta à Deo humaniſſimè impertita, & aperta ſunt: alterum interueniente Moſe in Sina monte obſcuris figurarum nubibus vmbratum: & hoc illud extitit, quod Iudaico populo commiſſum eſt: alterũ omni nudatum vmbrâ, nulliſq; futuri latens ſub figuris, ſed rem omnem dilucidè iam complectens nobis à Chriſto IESV Dei vnigenito & creditum, & explanatum eſt. Hoc Euangelicam veritatem, & gratiæ legem continet; quam vnam cùm Romana Catholica Eccleſia profitemur: huius quidem Eccleſiæ ſummus Romæ Antiſtes caput eſt, legitimus Petri Succeſſor, ipſiuſmet Chriſti Vicarius, quæ Diuino, & afflatur, & ducitur ſpiritu, qui ſua etiam mentem noſtram luce afficit, nè veri effugeret cognitio.

Expenduntur Euangelicę legis fundamenta.

Non

Humanus intellectus nequit naturaliter veritatem supernaturalē assequi.

VI. Non me præterit, doctū à Philosophis hominis intellectum suas intra vires imbellem adeo, eneruémq; esse ad supernaturalis veritatis, Deiq; agnitionem adipiscendam, vt sunt vespértilionis oculi ad solis lucem, splendoremq; fixo intuitu vsurpandos: at si lux fidei illi opem, conferat, & confirmet, planè constat, posse in abditissima, altissimáq; Dei arcana sese penitus insinuare, vt testatur Apostolus. Imò ipsis oculis intueri, imò ipsis manibus attrectare diuina posse mysteria compertum habeo. Quin etiam à primis, certisq; naturalium rerum cognitionibus aliarum id genus rerum notitiam assequitur.

Diuina ope facillimè.

Effinguntur septem gradus ad penetranda Diuina mysteria.

Primus gradus est agnoscere Deum esse vnum.

2. esse Interminum.

VII. Ab his rerum initijs, ab his sinceris, verisq; agnitionibus septem gradus effingere non abs re mihi visum est: qui mentem nostram euehant ad contemplanda, penetrandáq; mysteria Euangelicâ lege inclusa. Primus igitur gradus sit, agnoscere Deum esse vnum, qui suæ Potentiæ numine excitauit hanc orbis molem, eamq; suæ Prouidentiæ lumine regit, ac dirigit. Secundus: nullis circumscribi terminis supremum hoc Numen, siue Naturam, siue Perfectiones, siue Attributa contempléris: Incircunscriptam esse sapientiam: nullis contineri finibus Potentiam: non definiri limite Iustitiam: nullis arctari terminis Misericordiam: non claudi metis Probitatem: nullis includi spatijs Simplicitatem: extra omnes vias spatiari Magnitudinem: horizontes Lucem nescire: plus vltra agnoscere Gloriam. Tertius: hominem in ipsius orbis exordio Diuino ab illo Protoplaste omnibus expletum numeris euasisse, omnibusq; cùm naturæ, tùm gratiæ dotibus exornatum; quas Diuini Numinis cognitio finisq; assequutio exigebat, cui hominem destinauerat, sui nimirum ipsius iucundissimæ visionis felicitati.

3. Hominē fuisse à Deo productū, omnibusq; suis expletum numeris.

4. Modum, quē Deus seruauit in effingendo Homine, fuisse omnium optimum ab ipso judicatum.

VIII. Quartus: (qui se licet faciliorem præbeat, ascensum tamen offert difficiliorem) quanquàm homo in prima sui formatione potuit à Deo vberiori, quàm accepit, gratiâ donari, & perseuerantiæ dono affici; tamen modorum omnium optimum, quibus rationabilis hæc moles construi poterat (quorum nullus in ipsa hominis molitione Diui-

nam Sapientiam latebat) omniſcium, ſummèq; Bonum Deum hunc judicâſſe, vt maius ſuarum perfectionum exhiberet argumentum, amans potiùs magna à malis bona deducere, quàm ita rem gerere, vt omnino mala defuiſſent, vnde defluerent bona.

IX. Quintus: quandoquidem Protoparentis ſceleris veneno totus fuit orbis infectus, à quo ſcelere, veluti à capite vniuerſa naturæ humanæ progenies noxiam hauſit labem, immenſam extitiſſe Clementiam, quâ Deus humanum erga genus eſt vſus, qui ſuo hanc in terras expeditionem commiſit Filio, vt per verba lux vitæ mundo foret, & per facta fieret virtutis prototypus; quiq; orbis reciperet in ſe crimina, quibus viuo ſui Sanguinis flumine ablutis Diuinæ Iuſtitiæ ad vnguem faceret ſatis, hac hominem ratione ſempiternis vindicans è carceribus, quibus illum addixerant ſcelera, eúmq; in æternæ felicitatis ſpem aſſerens, ad quam illum fabrefecerat. 5. Dei magnam fuiſſe clementiam in redimẽdo humanum genere.

X. Sextus: Omnem Legis, & omnem Prophetarum doctrinam vnum tantùm ſcopum collimare, hoc eſt, hujus Diuinæ beneficentiæ promiſſum humaniſſimè terris impertitum præſeferre, & hujus penitiſſimi conſilij demonſtrationi Viſiones, Figuras, Sacrificia, & Reuelationes vniuerſas deſeruire, quæ Deus, à prima rerum molitione ſuos per Vates nobis aperuit, & veteri in Teſtamento continentur. 6 Diuinas literas huic Dei clemẽtię cõmendãdę prorſus inſeruire.

XI. Septimus, ſupremúſque gradus eſt: omnem noui Teſtamenti doctrinam hoc vnum contendere, vt hominibus planum faciat, IESVM Chriſtum Dei Vnigenitum, hujuſceDei conſilij, ac Fidei Authorem, conſummatorêmq; extitiſſe; vt ſui, exempli, ac fidei luce, Diuinæq; gratiæ ope, quam ſuo nobis peperit ſanguine, æternæ homines ſaluti redderentur. 7 Chriſtum Ieſum hominibus vt ſalutis parentem cõmendare, Euangelij ſcopũ eſſe.

XII. Septimum hunc, ſupremumq; gradum, qui totius Legis, ſacrorúmq; Vatum baſis eſt, ac fundamentum: qui ſacrarum literarum clauis eſt vnica, qua ſine abditiſſima illarum arcana occluſa eſſent, & obſignata; cui omnia creationis ac reparationis Deus opera deſtinauit: quem præcipuam obtinuit cauſam ſuprema Maieſtas, vt à ſe quo- Septimus gradus totius legis fundamentum eſt.

dam-

dammodò recedens ad nos familiariùs accederet: Hic eſt. quo deficiente primæ rerum productionis ordo turbaretur, & obſcura premeretur caligine: Hunc, inquam, ſeptimum, ſupremumq; gradum, hoc eſt, profundiſſimum myſterium incluſum in Chriſto IESV Dei Vnigenito Ieroſolymæ cruci affixo juxta diuina Prophetarum eloquia, ad hominum ſalutem & veram felicitatem ab ipſo rerum initio veteriſq; Teſtamenti exordio, quod Nouum poſteà explanauit, reperimus; ne Noui veritatem inficietur, qui vtriuſq; analogiam introſpexerit. In ſecundo Geneſeos capite, ſacer inquit hiſtoriographus, ſupremum illum opificem, ac rerum molitorem Deum ab Adami coſta, cum dulci premeretur ſomno, Heuam formâſſe: *Cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius.* Hæc mira Heuæ conſtructio, ait Apoſtolus, Eccleſiæ formationem adumbrabat, quàm Chriſtus in Adamo proludens in vitæ ligno mortuus ſuo è latere excitauit. Et iccirco diuino vaticinantiq; ſpiritu afflatus Moſes vſus forſitan eſt verbo *Aedificauit* de Heuæ loquens formatione: *Aedificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Non ait *formauit*: *ædificauit*, inquit; quod verbum domûs conſtructionē latinè ſignificat; cùm enim Heuæ formatio præfiguraret Eccleſię ædificium, quod Moſes in imagine, quod Paulus in re expoſuit, ita amauit Deus vmbræ veritatem exprimere, vt adumbrati etiam veritatem aperiret: Heua in Adami ſponſam formatur: Heua in Eccleſiæ typum Chriſti regiæ ædificatur.

Genes 2.

Heuæ formatio Eccleſiæ proluſit.

XIII. En habes Euangelicæ Legis fundamentum, Chriſtum ſcilicet Eccleſiæ fundamenta jacientem: Nihil non vtriq; conſonum Teſtamento. Hoc Legis fundamentum: hæc fundamenti veritas certâ adeo infallibiliq; nixa ratione, vt nullo vnquam tempore valeat corruere; & more etiam hominum ſi loquamur, quamuis nulla alia rationum momenta illius veritatem comprobarent, ſatis, ſuperq; eſſet tum Euangeliſtarum, tum ſacrorum vatum harmonia, quâ alijs alij temporibus, calamis ſibi inuicem vſque eò reſpondentibus ſcripſerunt, vt ad vnam eandemq; veritatem

Satis ad aſſerendā Euangelicā veritatem Prophetarum cum Euangeliſtis harmonia.

atte-

atteſtandã vnanimiter omnes conſpirârint, Non poteſt non omnẽ hæc veritas certitudinem obtinere: *Non enim doctas fabulas* (inquit primus à Christo Eccleſiæ Antiſtes) *ſecuti notam facimus vobis IESV Chriſti virtutem & præſentiã*, Ait itaq; Euangelij veritatem non fabulis eſſe affinem; harum enim fides penes ſomniantem authorem eſt; ſed veritatem eſſe probationum fulcris nixam. Additq; *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes*. Vt ſuis igitur dictis fidem faciat, quæ olim prædixerant vates, reuocat: quaſi dixiſſet: Non eſt, cur ijs quæ de Chriſto illiuſq; lege loquimur reclametis; nihil enim à priſcis de illo Prophetarum vaticinijs abhorret: omnia vtriuſq; Teſtamenti eloquia mirùm quantùm conſentiant. Et quod nos adhuc ſuperſtites, & quod ſacri vates iam mortalitate exuti conceptis penè verbis aſſerimus, humanam etiam intra fidem omnem exuit dubitationem. Quæ cùm veriſſimè habeant, extremæ cæcitatis erit veritatis lucem meridianâ illuſtriorem non intueri, aut non omnibus aſſentiri, quæ in ſacris noui teſtamenti literis Chriſto tribuimus; Veteris enim oraculis ex integro conueniunt. Quidquid in vaticinationibus prædixit Deus, vt orbis Aſſertorem agnoſceremus, id omne Chriſtus expleuit. Sacris in oraculis legimus Meſſiam Iſaaci, & Dauidis ſerie ducturum genus ab Abrahamo; ita enim futurum, fidem ſuam obſtrinxerat Deus, & Regius Pſaltes fuerat vaticinatus: *In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu*: Ex Intemerata ac Sanctiſſima Virgine, nullâ hominum operâ, ſed ſolo Diuini ſpiritûs aflatu naſciturum prædixerat Iſaias: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*.

Petri 1.

Meſſias ab Iſaaco, & Dauide naſciturus Virgine è Matre.

Gen 12. Pſalm. 131.

Iſai. 7.

XIV. Humanum Chriſti genus ab Abrahamo ductum, eâdem Iſaaci, & Dauidis ſerie Euangelica ſcribit hiſtoria; nec, vt è Virgine Maria orbis Principe, vnius Numinis virtute natus fuerit, prætermittit: *Liber generationis IESV Chriſti filij Dauid, filij Abraham*, inquit Matthæus; *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt IESVS*,

Matth 1.

 qui

qui vocatur Christus. Et Angelus diuina ad Virginem fun-
Luc. 1. ctus legatione apud Lucam: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternũ, & regni eius non erit finis*. Et vt obligatam fidem Deus solueret in Isaiæ vaticinio: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; ratum gratumq; habuit hæsisse mysterio Virginem, quam nutantem his Angelus excepisset: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*. Ecquis igitur diuinam hanc sacrarum literarum harmoniam videt, qui Euangelicæ veritati non oppidò subscribat? nisi qui affecto animo, obstinatoq; sit; hic enim eò tenaciùs hæret, quò apertius illarum veritatem aspicit. Duo illi discipuli Dominicæ Resurrectionis dubij eundem Christũ vera sanctarum scripturarum sensa expromentem cominus accipiebant, cùm se illis, & viæ, & sermonis comitem adhibuit, exordiumq; à Mose sumens omnia de se vaticinia percurrit: *Incipiens à Mose, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de illo erant*. Animaduertit Euangelicus historicus, illorum oculos excæcari, & quem præsentem intuerentur, non agnoscere: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*. Itaq; ad sacrarum litterarum expositionem caligabant fidei lumina; & quæ erga nos lucis munere fungens mentes illustrat; illorum oculos nubium instar obscurabat. Sed eiusce rei causam docuit Christus. *O stulti, & tardi corde ad credendum*. Sacra illos scripta excæcabant, eo quòd contumaci corde essent. Et vbi animus obstinationi deditur, non fides habetur scriptis, ipse licèt Christus interpretem agat; nec si suis expleantur numeris; nec si Solis exponantur radijs, vel ab illo, qui suâ, & summâ veritate aperuit; vel à sacrorum Interpretum veritate, qui Dei ducti spiritu diuina arcana accuratissimè indagârunt, ac omnium oculis commisere. Sed quid mirum, veræ Hebræos explanationi non obtemperare? quibus tenax imperat voluntas.

Qui affecto est animo sacris literis eò tenaciùs obstrepit, quò apertiùs illarũ veritatem intuetur.

Luc. 24.

XV. Cum Christus suum per Vaticinia sermonem du-

xerit, eódem nobis procedendi copiam fecit, atque ea, quæ in ipso sunt expleta, lentius expendendi. In lucem editum Bethlemico in antro diuinum Iustitiæ solem inter noctis tenebras & colimus, & adoramus; ita enim Micheas prædixerat futurum, priusquam oppidum illud perditùm irent Romani. *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima est in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.* Colimus, inquam, & adoramus in præsepi natum, vt refert Lucas, rudi animantium sodalitio stipatum, humili adeò, miti, & amabili indole, quâ nos perhumaniùs excipiat, & amplectâtur, vt agresti jacētem stramine, nimio algentem frigore, tenerrimis perfusum lacrymis nostri amoris ergo intueamur. Vocales quidem hæ lacrymæ, & quæ pondera vocis habent, quibus à nobis enixè flagitat, vt illum amanter conueniamus, nec animum auertamus ab ipso, qui nostri causâ cœlum quodammodò flocci habuit, & terram se dignam duxit. Quòd si olim Adamus illum in paradiso effugit, nimium enim timorem loquentis Dei verba ei incusserant: *Audiui vocem tuam, & timui.* Nullus modò est timori locus, nam cui timorē inijciant lacrymantis Dei voces? Si Dei verba sub hominis specie in eos Protoparentem compulere metus; neu cedant timori filij; Deum enim humanâ verè indutum naturâ, & puerulì magnitudine amabilem amplexantur.

Enascitur Christus in loco à Michęa prædicto.

Mich. 5.

XVI. Eò natus est tempore, quo regalis trabea à Iudæis siue à Tribu Iuda transcripta est ad Herodem, quod juxta Iacob oraculum Christi aduentûs signum erat: *Non auferetur sceptrum de Iuda donec veniat qui mittendus est.* Quo septuaginta Danielis hebdomades sunt expletæ; si eæ annorum sint, vt est sacrarum scripturarum loquendi modus, & Rabinorum numerandi ratio. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, vt adducatur Iustitia sempiterna.* Quo *Modicum* illud tandem peruenit, quo cum populi sui spem de seruatore orbis mittendo Deus aluerat, vt est in Agæi vaticinio. In hoc etiam tenui præsepis secessu perquirentes Reges, illiúsq; pedibus aduolutos miramur adorantes: vt præcinuit Dauidis Lyra; & prædixit Isaias. *Reges*

Eo tempore, quo à Iuda ablatum est sceptrum.

Genes. 49.

Quo, septuaginta Danielis hebdomadæ expletæ sunt.

Daniel 9.

Quo Agæi Modicum absolutū.

Agai 2.

Adorant Christū in præsepio Reges.

Psalm 71. Isai. 60. *Tharsis, & insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent.* quod nobis Euangelium Lucæ enarrat. Vbi animaduertere est, quòd cùm, stellâ duce, ab Oriente Reges profecti essent, Ierosolymam ingressos deseruerit stellæ lumen, vt innuere videtur Matthæus: quod quidem euenit, non eò quòd cælestis fax aliqua adesset Regiæ, quæ fugaret stellam; sed quia Prophetarum, sacrorumq; voluminum Christum loquentium fides micabat, quæ minorem astri lucem obscurabat, & præuiam Magis facem illustriorem accendebat.

Destituit stella Reges in Herodis aula, & quare? Cap 2.

Sistitur in téplo Christus.

XVII. Effluxerat quadraginta dierum spatium, cùm in templo (nondum suis obrutum cineribus à Romanis templum erat) puer Deus Deo sistitur: vt prædixerat Malachias: *Statim veniet ad templum suum dominator quem vos queritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis.* Ibiq; orbis Reparator est appellatus ab illo insigni, & Sacro Vate Simeone, cui justitia nomen indidit: Sub quo præceptore sancita legis edidicit Gamaliel: cujus Luce Vniuersus Orbis & incenditur, & illustratur: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum: lumen ad reuelationem gentium.* Omnia planè refert idem Lucas.

Malac 3. Luc. 2.

Effugit Christus Herodis manus.

XVIII. Sacra etiam Matthæi narrat historia, vt Deum infantem adhuc quæsiuerit Herodes, ac fuerit insectatus: vt ille se in Aegyptum receperit regium declinans furorem: vtq; Herodes odio accensus omnes Bethlehem infantes, qui biennium non excessissent, inhumaniter jusserit occidi, ne ille æternus dierum infans suas manus effugisset. Ita enim Dauid, ita Isaias, ac Ieremias fuerant vaticinati: *Ascendet Dominus super nubem lucidam, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulachra Aegypti. Vox in Rhama audita est, ploratus & vlulatus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.*

Psalm. 2. Isai. 19. Ierem. 31.

Christum hominibus ostédit Ioannes Baptista.

XIX. Iam verò vbi maiorum annorum factus est; omnibus illius dignitatem apertè commendauit illud sanctimoniæ prodigium, ille inter mulierum natos maior, Domini Prodromus Ioannes Baptista, quem Deus præmisit, vt

homi-

hominum animos Assertorem suum excepturos blandè cō-
poneret; id enim erat Malachiæ oraculum: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Et Ierosolymæ, alijsq; Palestinæ oppidis Christum audiuimus prædicantem animi libertatem captiuis; cæleste regnum pauperibus; æternam felicitatem aflictis; quod prædixerat Isaias. Innumeris doctrinam prodigijs firmant emvidimus; quæ tantùm Diuinæ potentiæ vires patrarent. Omnibus demonstrantem accepimus se esse, qui orbem in libertatem vindicaret; quem Redemptorem, ac Messiam Lex, ac Prophetæ pollicerentur: Se esse naturæ Authorem, qui omnia è nihilo produxerat, ac summæ potentiæ viribus sustinebat.

Malac. 3.

Seipsum Christus prędicatione patefacit.

XX. Et postquam se Christus effusè orbi aperuit; postquam munere ab Aeterno Parente commisso perfectè est functus: Euangelica scribit historia, supremo illo epulo, quo se, suosq; alumnos refecit, cum illos extremùm salutaret, vt se ob mortalium scelera immolans mortem subiret, Diuinum illud, ac mirabile sui corporis, & sanguinis Sacramentum panis, viniq; conditum accidentibus amantissimè instituisse; quod solatio, quod grato Ecclesiæ pignori esset: iuxta Dauidis, ac Malachiæ vaticinia: *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus escam dedit timentibus se. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio.* Vbi prætermittendum non est ipsam hujusce mysterij institutionem argumento esse, Mosis legi finem impositum; priusquam enim hoc suæ potentiæ, suiq; amoris pignus, ac monumentum edidisset, Paschalem agnum comedit, vt Legis præceptum erat; hoc tamen vsus discrimine; nam agni epulum Sacramenti institutionē præcessit, cum primus huius dignitati locus deberetur: Sed nostrûm in oculis conspectuq; voluit Christus exponere, ac indicere Iudæis, agnum non esse, vbi erat Sacramentum: primum igitur ferculum agnus subeat; at alterum compleat

Eucharistiam instituit morti proximus.

Psalm 109. & 110.

Malac. 1.

Prius agnū comedit, vt extinctam Mosis legē designaret.

pleat Sacramentum: ille enim perijt, vbi hoc extitit, hoc est, interiére Mosis sacra, postquam Christi incepit sacrificium: & postquam hostia factus est Christus, nullę sunt Mosis sanctiones: consenuit Mosis lex; & sola viget Christiana. Quod si quis reclamet adhuc, vtrunq; componamus Testamentum, vbi apertè hanc intuebimur veritatem. In Legalis agni sacrificio legem tulerat Deus, vt qui ederent, baculos manibus sustinerent, vestes succingerent, ac starent, vt si in promptu essent ad viam, vel ocyùs prætereuntium more: at quando sui corporis Sacramentum instituit, quod agnus referebat, lentus, & accumbens id egit, quod indicâsse videtur Ioannes, cùm ait: *Recubuit in Cœna super pectus Domini*: de Sacramenti conuiuio sermo est; hoc lentè adeo, sedensq; Christus sacrum fecit, quippe quod gratiæ legis erat. Legalem agnum immolabant, & edebant festinanter, stantes pedibus, ac tenentes baculos; veteris enim legis sacrificium erat. Et vtriusq; legis diuturnitatem vnius, & alterius sacrificij ratione exhibere voluit Deus. Christiana lex nullo vnquam tempore refigenda, sed æternùm permãsura est: at verò Mosis sancita vires & virtutem amissura, tandem excidêre: atque eò finijt agnus, vbi inchoatur Sacramentum.

Exod. 12. — Ioan. 21.

Se suis inimicis occidendum dedit.

XXI. Quo perfecto, atq; instituta Eucharistia ad seculi vsq; consummationem, quatuor narrant Euangelistæ, insontem illum Agnum (quem præfigurauerat Legalis) suis se inimicis dedidisse, vt Crucis aris litatus humano salutem generi, & vitam vberrimè impertiret: vt lex, vt Psalmi, vt Prophetæ scripserant; in quibus præcipui sunt & Daniel, & Isaias. Daniel enim ait, expletis tandem hebdomadibus (quæ, vt supra monuimus, & effusè probant Doctores, iam effluxêre) Christum immaniter vitâ esse spoliandum: *Et post hæc occidetur Christus*. Vbi licet admonere, non esse Danielis sententiam: sponte decedet Christus: at illatâ hostiliter morte afficietur; id enim significat: *Occidetur Christus*. Danieli conuenit Isaias, cum ait: *Sicut agnus ad occisionem ductus est*. Ductus quidem, imò tractus ab infensissima inimicorum multitudine, agnus tamen

Dan. 9. — Isai. 53.

nul-

nullius compertus flagitij; cujus mors non ſua delet crimina, quorum eſt exſors, ſed illorum conſulit emolumento, qui necem inferunt; is nempe extitit Chriſti amor, vt ſe etiam occidentium bono ſuâ ipſe morte impenſiſſimè ſtuderet. Atq; vt in perſpicuo eſſet illum hominem Deum morti non inuitum offerri, addidit è veſtigio Vates: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Vos quidem illius ſanguine imbuiſtis manus, nec veſtro interdixit ſceleri, non quia non poſſet, ſed quia noluit reluctari. Ea eſt vtriuſq; hujus vaticinij euidentia, quæ Chriſtum ſalutari ligno affixum promiſſum Meſſiam eſſe teſtantur, vt nullatenus poſſit ab ijs obſcurari, qui excæcati adhuc Sanctiones Moſis peruicaciter amplectuntur. Sed præſtat cæcitas rationi, ideóq; ſuâ manent obruti pertinaciâ. Sacris item ex vatibus conſtat, eflatâ in Cruce animâ Chriſtum ad inferos penetrâſſe. Vnde Leonis inſtar fortiſſimi ſuæ manubias victoriȩ juſtorum animas, quȩ ibi detinebantur, extraxit; quas ſecum victor, & illuſtriſſimum triumphum agens ad ſuperos orbes perduxit, iuxta Regij vatis, & Zacharieȩ oracula: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuũ videre corruptionem. Tu quoq; in ſanguine Teſtamenti tui extuliſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.*

Iſai. 53.

Ad inferos ſe penetrat

Pſalm. 15.

Zach. 9.

XXII. Elapſum triduum erat, cùm, vt ſacri narrant hiſtorici, prȩdiuiti indutus gloriâ, omni exutus mortalitate, nullis doloris obnoxius injurijs glorioſior euaſit è tumulo: quod Dauid prȩdixerat, & Oſȩas: *Exurrexi, & adhuc ſum tecum: ego dormiui, & ſoporatus ſum. Ero mors tua, ò mors: morſus tuus ero, inferne. Viuificabit nos poſt duos dies, & die tertio ſuſcitabit nos.* Et quadraginta dierum ſpatio Ieroſolymam, aliaq; paleſtinȩ inuiſit loca; quibus in locis dulciſſimos cum diſcipulis ſermones habebat, eoſq; retinebat, ac confirmabat in fide, multis ſuȩ anaſtaſeos veritatem exhibentibus argumentis.

Elapſo à morte triduo reſurgit.

Pſalm. 3.

Oſea 13.

XXIII. Extremâ tandem Redemptionis operi manu impoſitâ, in Diſcipulorum conſpectu, vt meminerunt Euangeliſtȩ, in Oliuarum monte Ieroſolymȩ contermino ab omnium oculis, ab amantium lacrymis aëreos tractus ſupera-

Cȩlum cõſcendit.

perare suę tantùm incumbens potentię visus est, fortunatissimam secum ducens captiuorum multitudinem, quam in libertatem ab inferis asseruerat, crystallinosq; cęlestium sphęrarum orbes conscendens excelso Aeterni Parentis solio victor consédit; vt erat Dauidicę Lyrę oraculum:

Psalm.67. *Ascendisti in altum, cæpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus*. Et cum igneum posset currum agere, vt Helias, nubem instruxit ad ascensum, nec inconsultò; quippe voluit obtentu nubis sese hominum oculis furari, suiq; aspectum mundo interdicere, qui iniquè adeo, ęgrèq; cum illo egerat, vt in Crucem egerit. Iccirco tantę indignum felicitatis mundum damnat nubes illius furto. *Non ad vehiculum, siue ad auxilium opportunum, sed ab oculis eorum, scilicet intuentium, vt includeretur in cælo, & excluderetur à mundo, qui eum non cognouit, sed veluti reum turpiter, & crudeliter crucifixit.* ait Simon Cassius. Et ab ipso glorię throno Diuinum emisit Spiritum, qui Discipulos Ierosolymis commorantes Diuini amoris incendio inflammaret, & Diuinę sapientię radijs edoceret; vt veluti lucernę ardentes, & lucentes vniuersum orbem peragarent, maiora dictu beneficia commendantes, quę IESV meritis hominibus contulerat Deus: hęc enim erat Ioelis vaticinatio: *Canite tuba in Sion; vlulate in monte sancto; conturbentur omnes habitatores terræ.* Istas Moses felicitates est auguratus, cũ in Asser benedictione illius ascensum dixit causam, & caput Populi vtilitatis: *Ascensor cæli auxiliator tuus*.

Lib.14. c.1.

Effundit in Discipulos Spiritum sanctum.

Ioel.2.

Deut.33.

Tria ad sui agnitionẽ signa extulit.

XXIV. Omnibus his signis, quę Deus ad Messię agnitionem extulit, Diuino sibi inuicem fœdere vtrunq; conuenit Testamentum; quippe quę in Seruatore Christo expleta sunt; quin etiam vltra processére; vt sacri prædixerant vates, & Christus indixerat Iudęis. Tria in sacris signa aperta sunt, quę suum post obitum Christum hominibus authorarent. Primum: illius doctrinam vniuersum orbem penetraturam, ipsumq; Dei Vnigenitum agnitum iri. Secundum: idololatriam ab stirpe interituram; gentesq; illum Dei verè Filium culturas. Tertium: suo à Domino, & Assertore electum olim Populum defecturum (cui prę-

1. Ipsius doctrinã orbem completuram.
2. Euertendũ idolorũ cultum.
3. Iudaicũ populũ sua obruẽdum caligine.

ser-

ſertim ſubierat mortalitatem) & ſuâ immerſum caligine non inde euaſurum. Primum præcinuit Dauid: *Adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes ſeruient ei.* Secundum Iſaias: *Venite aſcendamus ad montem Dei, & ad domum Dei Iacob. In illa die proijciet homo idola argenti ſui, & ſimulacbra auri ſui.* Tertium Oſeas: *Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris vir: ſed & ego expectabo te; quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, & ſine principe; & ſine ſacrificio, & ſine altari; & ſine Ephod, & ſine templo.* Quæ omnia, dum viueret, vaticinatus eſt Chriſtus; & ad vnguem, ſuam poſt mortem ſunt expleta; vt capite proximè ſequenti expendemus. At verò Diuina tantùm ſapientia facili adeo, ſuauiq; harmonia vtriuſq; Teſtamenti oracula potuit componere.
Pſalm. 71.
Iſai. 2.
Oſ. 3.

XXV. Hanc etiam expoſitionem ſortiri valet (quæ eſt quorundam explanatio) Canticorum illud, quo Diuinam alloquitur Sapientiam Romana Eccleſia ſuo in typo: *Noua, & vetera ſeruaui tibi.* His nouis, veteribuſq; pomis, & noua, & vetera exprimi myſteria nonnulli contendunt. Itaq; inquit Eccleſia: Diuinam Sapientiam ita vtriuſq; Teſtamenti myſteria contuliſſe, vt alia alijs minimè refragarentur, imò incredibili modo conſentirent; id enim vna ſolùm præſtare poſſet Dei Sapientia. *Seruaui tibi.*
Cant. 10.

XXVI. Perſpicaciùs hoc oſtenditur in Euangelica hiſtoria. Vbi Chriſtus Scribis, ac Phariſæis ex aduerſo Apoſtolos opponens nobis planum facit, illos humanâ tantùm diſciplinâ inſtitutos, ea demùm tenere, & negligēter agnoſcere, quæ vetus offert Teſtamentum; hos verò Diuinâ inſtructos ſapientiâ, quæ eſt Chriſtus, & à Diuino Spiritu edoctos, eo planè modo Nouum Veteri componere Teſtamento, vt inter Veteris figuras, & Noui veritatem mira quædam harmonia proueniat; hoc vno inter ſe diſcrimine, quòd in imagine Vetus Nouo proluderet, & Nouum in re Veteri reſponderet. Et qui vtriuſq; conſonantiam callet, doctus à Seruatore appellatur non hominum, ſed Dei præditus Sapientiâ: *Scriba doctus in Regno Cælorum, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.* Iam verò cœleſtem hunc
Diſcrimen inter Scribas & Chriſti Diſcipulos.
Qui Teſtamenti vtriuſq; conſonantiā tenet, ſapiens dicitur.

concen-

concentum is tantùm nouit, cui Cœlestis affulserit lux. Quòd si Iudæum fugit, non causabitur lucis defectum, sed suam insimulet peruicaciam, quâ affulgentem lucem impudenter toties retundit. Præuius ille immortalis solis Lucifer ad id natus, *vt testimonium perhiberet de lumine*, inquit commendatissimus ab amore discipulus. Sed ipsius bonâ cum veniâ, aliam præ se ferre sententiam videntur verba illa, quibus ejusdem lucis munus exponit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. Si ideo vera lux est, quia se omnibus illustrem exhibet, suosq; omnibus radios impertitur, quid exteris indiget testibus? nonne suo ipsa lumine proditur? Si quot habet intuentes oculos, tot habet sui splendoris æstimatores, quid alienam adhibet commendationem? si quot vibrat radios, tot in linguas fingitur, quas sui habeat præcones, superuacaneum judicabitur alieno testimonio indicari? Ea nimirum est mortalium pudenda tenacitas, qui lumina occludant, ne fidem habeant vel rebus, quas vsurpant oculis. Veræ lucis radijs Diuinum vndiq; verbum nitescebat: *Erat lux vera, quæ illuminat*; & tamen neruis omnibus adnitente Baptistâ, vt exciperetur humaniter, à Iudæis immanîter expulsum est.

Ioann. 1.

Lux non eget externis testibus

XXVII. Digna tamen non est obrui silentio improbatio illa, quæ tertio Oseæ capite continetur; quæ neq; omnes complectitur, neq; sempiterna est, vt scriptæ legis Interpres, Diuiniq; vates prædixerunt. Primò; quia omnes è Synagoga suam ad Ecclesiam confugientes excipit humanissimè Deus; ac se ergo illos, velut erga filios in delicijs habitos, quibusq; in amandis nemini primas detulerat, tenerrimè gestit. Et Diuina faxit Maiestas, vt plures numerentur, quos Christiana lex æternæ committat felicitati, quàm quos errorum caligo sempiternas demittat in tenebras. Secundò; quia hæc cæcitas tunc consenescet, ac eliminabitur, cùm ille Ethnicorum torrens Ecclesiæ intra limina confluet, quibus Deus suæ gloriæ sedes tribuat incolendas: quæ quidem orbe iam ad interitum properante euenient; vt vaticinatur Oseas. Tum temporis occupabit Christianæ Ecclesiæ fores ingens Israeliticæ gentis multitudo, quæ

Iudæos Deus clementer excipit.

Rom. 11.

Christum

Christum verè sui Seruatorem, Messiamq; in lege toties promissum & agnoscet, & adorabit; atq; animi salutem fortunatissimè assequetur. *Et post hac reuertentur filij Israel, & quarent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum; & pauebunt ad Dominum, & ad bonũ eius in nouissimo dierum.* Os. 3.

XXVIII. Ergo si vni tantùm Deo futurarum rerum arcana patent; & omnia hæc, quæ de Christo agunt, nihil à Prophetarum vaticinijs abhorruere, qui illa quadringentis antea annis; quingentis alij, alij mille, multò etiam pluribus alij prædixere antea quàm euenirent; certo est certius, has vaticinationes, hæc mysteria, hanc fidem, vera omnino esse, ab ipsoq; Numine promanâsse. Hac de causa orbis Assertor, cum inter mortales ageret, eos non semel adhortabatur: *Scrutamini Scripturas; quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.* Indicabat Seruator viam, quâ ipsum quærerent studiosiùs, inuenirent faciliùs, crederent feliciùs; & via nihil erat ab ipsis sacris scriptis alienum. Ex consona enim illorum harmonia planissimè constat Christum vnigenitum Dei filium, verumq; Messiam esse. *Ioan. 5.* Sacræ literæ Christũ indicant.

XXIX. Sed digna luce est ratio, quam illos Christus ad sacras literas legendas edocebat; non enim aiebat: *Legite*, sed: *Scrutamini*: Ne tantùm legite, sed intelligite; ne in literę cortice hæreatis, sed altiùs medullam enucleate; nanq; hoc exprimit: *Scrutamini*: Et sanè, quia legere tantummodò norunt, nec se se penitiùs insinuare in illarum sensa Iudæi contendunt, ibi ideo tenebras offendunt, vnde lucem possent haurire. At verò ea propter non sanum earum intellectum assequuntur; quia vaticinia à Christo alienis, lectu facilia, intellectu difficilia sunt. Hoc forsan mysterium referebat liber ille, quem Ioannes sua in Apocalypsi suspexit *scriptum intus, & foris*, ita tamen obsignatum, vt vnus Christus (cuius typum agnus ferebat) valuerit explicare. Quid igitur? non se legendum foris exhibebat liber ille? exhibebat. Quare ergo qui legebant extrinsecùs, non interiorem etiam partem recludebant? vni tan- Scrutandæ sunt sacræ literæ. A Christo alienis lectu faciles, intellectu difficiles sunt. *Apoc. 5.*

 tùm id

tùm id Christo datum est? Vnus tantùm Christus sacrorum scriptorum nucleum euiscerat; quia sine Christo arcanum illorum sensum adipisci velle, operam est ludere: legentur quidem deforis; sed vt omnino pateant, Christus accedat necesse est; cœlestemq; nobis lucem indulgeat, vt teneamus illorum sensum. Cum verò Iudæi hac sint indigni luce, à limine tantùm salutant, quin penitissima sacrarum literarum adyta ingrediantur. Et cum fides à sensûs veritate, non à nudis characteribus vigorem hauriat, fidei vitâ manent destituti, quia animi oculis capti à veritatis agnitione longè deuiant.

Infringitur Iudæorum obiectio.

XXX. Contra hanc veritatis consonantiam proteruè insurgunt Hebræi; dicuntq; Christianæ fidei professores diuina hæc eloquia, ac vaticinia Christo attribuere; quæ sibi ipsi persuasum habent Dauidem, & Isaiam (quibus Incarnationis; ac Passionis mysteria vaticinari cura fuit) illum de se, hunc Iudaico de populo prædixisse, & scripsisse. Nullo tamen negocio hoc infringitur. Primò; quia nemini alij ingentem vaticinationum multitudinem, vt leguntur in Prophetis, & nos adduximus, præterquam Christo rerum seruatori conuenientiùs adscribent; cum omnes in vno Christo felicissimè euentum obtinuerint, vtpote quæ in illo tantùm, & nullo alio, qui nudum creaturæ fastigium non excederet, expleri possent: in illo, inquam, quem Diuinitas ad summam euehit maiestatem, plenissimè sunt absoluta; vt palam fit ex sacris literis, & legentibus patet in Euangelicis scriptoribus. Quapropter omnis alia interpretatio & rudis, & peruicàx est æstimanda. Secundò; quia licèt missa faciamus vaticinia omnia, quæ Assertoris Diuinitatem, & ortum asserunt, parenteq; illibatæ Virginitatis
Isai. 7. nasciturum, vt præmonet Isaias; & præmissurum sui Præcursorem laudatissimum Vatem Ioannem Baptistam; vt est
Malac. 3. Malachiæ oraculum, quæ quidem in solo Christo perfici poterant; si de rebus priuatis, ac minutissimis disseramus, quæ duo hi vates de cruciatibus, obitu, anastasi, prodigijsq; à Christo patratis scripsêre, apertè constabit mendacem esse Iudæorum interpretationem; cum nihil illorum Dauidi

uidi

uidi aptari possit. Quòd si adhuc hastam non non abijciunt, ostendant insignes hi interpretes, quâ fuerint in Dauide ratione expleta? Vicerunt. At quando vel oculis, vel auribus vsurpauimus Dauidem pro triumphali curru, vili ac rudi quadrupede fuisse vsum, & inter inopiæ, ac mansuetudinis apparatum, inter secundas populi acclamationes ingressum fuisse Hierosolymam? vt prædixit Zaccarias: *Exulta filia Sion, iubila satis filia Hierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & sedens super asinam*. Quando accepimus fuisse venundatum, & triginta proditum argenteis? vt de Seruatore vaticinatur idem Zacharias. Quando immanibus adstrictum vinculis? infandijs affectum contumelijs? impijs vulneratum alapis? venenatis infectum sputis? grauibus oneratum flagellis? Dauidem aspeximus? Quando in crucem actum, illiq; scelestos inter affixum, atq; illorum syllabo adscriptum? Quando accuratissimis precibus sui ipsius peremptores protegentem? Quando ardenti siti fatigato, felle & aceto opem fuisse latam? atq; per ejusmodi clamorem efflâsse animam? *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quando accepimus confossum telo? & inter mortis horrorem nihil in illius corpus corruptioni licuisse? Quando immortalitate donatum, omni inaccessum dolori se è sepulchro excitâsse? & ad superos ingenti ornatum gloriâ euolasse? Si igitur hęc omnia sacrarum litterarum vaticinia vni Messiæ agnitioni destinabantur; si omnia in Christo, non verò in Dauide promissum euentum sortita sunt; quid Christi vaticinia ineptè Dauidi adscribũtur? Falli amant à se ipsis, quibus hæc imponit deceptio: de quibus jure dicas: *Videntes non vident, & audientes non audiunt*.

Zach. 9. *Zach 14.* *Tren. 3. & 4.*

Cruciatus, quos Christus pertulit, adscribi nequeũt Iudaico populo. *Isai. 53.*

XXXI. Dolores, ac cruciatus, quibus orbis seruatorem affectum iri præcinuit Isaias, nullo prorsùs modo Israelitico populo deferri queunt: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus*. Cum apertè dicat Vates Deum omnia illa supplicia ac dolores nostris sceleribus puniendis destinata in Redemptorem ipsum cumulâsse, vt salutem ab his

serua-

seruatoris cruciatibus duceremus: *Omnes nos quasi oues errauimus; vnusquisq; in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum.* Si enim Israelitica gens his afflictabatur poenis,& in illam Deus his animaduertebat (nec Isaias se ab illius populi numero eximebat; vt ipse testatur: (*Omnes nos*) quo populus flagitijs omnibus coopertus Deum potuit officio demereri, vt diceret Vates; in ipsis populum supplicijs, & Deum, & salutem propitiasse? *Et liuore eius sanati sumus.*

XXXII. Quare si nobis planè compertum est, omnia hæc vaticinia, quæ memorauimus, Christum tantummodò expleuisse mirâ vnius,& alterius Testamenti harmoniâ, siue quæ Diuinitatem attingebant; siue quæ res omni maiores admiratione referebant, quas in ipso vidimus, & nullo alio, qui Deus non esset, expleri poterant: siue quæ de Humanitate,rebusq;ad Humanitatem attinentibus agebant, de Vita, nimirum, mortèq; & ipsius Resurrectione; Certum omnino est, & in dubium minimè vocandum, sanam & veram esse Christianam Religionem, à Deo promanasse, ipsoq; maximè niti; vt Authores sunt Euangelici Historici.

Iudæi dæmones imitantur.

XXXIII. Verum etiam extra dubium est Iudæorum cæcitatem non modò peruicaciæ arguendam, sed dæmoniacæ etiam improbitatis esse alligandam, vt pote quæ oracula Christo adscripta aut ad Dauidem; aut ad Iudaicum populum, quibus nullatenus consonant, vt planum fecimus, iniquè deflectat. Et hoc iniquitatis fastigium est, quæ de alio vaticinia loquuntur, alij attribuere. Nihil aliud ausus est Dæmon,cũ Christum inducere est conatus, vt se è summo templi fastigio daret præcipitem: *Mitte te deorsum.* Vaticinio vsus est in argumentum: *Scriptum est enim, quòd Angelis suis mandauit Deus de te, vt manibus tollant te.* Nihil hæc ad Christum vaticinatio, vt perspicuum reddunt interpretes, sed ad optimum quemq;vitæ integrum referebatur, quos Deus adnitentibus fidelissimè Angelis & tutatur, & sustinet, ne vel pedem offendant ad lapidem. Quis Satanæ improbitatem non videt?peruertit oraculum,

Matth. 4.

quod

quod ad alium, à quo alienum erat, conuertit: agebat de hominibus, adſcripſerat Chriſto: fortuito loquebatur de caſu, quæſito de induſtria ille aptauerat. Sed ſui ſpecimen, Dæmonis ſcilicet, latè exhibuit. Qui enim iniquum ſatanæ animum, ac ductum in Diuinis eloquijs ſequitur explanandis, non aliter interpretatur. Præpoſterâ expoſitione, quæ alij conueniunt, alij accommodat: quæ de hominibus agunt, Chriſto attribuit, de more dæmonis; quæ de Chriſto loquuntur, adſcribit Dauidi, vel populo Iſraelitico, vt ſolent Iudæi, haud occultè interpretis, hoc eſt, ſatanæ mentem interpretatione indicantes. Sed cum eum nacti ſint parentem, vt eſt Chriſti ſententia: *Vos ex patre diabolo eſtis*. aſſentiuntur libentiùs interpretationi, ne turpiùs à cognatione diſſentiant.

XXXIV. Non vulgare eſt doloris argumentum Iudaicum populum intueri omni expetentem voto feliciſſimum Aſſertoris aduentum, quem Deus ad mortalium ſalutem è Cœlo legauit in terras, ſuos illi per Vates præſcribens tempus, quo ſuo orbem aduentu Seruator fortunaret; locum, quo in lucem ederetur; vitam, quam ageret, mira, quæ patraret; mortem, quam ferret; & mundi deniq; libertatem, quæ inde terris proueniret: & tot annorum millia hac expectatione tranſijſſe populum; & deueniſſe tandem Seruatorem eâdem, quâ promiſerat tempeſtate; eâdem, quâ prædixerat ratione, ijſdem, quibus præmonuerat circunſtantijs, ſua manifeſtè exhibens ſanctimoniâ, omniumq; virtutum ſplendore, & rebus ab ipſo patratis, eundem illum eſſe, quem diuturnæ adeo ſpes collimauerant! Et cum ſuus illum populus ardentiſſimè deberet excipere, morte ipſum turpiſſimâ damnâſſe; ac non acquieuiſſe, dum in crucem actum, ac ſi omnium in ſe inuidiam ſceleribus conflaſſet, immaniſſimè aſpexit! O inſanam, ò ſceleſtam humani intellectus caliginem! inſanam, quia ingratitudinis; ſceleſtam, quia improbitatis notam ſibi inuſſit: ingratitudinis, dixi; vt Dei ſubſcriberem queſtubus, quibus ſuum per Vatem populum hunc incuſat, qui ſuum non agnouerit Redemptorem: *Filios enutriui, & exaltaui; ipſi autem ſpre-* *Iſai. 1.*

Magno eſt dolori Iudæorum cæcitas.

spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit. Improbitatis, dixi; vt Diuino Spiritu assentirer, qui duram eiusce populi tenacitatem arguit: *Hoc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum.* Quo in corde ingratitudo iniquitati admiscetur, amicè in eodem infidelitas obstinationi adnectitur: infidelitas; quia deest fides, vt religioni obsequatur; obstinatio viget, quia superest cæcitas, vt rationi obtemperet. Quæ duo abundè sunt in Hebræis, cæcitas, & obstinatio; illius ergo longè à veritatis agnitione abhorrent; huius causâ non obtentas caliginis nubes penitùs dissipant.

Sap. 2.

CAPVT SECVNDVM.

Prophetica Noui Testamenti cum Gratiæ Lege Harmonia.

Primus concentus à Prophetijs editur.

XXXV. QVæ signa Messię agnitioni opportuna judicauit Deus, prçmisit sacris in literis: hæc omnia Christus cōprobauit reuelationibus, quas, dū ageret inter mortales, exposuit, vt Diuinâ inter illas, & signa prædicta à Deo concordiâ suæ legis veritas patefieret; si enim scientia prophetica, vtpote quæ supra naturam est, vnius est Dei, Deus ex vaticinijs agnosceretur. Quæcunq; à suo obitu erāt euentura, prædixit cum viueret Christus; quæ omnia illius prædictionibus æquissimè responderunt, & nos ipsismet oculis intuemur. Vnde rectè inferre licet, Propheticam noui Testamenti Harmoniam verum Euangelicæ Legis argumentum esse, ipsamq; legem sanam, ac veram esse; nam aliàs, nec veteris Testamenti indicia explerentur in Christo, nec euentum obtinerent reuelationes, quibus suam Christus legem confirmauit; orbem enim Deus deciperet, quòd summam dedecet bonitatem; quippe sine illo nec detegi, nec perfici poterant vaticinia.

Religio rectè constituta sui veritatē patefacit.

XXXVI. Itaq; vt absolutissima vitæ integritas, vt probatissi-

batissima mortis innocentia, vt nitidissimus Doctrinę splendor, vt stupenda seculis omnibus prodigia, quæ Christus mortalium Seruator perpetrauit, veritatem patefaciunt, quâ priora sunt exacta vaticinia; ita oracula, quæ idem protulit, iam expleta suæ legis, priscarumq; prædictionum veritatem in nostrûm omnium oculis exponunt. Enimverò qui Christi fidem, Religionemq; toto orbe diffusam, Religionisq; res probè adeo constitutas haud oscitãter fuerit contemplatus, inficiari non poterit, Christum, à quo ita composita sunt, promissum esse Messiam. Planum, ac perspicuum vsq; eò est hoc argumẽtum, vt etiam muliercula illius veritatem fuerit assequuta. Cum cerneret Samaritana, quæ sententiæ, & jurgia Iudæos inter, ac Samaritanos agitarentur de loco, vbi Deum oporteret adorari, templó ne Ierosolymæ, an Samariæ monte? Messiam appellauit; Christumq; veluti Iudæorum quemlibet (Samaritanæ enim mulieri Christũ adhuc licebat ignorare) est alloquuta: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt: vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet. Scio, quia Messias venit; cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia.* Suo nos aduentu dignabitur Messias, aiebat Samaritana, imò aduenit: *Scio quia Messias venit.* (Non quod rei veritatem teneret; sed quia ea tempestate, cum iam destinatum promissis tempus adesset, in dies singulos expectabatur adfuturus.) Cumq; peruenerit, dicebat Samaritana, illum orbis Assertorem adorabimus, eo enim ordine Religionis res collocabit, ita rationi consonas, ita vaticinijs respondentes vt omnem à nobis arceat dubitationem. Per id temporis, nec solùm Ierosolymæ in templo, nec tantùm Iudęæ in mõte adorabitur Deus: despicatui erit mons; ruderibus obruetur templum, & vbiq; gentium adorabitur Numen. Ex rebus Religionem attingentibus ritè constitutis Messiæ veritatem haud ineptè æstimabat Samaritana, hocq; argumentum esse prudenter existimabat, quod Messiæ aduentum suaderet; & Christum IESVM Nazarethnum Virginis Intemeratæ filium eum esse persuaderet; vnius enim Messiæ erat Religionem, ac fidem ita componere, vt tunc Samari-

Ioan. 4.

Messiæ tẽporibus vbiq; Deus colendus erat.

D mari-

maritanæ ferebat ſpes, & vt modò noſter tenet adſpectus. Quidquid præcinuerant oracula, perfectum in Chriſto eſt; & quidquid prædixit Chriſtus, id omne expletum intuemur: nam ille tantùm inter templum, & montem agitatas lites alterius ruinâ, & contemptu alterius ſedauit. Non graue ſit vaticinia inſpicere, & erit facile noſtræ Religionis veritatem agnoſcere.

Chriſti oraculum de euertendo idolorum cultu.

XXXVII. Inſignis illa quidem extitit vaticinatio, quâ, toto idolorum cultui orbe dedito, quo illi Satanas dominabatur, & nullibi, niſi in exiguâ Iudææ plaga veri Dei cognitione comparatâ, idololatriæ euerſionem prædixit Seruator Chriſtus; gentes ad omnia projectas ſcelera iam obnoxias jugum fidei ſubituras Euangelij prædicatione excitas; apertè id enuncians. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eycietur foràs: & ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Cum igitur vſq; ad Chriſti obitum incubantibus idololatriæ tenebris mundus fuerit oppreſſus, vnos ſi excipiamus Hebræos, & ab illius morte fidei radijs circumquaq; diffuſis barbari idolorum cultus fuerint proſcripti, planiſſimũ fit, iſtã à Deo fidẽ nobis fuiſſe impertitam, & neſcire Deum, qui eam non agnoſcit.

Ioan. 12.

Ex Ethnicis, & Iudæis, conſtat Eccleſia.

XXXVIII. Ad hoc illud accedit, quod vaticinatus eſt Chriſtus, ſuam nimirum Eccleſiam ex vno, & altero populo Iſraelitico, & Ethnico componendam, his verbis: *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Ergo ſi veriſſimum eſt, quando temporis id Seruator aſſeruit, notum in Iudæa tantum Deum eſſe, vt ſupra monuimus, & illius poſt mortem Dei cognitionẽ ad Ethnicos totum per orbem penetrâſſe; ex viuis fidelium, id eſt, vtriuſq; populi lapidibus, aſſurgente Eccleſiâ, vt ad Iordanis Ripas diuinus indicabat Baptiſta: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Quis vſquam eſt, qui cum Diuina Prophetarum eloquia, & Chriſti verba omnibus expleta numeris aſpiciat, non Chriſtianã fidem nobis à Deo commiſſam agnoſcat? Quòd ſi quis adhuc eſt hujus cognitionis expers, pertinacis ignorantiæ habeatur; quia ſi maioribus Iudæorum

Ioan. 10.

Matth. 3.

Chriſtum

Chriſtum non agnoſcere improbitatis vertitur tenacitati; minoribus, qui Propheticam Harmoniam pleniſſimè exactam vident, ignorantiæ ducetur obſtinationi.

XXXIX. Secundum vaticinium illud fuit, quo Chriſtus ſuæ Eccleſiæ diuturnitatem, in Diuo Petro, illiuſq; ſucceſſoribus his verbis prædixit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Rem auget omni æſtimatione penſare, hæc dixiſſe Chriſtum, cùm viueret, inopi, imbelli, indocto piſcatori; omni deſtituto authoritate, & qui nullo niteretur humano fulcimento; & ita hæc Chriſti poſt obitum eueniſſe; idem enim ipſe piſcator, illiuſq; ſucceſſores Chriſtianæ in terris Eccleſiæ Principes ab vniuerſo orbe fuere ſalutati; & ad ſuorum pedum oſcula aduolutos Reges, Principes, ac Imperatores in præſens vſq; excepere; cum iam milleſimus ſexcenteſimus ſeptuageſimus annus euoluatur; ex quo Eccleſiæ jacta ſunt fundamenta, nec leuem experta ruinã; quod non imbelle eſt ſuæ diuturnitatis argumentum. Quis, ſi hæc præ oculis habeat, in ea adhuc perſtabit ſententiâ, vt audeat aſſerere, non omnibus inauditum hoc eſſe prodigium à Numine patratum; & maius admiratione oraculum, quod Diuina tantùm ſapientia potuerit aperire? Perſpicuè adeo omnium oculis hoc ſe ſe fert obuium, vt facem ſit Soli addere, adjungere commentarium. Quod enim apertè patet, inficiari, eſt tenacitatis perfidia.

Eccleſiæ diuturnitatem affirmat Chriſtus.
Matth. 26.

XL. Tertium vaticinium illud extitit, quo Chriſtus Ieroſolymæ vrbis, illiuſq; templi excidium prædixit; quo quidem ſupplicio Deus animaduerteret in Iudæos, quia diem, quem Chriſtus illis inuiſendis impendit, ignorârunt, hoc eſt, ob Deicidium, quod in illo morte afficiendo admiſerunt. *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam dicens, quia ſi cognouiſſes & tu; & quidem in hac die tua, quæ ad pacẽ tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndiq; & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt; & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ.*

Ieroſolymæ ruina à Chriſto prædicitur
Luc. 19.

 XLI. Quod

XLI. Quod quidem adeo præſtat,vt tametſi alia oracula non eſſent,hoc abundè eſſet ad fidei confirmationem. Si enim AEgypti tyrannus diuino Ioſephum Spiritu afflatum coluit, quia alterius ſeptennij vbertatem,& infelicitatem alterius præuidit, ac præmonuit: Si Nabuchdonoſor, cui arbitrium orbis terrarum commiſſum erat, prouolutis ad terram genibus Danielem adorauit, cæleſteſq; illi decreuit honores, quia ſomnium, quod Regi exciderat, reuocauit, & edidit; quid? non euidens ſeruatoris Diuinitatis argumentum erit, annis ante quadraginta Ieroſolymorum excidium præmonere? obſidiones,clades,Vrbis ruinam,templi euerſionem, & amiſſam Iudæorum libertatem prædicere?

Magdalena Chriſti pedes vngit.

XLII. Quartum oraculum fuit, quod Orbis ſeruator edidit de illa odoratiſſimi vnguenti effuſione, quâ pridie ejus mortem Diua Magdalena illius pedes tenerrimè imbuit, cum enim Diſcipulos increpantes hoc Magdalenæ amoris monumentum aſpiceret, illius egit cauſam his verbis: *Quid moleſti eſtis huic mulieri, opus enim bonum operata eſt in me: Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum; me autem non ſemper habebitis: Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Quodnam admiratione dignius vaticinium? Cum enim hæc dixiſſet Seruator priuata in Iudææ domo, paucis illuc conuocatis, ijſq; obſcuro natis loco,hiſtoriam ab Euangeliſtis mandatam literis,& celebre,æternùmq; celebrandum egregium Magdalenæ factum intueri, noſtram à Deo fidem promanâſſe, ineluctabili argumento eſt.

Matth. 26.

Virginis Sanctiſſimæ oraculum expéditur.

Luc. 1.

XLIII. Quintum,extremùmq;vaticinium illud eſt,quod ſuo in Cantico Virgo Beatiſſima præcinuit: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ad quod euectam faſtigium ingenti Dei gloriâ,& Chriſti vnigeniti Virginem Matrem & intuemur, & amamus; id enim filij fuit Parentis honori prolixè conſulere. Cùm enim certiſſimum ſit hæc dixiſſe lectiſſimam

mam

mam Virginem (quæ per id temporis egens,& ignota pauperrimo nuptijs adjuncta fabro erat) in Iudææ angulo mulieri sibi cognatione annexæ, fuit Deo consilium, hujus Virginis nomen orbem sui gloriâ impleuisse,& maximâ ab omnibus veneratione affectum,non tantùm inter Christianæ fidei professores, verùm etiam inter Mauros, Turcas,ac Persas, vt illorum patet in Alcorano. Quis igitur in eam incidet dementiam, vt asserat vaticinium istud non ingens fuisse prodigium, quod gessit Deus, vt illo se Euangelij, Christianæq; Religionis Authorem comprobaret? Virginem colũt Turcæ, Persæ, &c.

XLIV. Itaq; cùm compertum sit quatuor prima oracula à Christo fuisse prædicta, quintum verò à Sanctissima illius parente Diuino illustratâ Spiritu, & omnia ex præscripto accidisse intueamur, cum iam supra millesimum sexcentesimum annus septuagesimus agitetur; & magnæ pollicerentur vaticinationes, nempe proscriptum idolorum cultum, orbem ad Christi fidem receptum, Christianam Ecclesiam ex Iudaico,& ethnico populis constitutam,eandem in Diuo Petro, illiusq; successoribus excitatam,ac firmam, Ierosolymam vrbem orbis pulcherrimam redactam ad cineres, illius templum à Tito euersum, Iudaicum Regnum funditus excisum, Populum maximis & amore, & honore à Deo habitum ruinâ, & seruitute oppressum,& in omnes mundi plagas diffusum; Magdalenæ factum tota in Ecclesia laudatissimum, Gloriosissimam Virginem latè per orbem commendatissimam; cujus tantum judicio audaciæ inerit, vt eat inficias, Christum Dei filium esse? qui Diuinam in oraculis sapientiam exhibuerit suam. Aut quod tantæ cor cæcitatis tenebris obruetur,qui Euangelicę lucis veritatem non agnoscat? ausitq; imprudenter asserere,Romanam Catholicam Ecclesiam non à summo numine fuisse constructam? *Cum euigilasset Iacob de somno, ait: verè Dominus est in loco isto,& ego nesciebam: pauensq; quàm terribilis est,inquit,locus iste! non est hîc aliud,nisi domus Dei, & porta cæli.* Typus hic certè est, ad quem Iacob nepotes se componerent, ac conformarent, excitarenturq; à graui errorum somno, & oculos ad Christum IESVM, illiusq; Genes. 28. Iacob typus, cui se debent Iudæi accommodare.

Ecclesiam

Ecclesiam conuertentes propalam faterentur, ipsum promissum esse Messiam tot maiorum suorum expetitum votis, & Euangelicam legem à Christo latam Dei aulam, & Cœli ostium esse. Verùm ideo non Iacob fidem comparant, quia illum non euigilantem, sed indulgentem somno imitantur: dum somno se Iacob commisit, idem ait, se omnino latere; Deum esse, quem ita sibi familiarem experiebatur: vbi somnum expulit, patuit arcanum, quod antea illum effugerat, quia occluserat lumina; postea verò facilè agnouerat, quia decluserat oculos: Reclusis oculis haud arduum fuit veritatis lucem haurire: *Cum euigilasset Iacob de somno, ait; Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Enimuero iccirco Iacob nepotes non veritatis cognitionē assequuntur, quia cum tenerentur se effingere ad Iacob euigilantis solicitudinem, se componunt ad Iacob dormientis negligentiam.

Iudæorum objectio.

XLV. Obstinato adhuc animo Iudæi dicent, se fidem his Assertoris Christi vaticinijs non habere, quia Euangelicam historiam à vero alienam æstimant. At mihi, sint sanè exoculatissimi, tria tamen negare minimè valent. Primum, fuisse in terris Chtistum. Secundum, Euangelicam historiam literarum monumentis fuisse commissam Sanctorum Petri, & Pauli temporibus. Tertium, à Christi obitu omnia hæc oracula perfici cœpta; cum illa contueamur examussim completa. Ex his manifestè depromitur, Diuino fuisse instinctum spiritu, qui illa prædixerit, illisq; inesse eam authoritatem, ac euidentiam, vt ex ipsis Christus verus Messias æstimetur, & Diuinis colatur honoribus. Sed vt illorum caliginis tenebræ ad nostrę veritatis lucem funditus pereant, hæc tria expendamus, licet pro rei magnitudine quam breuissimè. Et initium à primo facieñti hæc mihi sententia est. Vel humanis nitantur rationibus, vel Diuinis fulciantur eloquijs Christum extitisse non inficiari Iudæi possunt. Si humanis fidant rationibus, totus obluctatur orbis, qui id apertè fatetur, nec vocat in dubium; ipsis vel Mauris est in confesso; solius enim Diuinitatis fastigio Christum abdicant, in quo quidem scelesti, cum à

Nequeunt Iudæi inficiari extitisse Christum.

vero,

vero, & à nobis veræ obnoxijs fidei abhorreant. At verò quod omnes fatentur ingenuè, projectè negare, in rationem delinquere est, vt si Romam esse inficiemur, qui eam non sumus adhuc intuiti, quantumlibèt enim eam non viderimus, id omnes ad vnum asserunt, & communi omnium voci obstrepere, non moris prudentium est. Hinc in Iure, nec omnes errore, vt nec improbitate teneri præsumitur, dum palam aliud non ostenditur. Ergo extitisse Christum humanos etiam intra limites, abnuere, error est adeo manifestus, vt risu omnium excipi debeat. Hujus veritatis perspicuitas Philum Iudæum inuitauit, vt de Christiana Religione librum scriberet, cum Christi nomen Alexandriæ cerneret magnopere efflorere. Iosephus etiam Iudæus vir sanè apprimè doctus, ac eruditus, planissimè asserit extitisse in mundo Christum, atq; hunc Messiam esse: *Eodem tempore*, inquit ille, *fuit IESVS vir sapiens, si tamen virum fas est dicere. Christus, id est Messias hic erat.* Itaq; apud Iudæorum doctissimos non dubium est fuisse Christum. Quare siquis illorum cæcutientibus adhuc oculis aliò à veritate deflectit, quam nobis negat, suis adhibeat fidem, & humanis etiam deuictus rationibus extitisse Christum, ac inter se degisse fateantur. Iam verò si Diuina confugiant ad oracula; nullum hîc effugium Iudæorum peruicacitatem tuebitur; imò fidem amittent, siquid dubij in hac re admiserint. Ab hac veritate stant omnia, quæ primo hujus Diuinæ Harmoniæ capite prolixè disseruimus. Sed argumentis è sacra Pagina deductis omnium oculis exponamus verum iam aduenisse Messiam Christum IESVM Iudaicæ genti à sacris vatibus promissum, & Bethlehem natum expletis tandem vaticinijs, ex Daniele enim (vt supra memorauimus) patet, Christum esse venturum, & capite immaniter damnandum: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.* Siue hebdomades istę annorum sint, siue mensium; aut aliquâ aliâ ratione enumerandę; mille sexcentorum annorum spatium, vel supra, elapsum est, ex quo suis sunt numeris absolutę. Tot abhinc annis mortales inter vixit Christus. Idem ex Genesi liquidò patefit, vbi Iacob

Non est prudentis omniū judicio aduersari.

Iosephus de Christo meminit. Antiq. l. 18.

Probatur venisse Messiam.

Dan. 9.

eſt vaticinatus, tunc proximè adfuturum Meſſiam, cùm Iſraelitici Regni faſces Iudęorum effugerent manus exteros dominos quęſituri; & milleſimus ſexcenteſimus annus voluitur, ex quo gentilitia Hebręorum purpura expirauit, nec ſua de gente regem ſalutârunt. Vt igitur ab omni mendacij vmbra vaticinium aſſeratur, tot iam effluxiſſe annos, ex quo ſe Chriſtus orbi credidit, fateamur neceſſe erit.

Veniſſe Meſſiã Iudæi ipſi fatentur.

XLVI. Sed quid hunc anxiè laborem ſubeo? cum noſtras ipſe populus jam partes egerit, fatens nimirum, quod nos modò illi impensè adeo conamur patefacere. Quando Pilatus, contendentibus iniquè Iudęis, inſontem Chriſtum capitis per ſummum ſcelus erat damnâturus, vt illos ab improba hac mente deduceret, nullum nõ mouit lapidem. Si Chriſtum, inquit, in crucem agam, in Chriſto Iudęorum Regem cruci affigam: At illi contentioſè, & impudenter: *Non habemus*, inquiunt, *Regem niſi Cæſarem*. Bene eſt, arguit Diuus Auguſtinus; Vos, vt fatemini, omnem alium Regem neſcitis prệter Cęſarem: Cęſar non veſtras eſt, vtpote qui Romanus, & extero ſolo natus: Quapropter, clamante Iacob vaticinio, adfuturum propediem Meſſiam, cùm Iuda cum regnum in regum exterorum ditionẽ, juſq; conceſſerit, aduenisse apertè fatemini. Ea eſt veritatis vis, vt ab ijs etiam vel imprudenter proferatur, qui eam impudenter premere ſtudent. Itaq; in Iſraelitarum ore illam deprehendimus veritatem, cui ijdem obſtinatè aduerſantur; & vel inuiti teſtantur veniſse Meſſiam, cùm illius aduentũ inficiari ardentiùs ſatagunt.

Ioan. 19.

Chriſti Diuinitas patefit.

XLVII. Sublatâ omni de Chriſti exiſtentiâ hæc per argumenta dubitatione, ipſa nos res hortari videtur, illius Diuinitatem inueſtigare, & eâ, quâ poterimus, luce detegere; hominem enim fuiſse, mors, quam eſt perpeſsus, Crux, cui affixus, Sanguis, quem effudit, planum facit; quorum profectò Diuina in ſe Maieſtas non modò immunis, ſed & incapax ſuę naturę legibus eſt. At verò aliquid in Chriſto eminére, quod communem hominum ſortem excedat, hoc eſt, non tantùm hominem, ſed etiam verè Deum eſse oſtendit, vt ſupra monuimus, Ioſephus Iudaici

gene-

generis disertissimus, quos antiquitas commendauit. Mira Christi prodigia, & nitidissimum doctrinæ lumen ad hanc veritatem probandam suppeditant Iosepho argumentum. *Fuit*, inquit, *IESVS vir sapiens, si tamen virum fas est dicere; erat enim mirabilium operum patrator: Christus, id est, Messias hic erat.* Quid quæso illud est, *si tamen virum fas est dicere*? nisi supra hominum fastigium Christum locare; ac asserere, illum, qui tot miracula perpetrarit, non minorem Deo esse. Ex apertâ prodigiorum cognitione in latentem Christi Diuinitatis intellectũ prudentissimus Hebręus deuénit, ad quam etiam cognitionem facem præluxit sapientiæ splendor, quæ in Christo mirificè elucebat. Si igitur Iudæi Diuinitatem Christo denegant, suis refragantur authoribus illisq; mendacij labem aspergunt: at quæ insulsior ignorantia, quàm quæ mendacij notam doctioribus inurit? Sapientibus oblatrare, indoctis solenne est; à quo quidem more Iudæi non abhorrent lucis impatientes (quę illorum animis illucescere studiosè conatur) ne se tenebris expediant, quibus obruti vitam ducunt.

Indocti sapientibus oblatrant.

XLVIII. Verum enim vero ad diuina nos eloquia conferamus, ne tanti ponderis rem fidei nostræ, ac Christianæ Religionis fundamentum humanis tantùm argumentis librare videamur. Ferax est locorum Nouum Testamentum, quibus veritati nostræ fides maxima cõcilietur. Quid aliud prę se fert illa laudatissima Diui Petri Confessio? *Tu es Christus filius Dei viui.* Quid illa Diuæ Marthæ in fratris Lazari Resurrectione? *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Beatus Thomas quid aliud expressit, cũ exclamauit? *Dominus meus, & Deus meus.* Pluribus abstineo, quia obruor multitudine. Ab ipsis tamen sua mutuari arma, vel suo, quod aiunt, gladio jugulare factu optimum credo; hoc est, Veteris Testamenti in ipsos argumentis vti. Cum enim illi apprimè credant, plus inde promanabit roboris veritati, quam iam Noui luce patefecimus, cui fidem nullatenus adiungunt. Vnisonum adeo concentum cælestis hæc vnius, & alterius Testamenti edit Harmonia. Cum vtrunq; enim eundem nactus sit Au-

Probatur Christi Diuinitas Noui Testamẽti locis.

Matth. 16.

Ioan. 11.

Ioann. 21.

thorem; hic eſt Deus, vtrunq; eidem veritati probandæ ſibi inuicem adnectuntur.

Oſtenditur Chriſti Diuinitas ex veteri Teſtamento.

XLIX. Primam ſeruet aciem argumentum idem, quod Chriſtus eduxit ad Diuinitatem ſuam aſſerendam. Quem parentem adeptus eſt Chriſtus? ſciſcitatur à Iudæis Liberator orbis: At illi, Dauidem, inquiunt; nec ineptè; ſi de Chriſto vt homo eſt loquerentur; quippè illum in filium Dauidi promiſerat Deus; de Virgine enim Dauidis filia, hoc eſt, longâ illi cognatione adjunctâ naſceretur. Hæc illibata Virgo Maria extitit Chriſti parens, hominum Princeps: *Iurauit Dominus Dauid: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. *De fructu*, ait, *ventris tui*, cum tamen Dauidem virum alloqueretur; licèt enim Chriſtus genus ſuum referret ad Dauidem, non virili id erat ſerie, ſed quia matrem obtinuit Inuiolatam Virginem, cuius è viſceribus humanam duxit naturam, qui Diuinâ non erat à forma alienus. Præterquamquod ſatis pateat vaticinium: hæc Sancti Irenæi, Tertulliani, ac Diui Auguſtini interpretatio eſt. Et Angelus ſuâ ad Virginem in legatione Dei oraculum Dauidi promiſſum confirmauit, manifeſtè exhibens, ipſum Deum, qui ſuam olim obligauerat fidem, illam modò ſoluere: *Concipies, & paries filium; & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius*. Tantâ inter ſe ſocietate vtrunq; fœderatur Teſtamentum, vt alterum tranſcribi in alterum videatur, rerum, quas continent, veritatem dilucidè omnibus demonſtrantia.

Pſalm. 131.

Luc. 1.

L. Verumtamen etſi Iudæi de Chriſti Humanitate rectè ſenſerint, hoc tamen Aſſertor confecit argumentum; cujus nos veſtigijs inſiſtimus, vt cum Humanitate Diuinitatem etiam ſuadeamus. *Quomodo ergo*, ſupremus arguit Magiſter, *Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis*? Si filij in Chriſto ſubmiſſionem agnoſcit, quid Domini faſtigium veneratur? maius homine aliquid in Chriſto colit. Dauidis eſt filius, quia homo; Dauidis eſt Dominus, quia Deus. Tantum ineſt roboris argumento ad Chriſti Diuinitatem comprobandam, vt nullum Iudæis fecerit reſpondendi locum:

Pſalm. 109.

Et

Et nemo poterat, inquit Matthæus, *ei respondere*, nec deinceps cujusquam animo ea incessit audacia, vt Christum lacesseret ad certamen: *Neq; ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*. Sed quos vincit veritas, triumphat obstinatio. Matth. 22.

LI. Isaiæ vaticinium Dauidis adjungere oraculo in rem fore credo. Ait itaq; Isaias: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis; cuius imperium super humerum eius*. Ad literam Vati de Christo sermo est. Quem hominem dicit, cùm ait: *Puer natus est*: Quem Deum nuncupat, cùm inquit: *Filius datus est nobis*. Et consultò non ait Vates: *Natus est filius*, sed *natus est puer*; de temporaneo enim ortu loquebatur; & cujus à Matre natiuitatem, vt pueri, tempora metiuntur, ejusdem ab Aeterno Parente ortum, vt Dei filij, nulla secula comprehendunt. Quòd Oraculum de Christo sit explanandum, indubitatum est: ita illud exponit Sanctus Ambrosius de obitu fratris: *In puero enim nomen ætatis, in filio plenitudo Diuinitatis*. Ita illud explicat Lyranus & literæ sensu, & proprio, qui quidem natus, & educatus in Iudaismo, Christum postea fuit amplexus: Et Metaphrasis Chaldæa à Iudæis recepta explanat in hunc modum; *Datus est nobis Messias*. Quod probat authoritas, approbat etiam ratio: *Quid enim nouum*, argutè inquit Tertullianus, *Si non de filio Dei dicitur*? Quid seculis retroactis inauditum? quid admirationis dignum nobis prædiceret Vates, si de homine, qui Dei non esset filius, loqueretur? Vnde qui adhuc de Christi Diuinitate hæsitaret, & bellum indiceret rationi, & injuriam inferret sacris Vatibus. Isai. 9. S. Ambros.

LII. Sed rem istam Habacuc dilucidè adeò, vt nemo apertius, præcinuit. Varios rerum euentus, quæ Messiæ tempestate acciderent, Prophetes pergit vaticinari; & post multa Diuino hæc addit spiritu: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo*; Nec planiùs Propheta id dicere; nec pleniùs nos Iudæorum cæcitatem conuincere possumus. Dominum, ac IESVM appellat, Deum fatetur, ac colit, quod nulli alij cui hoc nomen inditum sit, vel cohæret, vel conuenit, nisi Christo IESV, quem Deum, Hab. 3.

ac Dominum meritissimâ Religione adoramus; vt ex fœderata vtriusq; Testamenti harmonia longè probauimus.

Euangeliũ scriptum Apostolorum temporibus.

LIII. Primum hoc est, quod à Iudæis, nec infringi, nec negari valet. Alterum, Euangelicam videlicet historiam Apostolorum temporibus fuisse literis consignatam, nec ipsi negant, nec eget argumentis; superuacanea enim hæc sunt, si causæ faueant omnium voces. Vt vsui etiam non sunt, quò suadere possimus, in Sacra Euangelij historia vaticinia de Christo contineri; cùm vix in illa extet pagina, vbi passim non offendas, hoc, vel illud fuisse patratum, *Vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam*. Quinetiam non rationes exigit fides vt teneat, omnia quæ Christus in Euangelio prædixit de profectu Ecclesiæ ab ipsius obitu gloriosè fuisse expleta, cùm vel oculis pateant; at quis oculis testibus non adhibeat fidem? Vnum hoc superest Iudæorum perfidiam non impunem relinquere; quippe qui illud, quod euenisse intuentur, obstinatè negant euenisse. Se Diuinum in terras Spiritum missurum, simul atq; paternum solium teneret, Apostolis Christus promiserat; quos tamen præmonitos voluit, vt muneri fidem haberent, quando illis collatum esset: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis*. Quia criminis inuidiam transferre nequit infidelitas, quæ quod acceperat in oraculis, absolutum intuetur, & tamen manet obfirmata. Tantum est caliginis in Iudæis, vt reclusis negent luminibus, quod clausis faterentur oculis; qui dudum euenisse aspiciunt, quod multò ante euenturum Christus prædixerat in Euangelio.

Ioan. 14.

Gabriel vigilãti Virgini apparet: dormiẽti Iosepho: & cur?

LIV. Accuratâ æstimatione perpendẽdum est, magnum illum Cœlestium ciuium Principem Gabrielem se euigilanti Virgini exhibuisse, cùm legati ad illam munere est functus de altissimo Dei filij Incarnationis mysterio castissimo in vtero efformando; at verò Iosepho, qui Virginem duxerat, inter dormiendum se se obtulisse, vt eodem de arcano certiorem faceret: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Noli timere &c. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Virginis fides peruigiles oculos postulabat,

Matth. 1.

ſtulabat, quos ſomno oppreſſos Ioſephus non excitat ad credendum: illic fidei prælucent oculi, quia facienda, hic luce non eget fides, quia facta credenda erant. Pulcherrimè ad rem Chryſoſtomus; *Virgo autem*, inquit ille, *indiguit quaſi primò de maximis inſtruenda*. Quaſi diceret: Ne miremini plus ad myſterij fidem Virgini, quam Ioſepho fuiſſe opus; quia Virginis fides euentum præoccupabat: *Concipies, & paries Filium*: at Ioſephi fidem euentus præceſſerat: *quod enim in ea natum eſt*. Virgo crederet, (vt credidit,) quod nullis argumentorum fulcris fulciebatur ad fidem: Ioſeph crederet (vt tandem credidit) quod multis ſe ſignis indicabat, & conijci poterat; patebant enim effectus, tametſi lateret illorum cauſa. At verò ad ventura credenda robuſtiori opus eſt fide; quæ ad præterita ſatis eſt infirmior, vel etiam exoculata. Vnde ſuam infidelitatem expurgare non vnquam valebunt Hebræi, quandoquidem nolunt fidem habere ijs rebus, quas accidiſſe non ſolum authores ſunt Euangeliſtæ, ſed multò etiam antè illorum Vates. Quinetiam hominum naturam videntur Iudæi exuere, dum peruicaci animo obluctantur rei apertiſſimæ, ſe enim hominem negat, qui Fidei myſterijs fidem denegat. Petrum ad ſupplicij ſocietatem vocare, quia in Chriſti ſocietate aſpexerant, conati ſunt olim Hebræi: at ille, vbi hanc ſibi inuidiam ſenſit impoſitam: *Non ſum*, inquit; non ſolùm obſtrictam non retinuit fidem, ſed hominis etiã amiſit naturam: *Non ſum*, deſiit eſſe, vbi fuit infidus Magiſtro. Nihili enim eſt, qui fidus non eſt. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihil intuitus ſum, & non erat homo.* Dei vox eſt apud Ieremiam. Sed ſi innumeris hominibus tellus frequens erat, quid cauſæ eſt, vt nullum Deus in terrarum orbe aſpexerit? *Et non erat homo*. Idolorum cultui dicauerant animum, nec primis fidem hauſerant labris; quis ergo homines diceret, quos belluas prædicabant geſta? in his enim numerandus, qui rationis faſces non ſubmittit Diuinis myſterijs.

Se hominẽ negat, qui negat fidẽ.

Ioan. 18.

Ierem. 4.

Oſtenditur Chriſti Diuinitas ex æquitate legis, quam docuit.

LV. Eandem Chriſti Diuinitatem, quam authoritatis momentis comprobauimus, quam rationis argumentis cõfirma-

firmauimus, docet æquitas legis, ac integritas, quam Christus orbem edocuit, & terris commisit; Euangelicam nimirum legem, quam vnicè, quam ritè & amplectimur, & colimus, qui nomen dedimus Catholicæ Romanæ Ecclesiæ.

Ethnicorũ leges mendacijs plenæ, & erroribus.

LVI. Veteres Caldæi, Aegyptij Babylonij, Persæ, Græci, Romani, alijq; Ethnici, quos Sapientia commendauit posteritati, quas leges Religionis tulere hominibus, mendacijs omnes scatebant, & erroribus. Et qui orbem edocere debuerant vnius inuisibilis, & immortalis Dei cultum, ac venerationem, monstrosâ visibilium, ac fluxarum rerum, vel etiam nullis non sceleribus obstrictarum, adoratione, turpârunt infeliciter terras. Et superstitioso isti cultui, quam dicimus idololatriam, ingemuit orbis obnoxius, dum suo caruit Assertore, tum ingenti intellectûs caligine, tum scelere voluntatis affectæ: quas dotes hæreditario veluti iure, principis sceleris pretium accepêre mortales à primis parentibus. In quo non leuiter indicârunt, has gentium leges esse, quarum Deus administrationi non adesset, non verò Dei Sanctiones, quæ populos regerent, ac ducerent: id enim discriminis intercedit inter Dei, ac gentium leges; quòd gentium sancita nulli innitantur stabili fundamento; quippe quæ longè abhorrent à veritate; Diuinæ verò leges, vel quæ Diuino jubentur spiritu, nihil non continent absolutissimum, vtpote quæ vni incumbunt rationi. Prophetam Ieremiam sibi authorem vendicat hæc sententia: *Leges populorum vanæ sunt*. Quod olim de legibus Ieremias, nos modò de Religione asserimus. Vna tantùm Christi religio rationi congruit nunc temporis, & nullius sceleris infecta labe recentem integritatis florem, primamq; sanctimoniæ venustatem retinet, & retinebit in posterum; Diuinam enim Potentiam sui authorem, fautricemq; assequitur. Hujuscemodi res habuit.

Dei lex nihil non cõtinet absolutissimũ.

Ierem. 9.

Mortaliũ rei miseretur Deus.

LVII. Immenso idololatriæ cataclysmo humani generis moles penè naufraga in præceps ibat: grauabat ruentis pondus infandi amoris vis, qui assiduus hæret comes mortalium pectori: vel potiùs iniquis agitata fluctibus scelus scelere, & crimen cumulabat crimine, augebaturq; in dies

propa-

propalata impietas; donec prauis cum Angelis ad malorum ſupremum deciderit ſempiternas in tenebras. Cùm Deus ab altiſſimo ſuæ Maieſtatis ſolio tellurem deſpexit ſuis effusè indormientem ſceleribus: non aliàs ſuas partes fortiùs egit Clementia; ſubſequitur oculos tanti infortunij commiſeratio, quo ſubmerſos mortales intuebatur, cumq; videret poſſe homines tanto à morbo conualeſcere, Diuinam manum admouere laborantibus, ac ſtrenuè opitulari induxit animum: & id in conſilio habuit, cùm Mosè internuncio tulit Iudaico populo ſcriptam legem; quæ illum ritibus informaret Religionis, quam exhiberet rerum molitori, ac adminiſtratori Deo, qui idem Dominus cùm ſit, ſuo Iudæos dignabatur alloquio, edocens quibus vitam rationibus, ac operibus inſtituerent, vt æternam felicitatem in ſpe haberent, & adirent, conciliantibus fidem veritati inſuetis orbi prodigijs, quibus patrandis vna tantùm par eſſet Diuina Potentia.

LVIII. Eandem Religionis diſciplinam aliorum Prophetarum operâ labentibus annis populum edocuit accuratiùs, approbante doctrinam ingenti prodigiorum vi, quibus orbi admiratione͂ injecit ſingulas in ætates; quia Noemi inſtar pro fabrilibus armis ſuo vtens verbo vnicam ſuæ Eccleſiæ arcam fabrefacere ſtuduit Deus, vt communis exitij, & eluuionis ij ſuperſtites fierent, qui Diuino ſermoni adjungerent fidem. Prima jecit operi fundamenta Iudaicus præſertim populus electus vnicè Deo. Poſt Soſpitatoris aduentum illud affabrè continuatum perduxit ad ſummum faſtigium Deus, Ethnico præcipuè populo ſuam operam conferente, donec tandem vnius, & alterius gentis Iſraeliticæ nempe, & Ethnicæ multitudine in vnum confluente moles eſt ſuis graphicè numeris abſoluta (vt in Prophetica vtriuſq; Teſtamenti Harmonia iam docuimus) cùm omnes conſtruendæ Eccleſiæ Chriſtianæ egregiam nauârint operam; omnes, inquam, qui ſe conferunt ad illius limina, & veram Crucifixi Chriſti fidem amanter excipiu͂t, ſiue Maurus, ſiue Ethnicus, ſiue Iudæus ſit; omnes Chriſtiana Religio patentibus portis amplectitur, cùm omnibus,

Mortales edocet Prophetarum operâ.

bus, & propter omnes explicauerit Christus in Cruce brachia. Omnem aliam sectam prius eiurare necesse est, hanc vnam velis, remisq; sequi; hanc profiteri verbis, hanc corde amplecti; omnis enim alia Religio, veriùs superstitio, mendax est, inanibusq; capitibus excogitata, omnino abit à vero, datura sequacibus damnationem. Et cum eæ fuerint omnes aliæ (vnâ Christi exceptâ) eluuionis fluctibus submersæ periere miserrimè cum sectatoribus. Hæc Diuina tantùm arca, cuius Deus Protofaber, cuius Magistri Prophetæ, qui suum in illa munus explicuere, ac postremò omnium Vnigenitus Dei Christus IESVS Nauarchus extitit, & Archimagister; hæc, inquam, vndarum cumulis longè eminens omni defuncta periculo in æternæ trãquillitatis portum suos nautas, suosq; vectores fortunatissimè exponit.

Chaldæi igni Numinis Religionem tribuebãt. Ægyptij animantibus. Babylonij, & Persę Regibus suis. Romani hominibus

LIX. Vana, superstitiosaq; fuit fuit veterum Chaldæorum disciplina, quæ diuinis honoribus colendum ignem edocuit. Aegyptiorum, quæ rebus omnibus creatis Diuinitatem abjudicabat, & infima quæq; animantia flexo ad humum genu venerabatur. Babyloniorum, & Persarum, qui reges suos, illorumq; imagines, & viliora etiam Religiosè adorabant. Græcorum, & Romanorum, qui collatis sibi beneficijs impulsi, viris ac fœminis nullis non sceleribus coopertis Diuinitatem deferebant. Mendax, aduersa rationi, nec vllo causanda nomine Mahometica secta est; quæ cum Christum magnum Dei Prophetam fateatur, Sanctimoniâ clarum, expertem criminis; & qui suâ cum Matre Sanctissima Virgine imperium Satanæ nesciuerit; & qui mira retroactis seculis inaudita patrauerit, sui tamen sectatores à rectà declinat, & ab Euangelicæ legis veritate abducit, vt delira Mahometis somnia vel inuiti (vt fit) amplectantur.

Mahometica Secta omnium iniquissima

LX. Nec alijs pingenda coloribus est disciplina illorum, qui cùm nauem, & portum in prospectu haberent; quò saluti consulerent suæ, Prophetarum doctrinam, & eorum Domini sancita excipientes, non omnia amplexi neglexerę partem; vel vt suæ fidei libertati seruirent; vel vt

Hæretici abhorrent à vero.

fluxis vtilitatibus ancillarentur, amârunt perire excluſi: vt ſunt horum temporum hæretici,& fuere ſuperioris memoriæ; qui Chriſtum agnoſcunt, & colunt; ſed quâ illius fidem ratione obſeruent, non habent penſi; & ſe Chriſtianos jactant ſuùm potiùs ad arbitrium, quàm ad Chriſti voluntatem conformati.

Præſentiū Iudæorum ſuperſtitio nullius Sectę delirijs componēda.

Sed nullius Sectę componenda delirijs preſentium Iudęorum ſunt dogmata: longè omnibus præeunt falſitate, præſtant cæcitate; nec quid in excuſationem afferant offert ratio; quia poſt tot ſeculorum decurſum, quæ terrarum Seruatoris expectationi deſtinauerant, poſt ipſius aduentum, quem abſoluto redemptionis munere inexhauſto ſuæ veritatis lumine ſacrauerat, illum Iudæi velut ignotum expulere; & tot poſtea annis elapſis, illiuſq; doctrinæ radijs vniuerſum orbem illuſtrantibus, obſtinatis adhuc abnegant animis, & ad alium ſpes deflectunt; cùm id aduerſetur vaticinationum veritati,quæ ſunt abſolutæ in Chriſto; Diuinæ Potentiæ viribus, quas perpetrata prodigia in ipſorum Iudæorum conſpectu commendârunt:Legis integritati;Authoritati Eccleſiæ,Doctrinæ rationi; Martyrum teſtimonio; Doctorum judicio; Dictorum documentis; ac deniq; eiuſdem fidei perſpicuitati refragetur.

Se[illegible] multitudinem in orbem intulit,vel ſtultitia, vel voluptas.

Monſtroſam Sectarum legumq;multitudinem duo præcipuè orbi intulere, vel obſcura mentis caligo, vel effrena vitæ libertas; illa, quòd Deum ignoret,rebus creatis defert cæleſtes honores; hæc, quòd voluptatibus indulgeat, ſibi apprimè placet de ſuis dogmatis: approbat Chriſti legem vt æquam; ſuis perſtat in erroribus, vt voluptuoſa, effrenem libertatis licentiam ſaluti præferens. At verò cæca Iudaicæ infidelitatis caligo non modò Euāgelicæ legi bellum indicit; ſed odij ergo, quo æſtuat in Legislatorem Chriſtum IESVM, illum improbat;vt fictum ſperet,verum abijcit;cùm jam aduenerit, veniſſe negat,vt in alio,qui nunquam accedet, ſpem locet.

Hebræi ſperare neſciunt.

O peruicacem non voluntatis modò perfidiam! ſed inſanum etiam mētis deliramentum! ſperandi rudes ſunt Hebræi; qui ſperent, quem ſperare nefas eſt: in certum damnationis trahuntur diſcrimen, quia incertâ aguntur ſpe. Ne arbitremini (Iudæos Chriſtus alloquitur)

Ioan. 5. loquitur) vos à me argui; Moses vos insimulat: *Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis*. Moysi apprimè credunt; & tamen, ait Seruator, à Moyse damnantur; cùm enim suam deberent Christo spem dicare, mutârunt, & tribuére alijs, quam debebant Christo. Quid igitur mirùm plectantur exitio, qui ab spe deflectunt; certa damnationis est via, quà deuiat à vero spes. Hoc Iudæorum flagitium fuit; hoc in præsens crimen est, expleto in illis vaticinio eisdem prænunciato, & multo antè tempore aperto, vt saltem id credant postquam euenit, quod multò ante fuit prædictum. *Moriemini in peccato vestro*; Minatur illis Assertor. Vbi animaduertere est dixisse Seruatorem: *in peccato vestro*; sunt enim crimina, quæ multos plerunq; sua tabe inficiant: at verò est scelus, quod Iudæos tantùm corrumpat: hoc perfidiæ peccatum est, ait Euthymius; etenim cùm verum tenerentur Messiam omni officio prosequi, aliũ, & nullo nixi fundamento expectant, qui nunquam adueniet. Vnde obliquas ducere spes, nec rectà incedentes, peculiare Iudæorum est crimen; atq; iccirco minatur illis Christus: *Moriemini in peccato vestro*: in peccato, quod vobis & speciatim, & tenacissimè inhæret, in vobis enim futuri nunquam spes perfidiæ adjungitur. Itaq; decedetis, nec ille accedet: in vos vestræ sententiam spes ferent, quippe quos illius fides, quem expectatis, non reddet sospites; spei vestræ fabula vos damnabit, quia nullam ab illius veritate, qui suo iam terras aduentu fortunauit, decerpere vtilitatem studetis.

Ioan. 8.

Perfidia est tantùm Iudæorum.

CAPVT TERTIVM.

Christi prodigiorum cum Euangelica Lege Harmonia.

Secundus Concentus à Christi miraculis.

LXI. INter argumenta nobis à sacris oblata literis, quæ verum Messiam demonstrarent hominibus, mira ab illo edenda numerantur. *Tunc aperientur oculi cæcorum*, inquit

Isai. 35.

inquit Iſaias, *& aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Hoc in Chriſto indicium haud obſcurè expletum eſt ob ingentem prodigiorum vim, quæ ſunt ab ipſo geſta; atq; hoc obtulit Chriſtus Baptiſtæ alumnis in argumentum, quo ſe verum Meſſiam eſſe omnibus indicaret, quem legis promiſſa, & Vatum oracula prænunciauerant orbi: *Renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis: Claudi ambulant; cæci vident; ſurdi audiunt; mortui reſurgunt*. Et cùm Martha vitales ad auras reuocatum fratrem Lazarum aſpexiſſet, Chriſti Diuinitatem illico venerabunda agnouit; ſolius enim Diuinitatis voci mortis clauſtra obtemperarent: *Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter* (ſunt Nicodemi Iudæorum principis voces) *nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Per eadem prodigia, quibus Prophetes illius agnitionem nobis indixit, per eadem ſe Chriſtus omnibus aperuit, ſiquidem oraculorum veritati patratis ſupra naturam rebus examuſſim reſpondebat. Vnde illuſtrior fiebat Meſſiæ aduentus, cùm ederentur, quæ ab illo gerenda eſſe prænunciatum fuerat harmonico inter Noui Teſtamenti prodigia, & veteris vaticinationes concentu; vt in vtriuſq; conſonantia præclarè eluceſcat, verum habere omnia, quæ Meſſiam aduenisse dicunt, eumq; Chriſtum IESVM ſectiſſimæ Virginis filium eſſe, vt certè eſt, approbant. Quæ ſunt à Chriſto patrata miracula, ſunt & ab Apoſtolis, atq; Diſcipulis illius nomine edita; & continenter miris vbiq; rebus Eccleſiam exornauit. Miraculi nomen indimus ijs rebus, quæ omnem exhauriunt admirationem, & quas Deus incircunſcriptæ Potentię, ac ſuę virtutis viribus perpetrat naturę inacceſſas conatibus. Tantùm ponderis vero ineſt miraculo, vt vel vno commotus orbis poſſet reſipiſcere. Et cùm omnem excedant numerum, quę Chriſtus edidit, quemadmodum authores ſunt Euangelici Scriptores, & Catholica tenet Eccleſia, eſtq; in confeſſo vel etiam apud infenſiſſimos noſtrę fidei aduerſarios, Iudaicę nempe, ac Mahometicę diſciplinę profeſſores, illos in Thalmud, hos in Alcorano.

Luc. 7.

Quid sit miraculũ.

Quî, quęso, sceleris inuidiam transferent Iudęi, qui Christum Assertorem suum non consalutare obstinatè pergunt? Cùm enim idem Dominus, & Seruator dictis, miréq; factis se Redemptorem omnibus exhiberet, nulla improbandum ratione, nulloq; pacto infringendum euulgauit testimoniū; neq; enim fieri queunt prodigia, quę fictę rei testimonio sint; cùm Deo primo illorum conditori pręsertim tribuantur; & mendacij manifestus haberetur Deus, si in mendacij testem prodigium adhiberet; quod non modò execrabilis error est, sed aperta etiam ignorantia: cùm ingenitum intellectui lumen planè edoceat, eâ Deum esse veritate; vt nec ipse falli, nec fallere nos eualeat. Itaq; qui nec olim, nec modò volunt ad Christi fidem se adjungere, causâ omnino excidunt; atq; iccirco illos Christus acerrimè arguit & increpauit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Et priùs: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*.

Nequit testimonio esse rei fictę.

Ioan. 15.

Innumera Christi prodigia.

LXII. Haud facilè numero comprehendi possunt, quibus orbem prodigijs vltimo vitę suę triennio Christus impleuerit. Vitę reddidit vitâ functos: lucem captis oculis: spoliatis auribus auditum restituit; artuum vsu interdictis sanitatem: confirmatam laborantibus valetudinem; dominantes hominum corporibus dęmones expulit; mentes omnium introspexit: instabilibus maris vndis, firmo velut in solo, gressum posuit; alias in naturas alias mirabili metamorphosi conuertit, quin vel tempus, vel naturalium caussarum concursus id exigeret: tumentes maris fluctus debacchantibus vndiq; ventis agitatos perdomuit: orbem minaci terræmotu concussit, solem deniq; inuito naturæ ordine intempestiuis tenebris obduxit. Ijsdem Apostoli facinoribus strenuè institere; & illorum ope, non obarmatis copijs vniuerso imperantem orbi idololatriam impigrè profligârunt, terrasq; ad Christi Liberatoris fidem traduxere.

Solis Eclipsis in Christi obitu.

LXIII. Sed vt nostræ credulitatis perspicuitas præclariùs exemplis pateſiat, ea perstringemus, quæ Christus prodigio-

digiosius gessit. Primum obtineat locum illa Solis eclipsis, quâ suum quodammodo dolorem testatus est Sol, cùm orbis Sospitator salutari ligno affixus Aeternum Parentem humano generi propitiaret, die quadam veneris (quam vocabant Parasceuen) eâq; tempestate, quâ Paschalis agnus immolabatur, Lunari orbem implente sidere, vt erat Amos vaticinium: *In illa die occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*. Iuxta naturæ leges insperatis tenebris inuolui Sol poterat nullo pacto, vt à meridie, quo Christus in crucem est actus, ad tertiam vsq, horam euênit, deplorantibus communem lucem ijs orbis plagis, quas Sol illustrabat tunc temporis. *Amos 8.*

LXIV. Testantur hunc solis laborem Euangelij quatuor historici, quibus accedit Dionysius Areopagita ad miraculum vsq; philosophus, qui cum Apollophane, cui maximè assueuerat, cùm Heliopoli in ciuitate Aegypti cõmoraretur, non adhuc ad Christianam fidem adscriptus diligenti peruestigatione obseruauit eclipsim. Nec alius ab hac sententia Phlegon, cujus maxima inter Ethnicos authoritas. Fuisse miraculum haud difficulter ostenditur, iuxta enim naturæ præscripta nequibat Sol in plenilunio obscurari; siue id fieret celerrimo cursu subeunte Luna, ac se ex aduerso opponente Soli, vt certè contigit; & author est Magnus Dionysius; siue detentâ sub terris Luna, qui locus in plenilunio ei proprius per id tẽporis, amouit Deus è Sole lucem, damnauitq; tenebris, vt pullata veluti indutus veste Conditori suo parentaret. Non absq; miraculo hæc eclipsis, his enim signis non nisi his affinia damna portenduntur. Dionysius Areopagita meminit de Eclipsi.

LXV. Prodigium hoc tantam omnium exciuit admirationem, vt Areopagitæ ad Christum accessio illi se retulerit acceptam; cùm Athenis prædicante Paulo Deum illum, qui Athenienses latebat, cuiq; sacrauerant aram hoc lemmate: *Ignoto Deo*, eum esse Dominum, cuius in morte hunc Sol laborem subijt, cùmq; prodigij venerit in mẽtem, dedit manus veritati, & Crucifixi Christi fidẽ strenuè amplexus est, quam prædicauerat Apostolus; vt latè ostendit doctissimus Pater Cornelius à Lapide in Caput decimum septi-

septimum Actuum Apostolorum. Ea fuit miraculi vis, vt vel ipse populus, qui totis manibus Christum depoposcerat ad mortem, deficientem Solem, oppressúmq; tenebris orbem aspiciens facinus suum damnauerit, ac vrbem admissi sceleris pœnitentiâ tactus repetiuerit: *Et omnis turba percutientes pectora sua reuertebantur.* Quod hîc prætermittere non operæ pretium duxi, illud est, quòd cùm Christus gentem hanc illustrare omni studio institerit, tenebris id munus mandauerit. Suæ adhuc Sole lucis compote, tanquã proiectæ impietatis virum Christum morti destinârunt; horrentibus obducto tenebris, nullius compertum criminis agnouerunt: *Iniustè occisum dolebant*, inquit Venerabilis Beda. Præclaram suæ Diuinitatis testificationem Christus in re huiuscemodi exhibere voluit, opem à tenebris afferés cæcitati; hæc Iudæos; illæ occupauerant Solem. Lucem abstulit oculis, vt conferret cordi. Magis ad vitæ limina ardenti in astro facem prætulit, Iudæis ad mortis confinia latenti in Sole lucem indulsit; quòd enim in Magis nõ extra cæcitatis fines vagabatur; in Iudæis obstinationis limites superabat, & cordis pertinacia magnâ è luce maiora incrementa haurit: nimia enim officit radiorum vis. Quò latiùs spatiatur conspectus, eò arctiùs contrahitur fides. Itaq; in maxima perspicuitate, minima fides est. Quid igitur egit Christus? Sese Iudæis attemperauit; cæcitatem alteram medicatus est alterâ; quæ hærebat pectori, accepit ab illa opẽ quæ occupauerat oculos, ineuitabili Christi Diuinitatis argumento, non fauentibus affectæ valetudini pharmacis mederi vnius est Dei.

Luc. 23.

Iudæos tenebris Christus illustrat.

LXVI. Sin dictis refragaris; quando temporis, quæso, Christum agnouit Saulus? Damascum viam ineunti se Christus Saulo tulit obuiam, tantus fuit lucis splendor, vt oculorum lumen extinxerit: *Et subitò circumfulsit illum lux de cælo, apertisq; oculis nihil videbat*. Et illicò: *Domine, quid me vis facere?* Quem lux obcæcauit, illustrauit cæcitas; spoliauit lux oculos visu, cordi lumen cæcitas impertiuit; cùm pertinaci enim esset animo, ad nimiam lucem ingrauesceret obstinatio; at visûs defectus soluit peruicacitatem;

Saulum ad se Christus conuertit.

Act. 9.

Lucem

Lucem auertit Christus ab oculis Sauli, vt ad se cor Sauli conuerteret. Vbi enim Pauli mentem subijt, adhiberi à Christo in medicamen & præsentissimum, cæcitatem alteram alteri cæcitati, & noxijs valetudini medicinis ægro salutem tribuere, Deum esse nullatenus dubitauit, qui ita calluerit medicari: Oppositis nempe vijs optatum, ac destinatum finem attingere, vnus id Deus agere & noscit, & potest. Iccirco humanæ salutis Parens obtexit tenebris Solem, vt caliginem expelleret Iudaico è Populo, egregio suæ Diuinitatis testimonio; quæ insolito in prodigio, vel maximè eluxit: *Verè hic homo filius Dei erat*, exclamauit Centurio, Simulác solem suspexit oppressum tenebris, probè tenens non alium à Deo esse, qui vmbras in lucem verteret, & confertâ tenebrarum caligine nitidissimum fidei lumen accenderet. *Marc. 15.*

LXVII. Secundas obtineat partes eiusdem Liberatoris Christi gloriosa Anastasis iuxta Oseæ, ac Diuidis vaticinia: *Viuificabit nos post duos dies, & die tertio suscitabit nos. Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam*. Consignârunt prodigium literis quatuor Euangelij Scriptores; alijq; Apostoli sacris in Epistolis. Qui Christo à Resurrectione familiariter sunt vsi ad dies quadraginta, quibus amicè admodùm illos allocutus nullis beneuolentiæ, aut amoris signis prętermissis illos Sacrę Scripturę locos pręcipuè tradidit, qui edocebant, vt cęlestes iras humano generi impendentes suo potissimùm capite exceperit: vt exacto triduo deposito mortis horrore surrexerit triumphator è tumulo; quinetiam sese dedit omnibus in conspectum, & attingi, & attrectari est passus, & cibo, & potui inter illos indulsit; modo priuatim singulis, modò discipulorum nonnullis: & semel quingentis in vnum conuocatis apparuit: ac tandem in conspectu totius multitudinis fratrum conscendit cęlestem patriam; vt etiam atq; etiam prędixerat Regius Psaltes. Christi Resurrectio 2. prodigiũ *Os. 6. Psalm. 13.*

LXVIII. Hoc Christi Resurrectionis miraculum ipso in corpore, in quo crucis dolores pertulerat; sed quod iam imperuium cruciatibus subtilitatis, atq; agilitatis dotibus

tibus prǫditum ad felicem vitam reuocauit, cōſtanti adeo veritate certum, totq; fuit demonſtrationibus comprobatum, vt dubio procul ſit. Prǫter quatuor Euangeliſtas, Apoſtolos, ac Chriſti diſcipulos, teſtatur hanc veritatem infinita propemodum prodigiorum vis, quǫ ipſi Ieroſolymǫ, vt teſtimonio ſuo fidem facerent, prǫclara geſſerunt. Quapropter, ſi certiſsimum habet ſurrexiſſe Chriſtum, & à Deo ad id honoris faſtigium fuiſſe euectum, gloriâ, & immortalitate prolixè donatum, ac perductum ad cǫleſtis imperij maieſtatem, illiuſq; ſummum creatum Principem, vt ſacri Vates ediderant; non vnguem à vero abijt, quidquid Aſſertor orbis edixit; cui maiori, quàm poterat mundus pretio ſtetit, ſuo ſanguine: quemadmodum Chriſtus ipſe expoſuit, & Prophetǫ prǫdixerant, noſq; ſupra ad nauſeam vſq. docuimus. Aliàs enim ſupplicio eſſet affectus, & non exciperetur prǫmijs, vt verè contigit: Luc. 24. *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.*

Lazari Reſurrectio. 3. prodigiū

LXIX. Tertium prodigium illud ſit, quod anſam maiorem prǫbuit Chriſti neci, Lazari reſurrectio; quǫ eam admirationem iniecit omnium animis, vt Iudǫorum plures, qui rei interfuere, ſeſe Chriſto adiunxerint. Duo híc nobis prǫcipuè expendenda; alterum rei magnitudo, quǫ hominem quatuor ipſos dies iam humatum reſtitutum offert vitalibus auris: alterum veritatis, Chriſtiq; potentiǫ comprobatio, quǫ in gratijs Aeterno Parenti ab ipſo habitis non vulgariter eluceſcit: *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me: ego autem ſciebam quia ſemper me audis; ſed propter populum qui circumſtat dixi, vt credant, quia tu me miſiſti.* Ioan. 11. Sin aliter quid, quǫſo, hoc maximum prodigiorum in illud diſtulit tempus, quo afflictǫ, ac perditǫ mortalium rei conſuleret ſuum per ſanguinem, niſi vt diuinitatem ſuam Iudǫis manifeſtiùs aperiret, & ad ſuam alliceret fidem, quorum peruicax cordis tenacitas obſtruxerat aures & lumina, quominus ad tot rerum mirè geſtarum (quot ad eam diem patrauerat) voces, ac lucem expergiſcerent ad reſipiſcentiam: Tantæ enim rei eſt à mortis faucibus, & ſepulchri tenebris tot vitâ diebus functum

ctum negotio adeò facili vindicare in lucem, vt diuina solummodò potentia (quemadmodum Christi est) sat sit operi admodùm egregio.

LXX. Iam verò si callosum sceleribus hominem adumbratum in Lazaro, vt vulgò creditur, erimus contemplati, illius in Resurrectione maiores radios effundit Diuinitas, quibus se agnoscendam mentibus ingerit; ab inueterata enim vitiorum morte in Diuinæ gratiæ vitam quempiã asserere, Diuinæ tantummodò est virtutis. Tantum facessit negotij præsentem diuturno, ac inolito vitio opem afferre, vt irrito euentu adhiberetur languenti medicina, ni medicas manus admoueret Numen. Filium ad Christum duxit pater, quem distorquebat immaniter Cacodæmon. Omnem, inquit, adhibuisse conatum Apostolos, quò acerbissimâ dæmonis seruitute eximerent puerum, sed frustra suscepisse hoc facinus. Quantum effluxit temporis, quærit seruator, ex quo inuasit puerum hostis? A tenero, reddidit parens, insano admodùm tyranno viuit obnoxius. Clementia quodammodo impotens patrem metu, filium dæmone, ac dolore leuauit oppidò Christus. *Interrogauit patrem eius, quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait ab infantia.* Mirum sanè! Puerum ab iniquo dæmonis iure ad Apostolorum vires obstinati eripere insistit Christus, & temporum rationem inquirit? Quid in rem est temporis cognitio? Nihil ad opem profectò, sed certè non parum ad mysterium. Amat omnibus fidem suadere, Deum se esse omnino negari non posse, qui puero iam inde à prima ætate laboranti potuerit medicari. Prodigio minores Apostoli, quippe qui homines; par & maior miraculo Christus, vtpote qui Deus. Eapropter Lazarum quartum iam diem funeratum ad vitam reuocat in omniũ oculis, qui fidem adstrueret Diuinitati. Quod postea prodigium in Iudæa Lazarus euulgauit, vbi plures vixit annos. Inde se in Galliam contulit, ibiq; Massiliensis creatus Antistes supremo tandem occubuit fato. Si verò Dei filij gloriam, ac titulum sibi Christus falsò vsurparet, illi minimè præsto esset Deus, cum rem vellet firmare prodi-

Lazarus peccatoris typus.

Marc. 9.

gijs. Neq; etiam illorum faueret conatibus, qui Christi disciplinam edocti Christi Diuinitatem studebant hominibus suadere, quæ in illo, illiusq; gestis mirum quantopere elucebat.

Christi in Ierosolymã ingressus 4. prodigium.

LXXI. Quartum illud prodigium sit, quod in celeberrimo Ierosolymæ vrbis ingressu Seruator edidit, quemadmodum Zacharias prædixerat, & Isaias, quos retulit postea Diuus Matthæus: *Exulta satis filia Sion: iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam.* Quod quidem euênit paucis post diebus ab inito per Iudæos consilio occidendi Seruatoris ob prodigiorum multitudinem, quæ gerebat continenter. Itaq; celeberrimum orbis oppidum (quæ erat Ierosolyma) ingredientem aspicimus pauperem, ac nudis pedibus, & omni aliâ supellectile in terris destitutum, vili sedentem animante ab ingenti populi vi maximo omnium plausu, & secundis acclamationibus exceptum, & quæ ad hanc diem nulli alij sunt attributæ, quas præcinuerat Dauid: *O Domine saluum me fac: O Domine bene prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini*, quæ eadem verba sunt, quibus Christum Regem salutauit Populus, vt vel imprudens expleret vaticinium, & expetitum Messiam cerneret esse illum, in quo Prophetarum eloquijs consonè admodum responderet euentus.

Zach. 9.

Psal. 117.

LXXII. Duo præcipuâ admiratione mentem percellunt in hoc prodigio. Primum, quæsitum ab hominibus Christum, & illustri adeo triumpho exceptum fuisse; cum tamẽ ita inops, ac omnium egenus incederet, vt ea, quæ ad triũphi apparatum vsui erant, sua non essent; quod mortalium moribus longè est alienum: ij enim ijs honorem habent, quos commendant vel opes, vel nobilitas. Secundum, Christo templum ingresso promptè adeo fuisse obtemperatum in negotiantium supplicio, qui templum optauerant ad id muneris, cum tot essent, quos lucri cupido alliceret, & magnam à mercimonio caperent vtilitatem: *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Supplicium enim, quod aucupantibus vtilitatem administris, & il-

Ioan. 2.

& illius gratiâ debitam Sacris Religionem violantibus irrogatur, vnius Diuinæ potentiæ argumentum est.

LXXIII. Vtrunq; profectò fuit admirandũ omnibus nõ vulgariter. Primũq; abũde erat, quod ad sanã fidem Iudæos traduceret. Primũ, inquã, Christũ eo affectũ honore intueri, quãdo innixa paupertati humilitas hominũ oculos potiùs auerteret, quã inuitaret. Pulcherrima D. Ioannis Chrysostomi admonitio est; flagitantibus enixè à Christo Iudæis, vt è Cœlo signum in suæ Diuinitatis argumentum præberet: *Rogauerunt eum, vt signum de Cælo ostenderet eis*, abnuisse Christum illorum postulatis quoadusque; ac tandem morti affinem perpetrasse prodigium, obducto tenebris sole, quò expirantem Conditorem lamentaretur. Id sanè miraculum fuit, inquit Chrysostomus, quod Iudæos vehementer impelleret, vt Religionem Numinis Christo tribuerent. Atsi hoc supererat; Christusq; quoad fuit in viuis, multò plura edidit in suæ Diuinitatis testificationem, cur hoc ad mortem distulit? Aptè Chrysostomus. *Multò mirabilius est in eo qui crucifixus erat hoc fieri, quàm ambulante super terram*. In terris Christi plausui, ac gloriæ seruiebant omnia: in Cruce omnia contemptum, ac paupertatem offerebant: blandiri Christo astrorum Principem, cui omnia famulabantur ad gloriam, non magnum profectò est: Se illi officiosum exhibere, in quem omnia conjurauerant ad despectum, omnẽ exhaurit admirationẽ. Principis splendore vti in obsequiũ; quo pauperis, atq; abjecti despicatũ prosequaris, quẽ pauperẽ colis, Deum prædicas. Quod de solis obsequio necis tempore dicimus, dictum etiam volumus de populi acclamationibus in triumphi luce. Regem salutari eâ paupertate hominem, quâ Christus incedebat, planum est facere, se non modò hominis, sed Dei etiam naturã sortiri.

Satis hæc prodigiũ, vt Iudæos conuerteret.

Hom. 8. in Matth.

Matth. 16.

LXXIIII. Quòd si prima prodigij pars ejusmodi veritatem patefecit; secunda etiam eandem asserit, nempe supplicium, quo in ministros templum profanantes animaduertit. Docet hac in re Diuus Hieronymus, Christum prius administris intulisse pœnam, quàm laborantibus cõtulisset salutem, qui se illi adjunxerunt eodem in templo:

Christi Diuinitas in supplicio negotiantibus in tẽplo irrogato enitescit.

 Nisi

Nisi autem mensas nummulariorum subuertisset, cęci, & claudi lucem pristinam, & concitum gradum non recepissent. Prodigia enim Christi Diuinitatem planissimè demonstrabāt, quod tamen minimè fieret, nisi etiam in supplicio, quod sumpserat, Diuinitatis splendor enitesceret; quia in ejusmodi homines animaduersio illi tantummodò liceret, in quo humanitati adsociaretur Diuinitas. Imò cum animū ad hoc aduerteret Origines maiorem, inquit, Christi virtutem in hoc prodigio elucere, quàm cum in vinum verterit aquam; atq; se Dei filium, & Aeterno Genitori parem manifestiùs exhibuisse: in conuersione enim rem alteram in alteram traduxit: at verò in templo ita scelerum magnitudinem punijt, vt damnatorū iram soporauerit: nec inter supplicij dolorem, ac dedecus quidquam excidit in punientem indignum. Quod argumento fuit, Christum humanæ naturæ Dominum, ac conditorem esse, siquidem vt esse contulerat, ità affectibus imperabat; & cum scelestis non impunè cessisset crimen, imperata tamen faciebant: *Diuina potestas IESV, vt, cùm volebat, posset iracundiam hostium suffocare, & sedare mentium turbines. Dominus enim dissipat cogitationes gentium.* Postremò perpendere est, Christū hoc in opere expleuisse Oraculum, quod de ipso scriptum animaduerterunt Apostoli: *Recordati sunt verò Discipuli eius, quia scriptum est: zelus domus tuæ comedit me.* Ita prædictionibus facta componebat, vt fidem vaticinijs compararet; & Prophetas Euangelistis amicè fœderabat, vt ex harmonia, quâ scribunt, veritas, quâ loquuntur haud difficulter comprehendatur.

Ioan. 2.

Christi Transfiguratio. 5. prodigium.

LXXV. Aliud Transfigurationis prodigiū sit, quo Christus præclarum exhibuit suæ gloriæ specimen; exrtemumq; hoc est, de quo nobis agendum hoc loci. Proditum est literis ab Euangelicis Scriptoribus orbis Liberatorem adsciuisse sibi socios Petrum, Iacobum, ac Ioannē; illisq; ad mōtis Thaboris verticem adductis se nitidissimis vndiq; indutum radijs exhibuisse: *Et resplenduit facies eius sicut sol; vestimerta autē eius facta sunt alba sicut nix*, atq; illi: se socios adjungentes Mosen, & Eliam cum inter se habuisse sermonem,

Matth. 17.

nem, qui exceſſum illum referebat, quem mortalium amoris cauſa Ieroſolymis erat ſubiturus, teſtante illius Diuinitatem hos inter ſermones Aeterni Parentis voce: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*. Redeant in memoriam Hebræi ſuæ perfidiæ teſtes habere Moſen, & Eliam. Et Euangelij veritatem abnuere, ſuorum vatum teſtificationi fidem eſt abrogare.

LXXVI. In hac mirandi admodum ſpectaculi luce, ſe verè Deum eſſe; ac promiſſum toties Meſſiam planiſſimè oſtendit Chriſtus, idq; non tantùm ob Parentis vocem ita publicè enunciantem, verum etiam ob potentiam latè hîc cõmendatam, cujus ope Prophetas duos in teſtes ſibi adiũxit; alterum in viuis adhuc verſantem, functum iam fato alterum, nempe, vt ſibi & vitam, & mortem obtemperare fidem faceret; huiuſcemodi enim jus, ac poteſtas vni tãtùm conuenit Deo. Vel Moſen, & Eliam adduxit; hic enim Sacrorum Vatum, Legis ille typũ gerebat: at Vates, & lex illi ſe præcipuè ſtudio addixerunt, vt loquerentur acerbiſſimã Chriſti mortem, quam obfirmato ad omnem patientiã animo perferret, vt reſtitueret mundum in libertatem, quam per ſummum ſcelus extorſerat Cacodæmon. Quocirca quibus Chriſtum ſermonibus excipiebant Elias, & Moſes, exprimebant mortem illius. *Loquebantur de exceſſu, quem cõpleturus erat in Ieruſalem*. Sed licèt in Moſe lex, in Elia Vates, vt Euãgelium in Chriſto haud abſurdè delinearetur, & Deus illos conuocauerit eò loci, vt mortalibus ſuaderet, Chriſti Euangelium muſicè omnibus cohærere, quæ Lex, & Prophetæ mandârant de Chriſto literis; oppidò tamen ex omnium oculis euanuit Moſes, & Elias, vnuſq; perſtitit in monte Chriſtus, quẽ tres tantummodò ſacri ſtipabant Apoſtoli; quò Iudæos nimirum edoceret Moſeos, ac Eliæ exẽplo perijſſe legem ad Euangelij conſpectum: expiraſſe Moſen, & perſtitiſſe Chriſtum: *Leuantes autem oculos neminem viderunt, niſi ſolum IESVM*. Vnus IESVS omnium oculos occupauit; Moſes legis typis ſe terris ſubduxit; quia poſt Chriſti acceſſum conſenuere Moſis ſancita, imò nunquam reuictura interiere.

Luc. 9.

Matth. 17.

Hæc

Christi miracula longè alijs prę stant.

LXXVII. Hæc nonnulla sunt Christi Seruatoris prodigia; quæ longè præcellunt omnibus vel à Prophetis, vel ab alijs præclaris sanctimonia viris perpetratis tum numero, tum præstantiâ, tum etiam authoritate, quâ sunt gesta. Numero, quia numerandi rationem exhausisse videntur: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit IESVS* (inquit IESV amoris delicium Ioannes) *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*. Præstantiâ, quia eâ admiratione mentem illaqueant, vt alijs sint minimè comparanda. Authoritate, quia alia ab alijs siue futurorum prædictione, siue morum integritate pręcellentibus viris non suâ sunt virtute, vel authoritate patrata, sed diuinâ, quam implorârunt, ope; Deus enim princeps artifex erat, cui illa miracula deberentur. Prodigia verò Assertoris Christi proprię sunt beneficia virtutis, & authoritatis, necnon Aeterni Parentis, quo cum eandem adeptus naturam vnum omnino est. Imperij, & arbitrij nutui vel minimo obtemperabant dęmones, & arcebantur: inseruiebant procellę, & cadebant: obsequebantur mortui, & reuocabantur ad vitã. Ac deniq; proprię illius virtuti ascribi debent pręclara omnia, quę Iudęam impleuerant admiratione. Iccirco Petrus, quando Christum impune calcantem vndas aspexit, *Domine*, inquit, *iube me venire ad te super aquas*. Quid Petrus non se credit vndis? quid Christi imperium, authoritatemq; expectat? Iure à Christo opẽ implorat Petrus, quę enim mira edit (idem de superis alijs dictum volo) non suæ sunt potestatis, Christi debentur virtuti: non propriâ nituntur authoritate, Christi dignitati incumbunt. Eapropter vndis deprimi passus est Petrum, & tunc temporis apprehensum tenuit manu; vt & Petro, & orbi compertum foret, hæc miracula perpetrare, illius tantummodò dextræ fas esse ascribi; Christi enim virtutis eademùm potentia erat.

Ioan. 20.

Matth 14.

Iudæi Euãgelij fidei oblatrant

LXXVIII. Infensissima Christo capita in suę superstitionis libro (quem Talmud vocant) oblatrant impudenter. Et primùm aiunt, nos, qui Christianam amplectimur fidem, illius causam acerrimè tutari; maximumq; honorem, ac dignitatem

gnitatem Euangelicis Scriptoribus conciliare, quorum veritatem non sanam omnino æstimant. Secundo, licèt Christus rebus mirè gestis claruerit, non eas tamen proprijs nixum viribus, authoritatè ve edidisse; sed vel infimis precibus rogatum ab illo Israeliticum Deum opem in id muneris contulisse. Tribus præcipuè argumentis mendacij primi fides eleuatur, & frangitur. Primò, quia Sacri Euangelij Historiographi suæ gentis homines fuere, eodē solo natj, & noti, qui humanis rebus valere jussis, omnibusq; quãtæcumq; erant abdicatis fortunis vnius Christi vestigijs institére, & Euangelij prædicationi egregiam per orbem nauarunt operam. Horum princeps, qui Euangelium, siue Christi gesta literarum monumentis commisere, Matthæus extitit, qui Euangelicam historiam Hebraico in Regno Hebraicis literis consignauit, & credidit propalam orbi, vbi Christus se coelo retulit. Quæ quidem historia aliorū Apostolorum plausu accepta, atq; omnium calculis fuit comprobata, quibus Catholica subscripsit Ecclesia; & in cujus doctrinam iuere pedibus alij Euangelistæ. Vnde humano etiam de more integram fidem illis, qui Christi gesta enarrant, debent adjungere, vtpote suis, & ejusdem sanguinis vinculo adstrictis in vicem. Quæ mihi in primis causa videtur, cur Diuus Paulus vnius Dei cultum Atheniēses edocēs, poetarum testimonia attulerit ad conciliandam fidem: *Sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt*. Quid? non satis, superq; erant rationum momenta, quæ id exponunt oculis? Satis quidem. Sed rationem studuit firmiorem reddere testimonio; quanquam hoc in poetis non magni fit ponderis: Attingebant nimirum poetæ propinquitate sanguinis Athenienses: illis fidem abrogare, quos vel arcta sanguinis necessitudo, vel communis patriæ amor, vel vetus educationis cōsuetudo trabalibus plusquam clauis nobis affixit, abhorret & quidem vehementer ab Atheniensibus. Quòd si id quis populus agat, Iudaium solummodò enumerabis, qui Euangelicis non credit Scriptoribus, quos conuictus, quos educatio, quos sanguis latè commendat, ac probat; & qui prius vsurpauerant oculis, quod tradebãt scripto.

Infringitur tripliciter Iudæorum obiectio.

Matthæus scripsit Hebraicè: & quare?

Act. 17.

ſcripto. Hoc primum omnium eſt, cui falſo oblatrant Iudæi, nempe Euangeliſtarum veritati, illis fidem abnegantes, qui referunt, quæ hauſerant oculis, vt eam habeât Rabbinis, qui docent, quæ finxerant ſomnia. Hebraicè ſcripſit Matthæus, quò faciliori negotio à Iudæis fidẽ impetraret; nõ enim fucatos venditat dolos, qui noto loquitur idiomate. Et hæc extitit cauſa, vt placet Chryſoſtomo, cur Chri-

Matth. 27. ſtus de Aeterno Parente fuerit queſtus: *Heli, Heli Lamaſabathani. Vt videant*, inquit Chryſoſtomus, *quoniam honorat Patrem, & non eſt Deo contrarius; & ideo Hebraicam vocem emiſit, vt eis fieret cognita, & manifeſta*. Vt veritatem traderet, vſurpauit ſermonem; ita enim faciliùs noſcerent non haberi ſe odio ab illo, quem Hebraicè loquentem acciperent, dictis adjungerent fidem, quæ vernaculo tradebãtur ſermone. Illud deinde Iudæorum tenacitatem refellit; quòd Euangelij diſciplinâ orbem vniuerſum ad ſanam fidẽ

Chriſtus in Cruce vſus eſt verbis Hebraicis.

Pſal. 18. Apoſtoli traduxerint: *In omnem terram exiuit ſonus eorum*. Cui quidem diſciplinæ, ſi vel hilum à vero abiret, non omnes vtiq; crederent; nunquam enim temporis contigit, impoſuiſſe omnibus mendacium, ſed nec legi ſubeſſe valet, quæ rationi conueniat omni ex parte. Illud deniq; ineluctabile eſt, quòd Deus prodigijs illorum ſermonem firmauerit; & illi effuſo ſtrenuè ſanguine fidem ſanxerint. At verò neq; Deus miraculis fidem probaret, ſi mendax eſſet; nec ipſo ſanguine Apoſtoli Euangelij prædicationem aſperſiſſent, ſi eſſet alienũ à vero; nefas enim eſſet ſui laboris præmium à Deo reſpoſcere, quem potiùs læderent, quàm allicerent, in errorem mortales inducentes.

Iudæi ſua ipſorũ improbitate conuincũtur.

LXXIX. Secundus Iudęorum error indoctâ illorũ improbitate conuincitur. Attritæ enim iniquitatis ij fuere, qui primi in Chriſtũ ſunt lati odio inexpiabili, quippe qui nullo alio obſtrictũ ſcelere damnârunt capite, quàm quòd

Ioan. 11. miracula perpetraret: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? expedit vt vnus moriatur homo*. Non vulgare eſt inſcitię argumentum fidem intueri firmatam prodigijs, nec illam vt veram æſtimare. Nam ſi veriſſimum eſt, patrandi miraculorum vnius Dei eſſe virtutem, & illa egiſſe Chriſtũ

faten-

fatentur Iudæi, Diuinâ ope implorata ad adſtruendam veritatem, ſe Meſſiam, ſe verè Deum, ſe Hominem, ſe Conditorem, ſe Saluatorem, ſe deniq; omnium Dominum eſſe: quî prodigiis ſtabiliret legem, quæ orbem deciperet? Pręſertim cum hęc prodigiorum creatio ſpectaret ad eiuſdem fidei confirmationem, & hominum credulitatem. Si efficeret id Deus, ſe profectò Diuinitate abdicaret, fraude enim mortales caperet; & quám eſt à Deo procul poſſe falli, tam longè ab illo eſt poſſe fallere: vt enim alterum abhorret à sũma Sapiẽtia; ita alterũ horret ſumma Bonitas.

LXXX. Chriſti Diuinitatem non ineptè Solem dixerim: cuius prodigia radiorum vicem ſubeunt, quę illum omnibus nudant. Vt latè, longèq; diffuſus radiorum ſplendor communem hunc Solem terris detegit, licèt ſeſe intendentibus indies nubibus obducatur, haud aliter Diuinus ille Sol Chriſtus IESVS tametſi indecorâ noſtrę mortalitatis nube obtectus; ijs tamen miraculorum radijs orbem impleuit, vt apertiſſima prębuerit ſuę Diuinitatis argumenta, quę nitidiſſimos ſui radios oppoſitâ humanitatis nube mitigabat. Et hunc videntur ſenſum obtinere verba illa, quibus Ioannes affirmat, ſeq; ſuoſq; condiſcipulos Diuinam Chriſti gloriam, ac ſplendorem aſpexiſſe: *Vidimus gloriam eius*: quia glorię, ac ſplendoris maieſtas quam in Chriſto adorauerant Apoſtoli, eiuſdem vita erat, & miracula, quę euidẽti ſignificatione omnes edocebant, verum, à quo patrarentur, Deum eſſe; vt exponit Diuus Baſilius de Fidę: *Hæc gloria fuit vita, & miracula Chriſti.*

Chriſti Diuinitas Soli ſimilis.

Ioan. 1.

CAPVT QVARTVM.

Eccleſiæ Authoritatis cum Doctrina Catholica Harmonia.

LXXXI. TErtium vtriuſq; Teſtamenti concentum edit Catholicæ Eccleſiæ Authoritas: *Dominabitur à mari vſq; ad mare; & à flumine vſq; ad terminos orbis*

Cõcẽtus ab Eccleſię authoritate.

Pſal. 72.

bis terrarum. In eodem Psalmo de Christo agens Dauid inquit: *Adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes seruiet ei.* His mirè consonat vaticinijs, quod Christus in nouo
Ioan. 12. Testamento prædixit: *Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eijcietur foràs; & egò si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Et quidem satis ad rerum omnium fidem, quas nobis Euangelium tradit, cælestis hæc esset harmonia. Si enim Christi Ecclesiam ad oculos reuocauerimus, Ecclesiasticæ Hierarchiæ venustatem intuebimur, quæ Summum Romanum Antistitem caput obtinet Christi in terris Vicarium, cui Ecclesiastici imperij molem imposuit: Quod imperium tot Principes, hoc est Purpurati terrarum Senatores tuentur impigrè, & mature consulũt. Intuebimur Catholicam Ecclesiam orbem vniuersum amplectentem; quam regere, quam venustare, quam suo firmare præsidio vbique gentium Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ac Sacerdotes omni pede, quod aiunt, consistunt, nullo vsquam prætermisso loco, qui Ecclesię Solis non illustretur radijs, & ardeat ignibus. Mirabimur deinde ab hoc Ecclesię capite (quod fons est perennis, & pellucidus) omnem spiritalem potestatem, ac jus, quibus Ecclesia fungitur, affluenter promanare. Quò enim hæc accuratiùs perspexerimus, eò manifestiùs deprehendemus tum illorum cæcitatem, qui hostili animo Christum insectantur, tum veritatem eorum, quæ religioso cultu profitemur, vt latè in nostra Hierarchia Ecclesiastica docuimus. Cum suam ad fidem Cornelium Centurionem traducere conaretur Deus, eum ad Diui Petri domum allegauit. Id negotij Cornelius militibus mandauit suis, qui cum ad limina accessissent, *In-*
Act. 10. *terrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium?* Fidem itaq; amplexurus Petri, illiusq; successorum, qui Christi vice sunt, omni studio perquirere debet; hi enim illustrissimæ Phari munus subeunt, ad cujus lucem hac in expeditione suos cursus dirigere æquum est.

Septem Sacramenta septẽ Planetæ sunt Ecclesiastico in Cęlo.

LXXXII. Aliàs me doceant aduersarij, qua in Religione necessaria, ac præsentia remedia reperiantur, quæ vel vlceribus, vel affectâ animi valetudine laborantibus adhibeantur?

tur? Nullibi profectò, nullibi, nisi in vna Christi Ecclesia. Vbi nobis veluti testamento legauit septem, eaq; salubria Sacramenta, quæ nobis ægrotantibus opem afferunt præsentissimam; & imitantur egregiè in hoc Ecclesiæ Cęlo cęlestes illos Planetas, qui numerum eundem complent: vt enim his sublunarium rerum creatio, ac conseruatio orbis debetur secundùm Deum, ita illis se magnopere obstrictā fatetur Ecclesia, quippe quæ ab illis virtutem omnem, vitā, ac vigorem haurit. Hæc etiam referebantur ab illis septem oculis, quos oculatior Aquila occiso in Agno suspexit. *Vidi agnum stantem tanquam occisum habentem oculos septē, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram.* Nempe vt septem oculi septem spiritus erant, qui ab interempto Agno efflabantur, vt terras omnes summis cumularent beneficijs, septem ita Sacramenta ab interfecti Christi Diuino latere orta sunt, vt effusis mortales obruerent beneficijs. Expressa in oculis Agni occisi. *Apoc. 5.*

LXXXIII. Vniuersalium Ecclesiæ Synodorum absolutissimam rationem perpendamus, in quibus inde à primis initijs dubia quæq; & ardua, vt sese dabant, inter innumerabiles propemodùm incredibilis sapientiæ, & eximiæ sanctimoniæ viros maturo admodùm consilio agitata sunt, & vocata ad trutinam, vt certum aliquid statueretur, & decerneretur, quid esset sequendum. Sancita tamen præcedebant adspersa jejunia lacrymis, & associatæ precationibus eleemosynæ, multisq; antea sacris propitiabant Numē, vt tot rerum circumuentis caligine, & obstrictis difficillimis nodis impertiret lucem, quâ sese expedirent feliciter. Synodi Ecclesiasticæ.

LXXXIIII. Hinc iuuet oculos conuertere ad eximiam Religionū pulchritudinem, in quibus se promptissimâ animi alacritate tum viri, tum fœminæ Deo penitus deuouēt. Quod gratiùs dari potest oculis spectaculum, quàm hæc in terris cœlestium copiarū tabernacula? Hoc illud est, quod nobis, monente Salomone, Diuinus Spiritus imperabat ingenti defixis stupore excipere: *Quid videbis in sunamite, nisi choros castrorum?* Et quod magnam Angelis admirationem incutiebat: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Vbi terrarum illibatus virginitatis flos, nisi Sacris his cętibus Religiosorum hominū cętus. *Cant. 6.*

bus retinetur? Vbi sanior vitæ integritas? vbi mortalia corda maiori Diuini amoris incendio exardescunt? Vbi adstrictiori nodo continentibus precibus Deo deduntur? Vbi clariùs Diuinæ Sapientiæ Radij illucescunt? Nusquam, certè nusquam. Hæc profectò sunt Dei Tentoria, ac Tabernacula, quæ Dauidis oculis occurrebant, cùm cecinit: *Quã pulchra tabernacula tua Iacob, & tẽtoria tua Israel!* Nostrorum Anachoritarum institutioni quæ potest viuendi ratio æquè componi? Nonne humanam conditionem prætereuehitur, & Angelicam attingit gradu proximo? Christus solummodò, & Angeli amârunt erêmi solitudinem. Bethlemicam primùm ad vrbem, cum desertum antrum delegit ad cunas. Ierosolymis deinde, vbi quadraginta ipsos dies ieiunos traduxit in solitudine. In horto Gethsemani, cùm à suis abstractus totus vacauit orationi; vt omnibus compertum sit, in erêmo, ac recessu ætatem agere, id tantùm Angelos præstare posse. Ecclesiæ verò Doctorum absoluta perfectio vbinam gentium sibi parem reperiet?

Psal. 86.

Fũctiones, ac dignitates ciuiles Ecclesiam exornant.

LXXXV. Si dignitatum functionumq; ciuilium ordinẽ accuratè perspexerimus, mirabimur lucem, quâ Imperatoria fulget maiestas, & tot, tamq; potentissimi Reges, ac Principes, quot eam comitantur, ac sustinent, tot tantisq; Regnis, ac prouincijs exornatis numero adeo ingenti Principum, ac Ducum, Marchionum, ac Comitum, Baronum, ac Dynastarum, quibus Ecclesia ciuiliter etiam & venustior redditur, & firmior: *Sunt & in Ecclesia Sanctæ firmamento à Domino creata duo luminaria magna Sacerdotum, & Regũ: Rex, & Episcopus: Princeps, & Clericus. Dies spiritualia, Nox significat temporalia. Itaq; luminare maius Sacerdotum, vt præsit diei, id est, spiritualibus: luminare minus Regum, vt præsit nocti, id est, secularibus.* Et ad huiusmodi sensum Doctores aliquot exponunt illa verba Geneseos: *Fecitq; Deus duo luminaria magna.*

Genes. 1.

Academiæ nõ vulgare Ecclesiæ ornamentum

LXXXVI. Ingentem Academiarum vim ad mentem reducamus, quæ Catholicam Ecclesiam circumquaq; diffusę, ac extructæ amplectuntur, Diuinæ, & humanæ sapientiæ opibus mirificè nobiles, & auctæ. Vbi saluberrimæ aluntur

tur arbores, quæ vbi fuerint educatæ, in latiſſimos Eccleſiæ hortos tranſcribuntur voluptate maximâ afficiẽtes cùm pulchritudine, tum fructu, quotquot ſunt eiuſdẽ ſoli accolæ. Has planè exprimebat illa Dauidis turris, cui Salomon compoſuit illibatæ animæ collum. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis*. Quidquid enim in arce præſtant propugnacula, id Eccleſiæ conferũt Academiæ, illarumq; Doctores: illa vrbem tutantur armis, ac tegunt: hæ fidem ſartam, ac tectam calamis tuentur, & ſeruant. Quas ideo Theodoretus appellauit. *Turres quaſdam immotas ambitum conſeruantes fidei*. Cant. 1. In cap. 4. Cant.

LXXXVII. Pergant nunc obfirmatę mentis Hebræi tot tantaſq; Catholicæ Eccleſiæ perfectiones Synagogæ conferre ſuæ, poſtquam à Deo contempta, atq; repudiata eſt ob necem Vnigenito ſuo per ſummam impietatem illatam, & quod ſui prædixerant Vates, occurret protinus menti: *Iudicate matrem veſtram, quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius. Plange quaſi Virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ*. Atq; ita vidua, ſuccinctaq; cilicio iacet in ſordibus Synagoga, vt fuerat vâticinatus Oſeas: *Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim: & poſthæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum*. Hoc eſt, vbi tandem agnouerint falsâ ſe omnino niti ſpe (quâ etiamnum Meſſię aduentum expectãt) reſipiſcent, & Dauidem Regem ſuum diligenti ſtudio perquirent, id eſt, adorabunt tandem aliquando Chriſtũ Dauidis filium quà hominem, ſed *& Deum ſuum*; nam verè & Homo, & Deus Chriſtus eſt, quantumuis enim pertinaci animo illi modò Diuinitatem Iudæi inuideant, elucebit aliquando dies, ſera licèt, quę ſuâ deceptos ſpe ad illum impellat confugere. Synagoga jacet in ſordibus. Oſ. 2. Ioel. 1. Oſ. 3.

LXXXVIII. Sed vt huius Iudęorũ conſilij veritas liquidiùs patefiat; & vt poſt Aſſertoris mortẽ authoritatem omnẽ amiſerint tum ciuilem, tum ſpiritualem, ſuęq; fecerint exiſtimationis iacturam, quid humana ſit authoritas, aut in quo locanda ſit, non oſcitanter inquirere operę pretium duco;

duco; nempe vt ad ipſius Synagogę cultores cauſam deferamus,& an ſibi reliquum authoritatis aliquid factum fuerit, ferant ſententiam.

Authoritas dupliciter diſſecatur.

LXXXIX. Hanc concipi dupliciter poſſe aſſerimus, aut vt purè ciuilem, aut ad naturæ ordinem, rationemq; compoſitam. Ciuilem illam dicimus, quæ ferro, & igni explicatiſq; copijs paratur,& retinetur; quam parauit,ac retinuit Iulius Cæſar, qui patrij imperij faſtigium ſibi arrogauit: quam parauit, ac retinuit Alexander, alijq; innumeri, qui ad orbis arbitrium ſibi vi armorum comparandum inſatiabili ſtudio incubuere; quam etiam parat, ac retinet fœda Mahometis ſuperſtitio. Alterà ad naturæ ordinem, rationemq; compoſita, prudentiâ conciliatur,& probitate. Probitate deſtituta prudentia degenerat in malitiam, & vt timori eſt; ita habetur odio. Prudentiâ orbata Probitas deflectit non ſemel in errorem, & habetur deſpicatui. Abſolutam probitatem, cui ſe comitem adjũgat ſpiritalis prudentia, ſanctimoniam appellamus, illiq; Principem locum, ac decus tribuimus. Et quod fit in ſingulis, vſu venit etiam in cętibus, Regnis, Legibus,& obnoxijs Religioni familijs.

Iudæi vtraq; olim authoritate floruere.

XC. Quibus ita veriſſimè conſtitutis Iudaicum quondam populum vnâ, & alterâ authoritate apprimè floruiſſe adſtruimus; quippe qui rerum opificem Deum, & Dominum, & Moderatorem adeptus fuerit, qui ſuam illi legem tulit, eamq; firmauit, ac ſuſtinuit rebus mirè admodùm geſtis; vel cum in Aegypto populus commoraretur; vel cum ab ea egreſſus promiſſam tellurem ingrederetur. Sanâ hac lege ad ſummum Sanctimoniæ gradum euecti permulti sũt Hebraicæ gentis viri, quorum Deus corda ad exactam animi integritatem interno motu inuitabat; & abdicato voluptatum, humanarumq;rerum lenocinio ætatem agitabãt Diuino tantùm dediti amori, in quo ſummum eſt ſanctimoniæ faſtigium; quãquam enim ſæpe ac ſæpius à Deo deficerent,ſeſe etiam atq; etiam ad illum recipiebant, & damnabant pœnitentiâ admiſſa facinora: quibus veterem rurſus amicitiæ gradum reſtituebat; ac tenerrimo parentis affectu adſtrictori nodo amplexabatur. Sacri degebant Prophetæ,

phetæ, quibus futurarum rerum arcana patefacere datum est negotium. Diuinis etiam præceptoribus (quo munere fungebantur sæpiùs Vates) non pauca florebant gymnasia, quibus literæ cum humanæ, tum Diuinæ in primis edisce-bantur. Spiritualem hanc potestatem ciuilis ingens virtus, ac robur associabat; longo enim annorum interuallo omni refertum opulētiâ sibi regnum peperere Israelitæ; & strenua quà consilij, quà dextræ vi multos vectigales sibi populos habuere.

XCI. Verùm extremo affecto supplicio humanæ salutis parente recedens à Deo populus ob pessimum ab orbe condito facinus, nec fauente, vt quondam, Numine, Regnum, dignitatem, robur, potentiam, ac decus omni ex parte amisere, vbiq; omnium ludibrio, & contemptui opportuni, vt nobis in propatulo est iam inde ab anno millesimo sexcentesimo sexagesimo; maioribus indies ruinis depressi non ciuili modò authoritate, sed etiam spirituali exauthorati, & templi, & sacrorum expertes, & Prophetâ, & miraculis destituti, nec vllâ cælesti ope erecti, à qua solatij aliquid capiant tot in laboribus; & sacris pro Vatibus, quos olim obtinebant præceptores, in alios incidunt vsq; eò imperitos, vt sacras ipsas literas nefandis in Deum blasphemijs, & rationi, naturaliq; Philosophiæ aduersantibus sententijs inficiant. Vtriusq; fecere jacturam ob Deicidiū.

XCII. Si igitur Ecclesia Synagogæ adeò præstat authoritate, quid adhuc spe deluditur Synagoga? *Transeamus hinc*: edidit vox illa Angelorum, quæ Ierosolymæ in templo audita est, vt meminit Iosephus Iudęus antiquitate author locuples. Non vltra hic immoremur; iam enim Synagogam deseruit Deus: nulli nobis sit curę hic populus, qui nullam gerit de Deo curam. Cum verò illico pereat, quidquid Cœlum non fouet, interijt funditus Synagoga, vbi diuino destituta pręsidio fuit. Quis ergo mortalium vsquam est, qui naufragio miserrimè facto non anxiè studeat è naui exscendere, quò è communi periculo euolet? Quæ animantium imprudentior sua in calamitate, ac discrimine torpet, ac friget, quin omnē adhibeat conatum,

vt, si queat, subterfugiat impendens periculum? Hirundines, Ciconiæ, aliæq; volucres infensa sibi tempora præsentiunt, & norunt ab illorum iniurijs præcauere; populus verò meus (per Vatem queritur Diuina vox) obfirmatus adeo, cæcusq; est, vt neq; me agnoscat, nec mihi velit obtemperare, quò declinet impendentem sibi ruinam. *O Israel quã magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!* Catholica Ecclesia domus Dei est, in qua fidei nostræ veritas præclarè enitescit. Si lucem ambis, Christum amplectere; longè enim, ac latè patet illius domus; omnium capax excludet neminem, imò bene amplo excipiet loco; illi enim abundè locorum est, quin etiam non lucem modò, dignitatem etiam assequêris, illam animo, hanc corpori.

Baruc. 3.

Christo nato decus enascitur populo Iudaico.

XCIII. Auspicatissimâ die illâ, quæ Christum primis vagientem cunabulis donauit terris, sese pastoribus, qui Iudaicæ gentis typum ferebant, cœlestis aulicus tulit obuiam: aitq; Lucas illos diffusis circumquaq; radijs induisse: *Et claritas Dei circumfulsit illos.* At verò quando Christum per summum scelus vitâ Iudæi exuerunt, atq; è Synagoga eiecere iuxta illud Diui Pauli: *Extra portam passus est* tenebris obducta sunt omnia: nihil non oppressum caligine: *Tenebræ factæ sunt.* In Diuini Solis ortu totus Diuinâ è luce fulget populus: in eiusdem occasu totus obtegitur tenebris. Quæ tanti causa discriminis? Ea scilicet, quia in lucem editus Christus se propiorem populo retulit; vitâ verò functũ illum à se populus repulit: iccirco in ortu plena omnia splendoris: hâc de causa in obitu nihil lucis internitebat. Cum Christo enim decus populo nascebatur, verùm quia Solem non nouit suum, splendoris fecit iacturam. Huius Ego consilij Iudaico populo author essem, si in pristinã dignitatem amet restitui, nempe vt sese ad Christum recipiat, quem negauit. Eò enim collimâsse, vt est Origenis sententia, Euangelicus videtur Scriptor, cum meminit post trium horarum tenebras rursus Solis radios Iudæis affulsisse: *Si vsq; ad horam nonam tenebræ factæ sunt super Iudæam, manifestum est, quoniam iterum eis lumen refulsit; quia cum plenitudo gentium intrauerit; tunc omnis Israel saluus fiet.*

Luc 2.

Heb. 13.

Matth. 25.

Christo emortuo illi splendor interijt.

Orig. tr. 35

Elu-

Elucebunt iterum, vbi illis illuxerit Christus; & veterem gloriam recuperabunt, simul ac veritatem agnouerint: assequentur deinde ad animi salutem interiorem lucem: ad ciuilem verò gloriam exteriorem dignitatem: *Ad gloriam plebis tuæ Israel,* cecinit laudatissimus ille Cycnus Simeon. *Luc. 2.*

CAPVT QVINTVM.

Mundi conuersionis cum sacris oraculis Harmonia.

XCIV. PRædictiones quatuor sese nobis sacris in literis ferunt obuiam, quæ omnium oculis cō centum istum mirificè commendant. Primam Isaiæ debemus, qui Deū offert Messiam his alloquentē: *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Secundam Oseæ: *Et erit: in loco vbi dicetur eis, Filij Dei viuentis.* Tertiam Zachariæ: *Disperdam nomina idolorum de terra.* Quartam deniq; Malachiæ: *Ab ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen meū in gētibus.* Quibus quidem vaticinijs mirum in modum cōsensere quatuor Euangelistæ in sacra Euangelij narratione; easq; ad vnguem expletas intuemur in opere seculis omnibus stupendo, quod Christus egit, cum orbem à Dæmonū stipendijs, sub quibus per idololatriam merebatur, ad suam traduxit fidem; & veram erga Deum religionem, ac venerationem edocuit hanc prouinciam duodecim Apostolis committens.

Quartus concentus ex mundi conuersione. *Isai. 49.* *Os 1.* *Zach. 13.* *Malac. 1.*

XCV. Primo itaq; Isaiæ vaticinio Sanctissimi viri Simeonis oraculum exactè respondet apud Lucam: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium.* Vbi quod ait Isaias: *Dedi te in lucem gentium*, aptè conuenit verbis Simeonis: *Lumen ad reuelationem gentium*. Secundum Oseæ oraculum nec vnguem abit à Christi vaticinio apud Matthæum:

Simeon Isaiæ consonat: *Luc. 2.* *Matth. 8.*

thæum: *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum; filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Tertiò Zachariæ eloquio cõueniunt ejuſdem Chri-

Matth.28. ſti præcepta apud eundẽ Matthæũ: *Eũtes docete omnes gentes baptiſantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti* Quartę Malachię prædictioni examuſſim cohæret illud

Ad Phil 2. Diui Pauli: *Vt in nomine Ieſu omne genufle&atur cæleſtiũ, terreſtrium, & infernorum.* Et hoc in cauſa fuit, vt triplici

Cur Crucis titulus triplici lingua fuerit ſcriptus.

ſcriptus linguâ Regius Cruci titulus præfigeretur, Hebraicâ, videlicet, Græcâ, ac Latinâ, quæ erant terrarum principes. Quò palam Iudæis Chriſtus faceret, omnium ſermonibus vſurpandum, & vbiq; terrarum latè ſuum commendandum nomen, ipſumq; totius orbis Regem, ac Dominum ſalutandum, vltro orbe ipſo in crucifixi ditionem concedente, ac illi diuinos honores, Regniq; inſigne ſponte deferente. Itaq, vbi, quod intuemur in præſens, ita planè conſentit ijs rebus, quas antea ſcriptas accepimus: vbi Euangelici hiſtoriographi conſonè admodum concinunt ſacris Vatibus, vt viâ eâdem omnes adigant ad veritatem eandem (vno enim eodemq; ſpiritu afflabantur) obfirmatâ adhuc mente veritati fidei obſtrepere, obſtinatio eſt ægrotantis voluntatis, quantumuis ea, quibus habetur fides, difficillima Fidei videantur. Imò ibi præclariùs diuina eluceſcit maieſtas, vbi ſupra humanum captum diuina potentia operatur.

Ibi Deus ſuam exhibet maieſtatem, vbi humanum captũ ſuperat.

Eccleſ.7. *Alta eſt profunditas, quæ inueniet eam;* inquit Eccleſiaſtes. Robuſtiùs noſtræ Fidei argumentum illud eſt, quòd ea aſſequamur fide, quæ natiuum intellectûs lumen longè effugiunt. Si enim, quæ à fide docemur, caperet ratio, aut Deus id ſubiret diſcriminis, vt alius, quàm quem crederemus, eſſet, cum inſito à natura lumine eum complecteremur: aut non iccirco illi adjungeremus fidem, quod ipſe dixiſſet, ſed quia illius comprehenſionem ingenitâ mentis luce adipiſceremur. At verò cuicuimodi id eſſet, in magnum Diuina authoritas traherer[ur] diſcrimen.

Pſal.8. XCVI. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.*

A bal-

A balbutientibus adhuc puerulis (cecinit Regia Dauidis Lyra Deum alloquens) abſolutam ita laudem duxiſti, vt omnem ſuperet inuidiam. At quo pacto abſolutam dicit Regius Pſaltes, ſi tenelli adhuc pueri ea, quæ enunciant, non percipiũt, nec quę eloquũtur ſatis norũt? Cuius rei ea mihi videtur cauſa, quia in pueris ſimplex & recta laudandi ratio erat, qui enim vocem adhuc effingere non agnoſcerent, locutos tamen, dubio procul eſt, locâſſe Deum verba, quæ ederent, illorum linguis. Itaq; nullus improbitati fiebat locus, vt illorum præconia deceptioni verteret, vel adulationi. Quapropter longiùs, & tutiùs iudicauerim, ea quæ non aſſequimur, credere, quàm ea, quæ credimus, aſſequi. Quam laudem infons profert ætatula, ea abſoluta eſt æſtimanda.

XCVII. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum dicito mihi: & ego eum tollam. Dicit ei IESVS, Maria.* Magiſtrum illico Maria agnouit. Videt, & cultorem horti exiſtimat: *Exiſtimans, quia hortolanus eſſet.* Audit, & Magiſtrum adorat. In Dei enim ſchola plus diſcitur aure, ac fide, quàm oculis, aut examine. In terris non felices ſunt oculi Diuinitatis indagatores; fortunatiùs id negotij creditur fidei, atq; auribus: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam*, ſibi ipſi calcar admouebat Moſes, cumq; in proximo eſſet, vt voti fieret compos *Abſcondit Moyſes faciẽ ſuã*. Si videndi ſtudio efferebatur, quid ſibi conſpectu interdicit? Nempe Diuina arcana, quæ ab ardenti rubo referebantur, tunc videntur illuſtriùs, cùm humiliter creduntur. Recluſa lumina lumina viſui patefacerent: at clauſi oculi exornarunt Fidei viam. Et omnia quidem Diuina commodiùs excipiuntur cæcis oculis, quàm ijs apprimè intentis comparantur. Candidis Fidem veſtibus adornare noſtri eſt moris, nempe vt doceamus, vti illis magnum creatur periculum, vt ſordeſcãt, ſi aſſiduâ jactatione versẽtur, ita Fidei myſteria in idem diſcrimen adduci, ſi nimia perueſtigatione indagentur. Ioan. 20. Exod. 3.

XCVIII. Tria ſunt, inquibus Fides videtur laborare (ait illud illuſtriſſimum Chriſtianæ Eccleſiæ lumen) quæ tamen ſunt geſta. Primum eſt Chriſti Anaſtaſis ſuo ipſo in corpore: illiuſq; nunquam exhauſtè admirandus in cœleſtem pa- Tria ſunt ad credendum difficillima.

triam aſcenſus. Secundum, habita ab orbe Fides rei omniũ ad credendum difficillimæ. Tertium deniq; illud eſt, quod homines noui, obſcuroq; loco nati, imbelles, & oppidò pauci, quiq; literas planè non nouerant, rem ita incredibilem eâ contentione vniuerſo Orbi perſuaſerint, in eamq; ſententiam vel peritiſſimos traxerint. Harum rerum primæ fidem illi abnuunt adjungere, quibuſcum nobis res eſt. Secundam intuentur, quamuis illis oculi doleant, & inuiti aſpiciant. Et ſi indignam fide tertiam judicant, vnde credunt effluxiſſe primam?

XCIX. Supra fidem æſtimat Eccleſiæ lumen ea, quæ ſupra memorauimus, Chriſti videlicet Reſurrectionem, habitam illi ab orbe fidem, perſuaſamq, ab Apoſtolis, quos nemo ad id muneris idoneos judicaret. Et quidem meritò. Quid enim ingenito rationi lumini abſurdius, quàm mortalibus ſuadere Deum rerum molitorem, ac omnium Dominum ſibi humanam induiſſe naturam, ac Cruci affixũ oppetijſſe mortem, Surrexiſſe, ac tandem virtuti innixum ſuæ petijſſe cœlum? Quæ profectò Dei Hominis myſteria ſi ſupra humanum captum, intra fidem ſunt. Vna Fides immenſi hujus pelagi vada ſuperſtiti volatu ſuperat.

Chriſti Reſurrectio illius diuinitatem demonſtrat.

C. Enimuerò Chriſti Diuinitatem mirandum in modũ commendat illius Reſurrectio. Expleuit tandem mortalitatem Moſes; ſuis Deus manibus illius curat funus, cõditq; tumulo: atq; ſe Ioſue offerens ait: *Moyſes ſeruus meus mortuus eſt*. Superuacanea æſtimabitur fortaſſe admonitio. Si enim Ioſue in Moſis locum ſuffectus maximum de illius morte dolorem cepit, quid de illa indiget admoneri? Nouerat Deus illius populi ingenium, quo ſemper idololatriæ pronus cœleſtes honores rebus à Deo alijs deferebat. Cum igitur Moſen non ſuo in cõſpectu ſublatum fato crederet, illi religionem Numinis haud dubiè deſtinaret. Ne ergo id ſceleris populus admitteret, ſuam Deus authoritatem interpoſuit: *Ad deſtruendum errorem dicentium Moyſen non eſſe defunctum, quoniam nullum mortis ſignum relictum eſt in terra*, ait Dionyſius Carthuſianus. Moſen profectò Deum colerent, ſi vel ſuſpicarentur immortalem.

Ioſ. 1.

Vnde

Vnde diuinitatem Christo iure adjudicabimus, qui surrexit è tumulo immortalis.

CI. Hoc, alumno Timotheo in mandatis dabat Apostolus: *Memor esto Dominum IESVM Christum resurrexisse à mortuis*. Quasi diceret: Hic princeps mihi est sermonum scopus, quippe qui basis est, ac fundamentum, quibus vera, quę prædico, sustinentur: & vt in omnium animis maximum rei honorem conciliem, cruciatuum immanitatem modestè fero, quibus me cumulat tyrannis: *Quasi fundamentum*, commentatur Richardus Victorinus, *in quo omnes articuli fidei innituntur*. Vnde mysteriorum omnium compendium Resurrectionem non immeritò dixit Apostolus. *Si corde credideris*, scribit ad Romanos, & *ore confessus fueris, quòd Deus suscitauit eum à mortuis, saluus eris*. Non equidem oblitus Paulus, quo debeāt animo alia fidei mysteria excipi, Christi Resurrectionem omnium fecit epitomen. Sunt certè alia humanæ inaccessa menti: verùm Resurrectionis mysterium omnia illa adstricto velut nodo comprehendit

1. ad Tim. 2. Christi Resurrectio nostræ fidei basis est.

Rich. in die Pasch.

Ad Rom. 10

CII. Sed non minorem exciuit admirationem, rem ita incredibilem eâ vi, ac virtute hominum animis insedisse, vt in acerrimam huius veritatis defensionem non fortunas modò, honoresq; despicatui haberent, verùm etiam animarum quodammodò prodigi illatis à tortoribus cruciatibus eas profuderint; idq; actum esse non à centum, vel mille, sed ab infinito propemodum numero cùm virorum, tum fœminarum, cùm puerorum, tum virginum; Remq; istam non tantùm edoctos fuisse imperitos, sed sūmos etiā Philosophos; nec in vna orbis plaga, vel priuato in Regno, sed quà vniuersa terrarum moles extenditur; nec decem, aut viginti annorum intercapedine, sed anno iam supra millesimo: imo nostra etiamnum memoria mortalibus suadetur hæc veritas.

Christiana Religio hominum animos altè insedit.

CIII. Verumenimuero quod his omnibus prodigijs lōgè præstat, illud est, quòd rē humano captui admodū repugnantē inijsset, persuasisset, & duxisset ad metā viri duodecim inopes, abjecti, & illorū plures piscatoriâ arte victitantes;

Apostoli abjecti, & inopes orbē vniuersum ad fidem traduxerunt.

tes; & qui nullius artis beneficio aliter parauerint victum, literarum rudes, expertes armorum, ciuili authoritate nudati, ac deniq; ejus gentis, quam omnes odio insectantur; atq; ita instructos se dedisse certamini, quo orbem vniuersum Christi ditioni subijcerent. Auget admirationem, quòd ad id negotij diuiderentur, & singuli singulas obtinerent Prouincias: quòd res ita incredibiles hominibus etiam doctissimis, ac sapientissimis suasissent; & egregiam adeo fidem vi ita ingenti excitassent. Quòd si ejuscemodi opus non Deo tribuitur authori; quæ nam sunt illius opera æstimanda? Et facinus admiratione maius, quod Vniuersi creationē, ac molitionem longè superat, à quo promanasse æquum erit judicare?

CIV. Quapropter earum, quas diximus, rerum, totâ illarum fidei reclamante naturâ, secundam, & tertiam expletam, absolutamq; videmus, quas tamen vna tantùm poterat operari Diuina potentia: & primâ quidem fuere difficiliores. Certa igitur, nec vocanda ad litem prima est, cui secunda, & tertia omninò incumbunt: Si enim Christus nō est ad resurrectionis gloriam euectus, quo pacto fide, animisq; exceptum id in vniuersa Ecclesia intuemur? eâq; insedisse constantiâ, vt effusus testatur Martyrum sanguis. Et si huic Resurrectionis mysterio tota habet fidem Ecclesia, vt vel ipsis patet oculis, à quo euulgatum, persuasumq; est mortalibus, nisi à Christi discipulis extremâ inopiâ circumuentis? Itaq; habeant omnes persuasissimum, eâ certitudine Christi Resurrectionem æstimandam, quâ illam vniuersa accipit Ecclesia: deinde illius prædicationem tam certè esse à Christi discipulis hominibus authoratam, quā compertum omnino est, eundem Seruatorem subacto mortis imperio victorem se cœlo retulisse.

Nullus Philosophorū vnū esse Deum populis potuit persuadere.

CV. Verùm vt illustriùs introspiciatur prodigij magnitudo, quod Deus in conuersione mortalium perpetrauit, è re erit principes illius circumstantias accuratè expendere. Primodum omnium præmonere est visum, magnorum Philosophorum nullum, quos Orbis admiratus vsquam est, vt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca,

ca, Epictetus, alijq; fuere, in eam populos, quibuſcum egit, ſententiam adducere potuiſſe, vt valere juſſo idolorum cultu, ſe ad ſanam vnius Dei Religionem contuliſſent creatarum nimirum rerum conditoris, ac molitoris. Vnde concipi quidem poteſt, quantum rej habuerit, quam in ſe prouinciam receperunt, feliciq; exitu coronârunt extremâ hi paupertate Piſcatores; qui duodecim numero non excedẽtes, nec literarum ſtudijs vnquam verſati, nullius poteſtatis, authoritatiſuè, breui tamen veri Dei agnitione, Religioneq; terras latè complerunt; & barbaros idolorum cultus, quibus in ea vſq; tempora inſeruierant, ab illis penitus proſcripſerunt.

CVI. Nunc tandem ad circunſtantias. Quas ſtudioſiùs perueſtigare oportet in hoc conuerſionis facinore, vt illius aliquid mente aſſequamur. Sex omnino indicamus. Prima, quæ res fuerint prædicatæ? Secunda, quibus? Tertia, qui eas prædicauerint? Quarta, qui huiuſmodi prædicationi repugnauerint? Quinta, quo pacto repugnauerint? Sexta, quis inde prouentus dimanauerit? Expẽdũtur ſex conuerſionis circũſtantiæ.

CVII. Quod prædicatum eſt, quàm maximè arduum, ac difficile erat intellectui, vt fidem adjungeret; voluntati verò nihil acerbius, moleſtiuſue, vt amplecteretur. Intellectui enim offerebatur vt crederet, ſuis ipſis in corporibus reuicturos homines poſt fata, vt Diuinum ſubirent judiciũ addicendi felicitati, vel flammæ ſempiternis. Deũ deinde naturâ Vnum, Perſonis Trinum eſſe, quamlibet Perſonam Deum, Vnum tamen omnes. Præterea Deum ipſum orbis authorem humanam ſibi induiſſe naturam, vt homines vindicijs ſecundùm libertatem datis ex Cacodæmonis ſeruitute in perpetuam felicitatem aſſereret: & in Crucem fuiſſe actum ſceleſtos inter expiraturum; ac tandem ligno affixum lethalibus exhauſtum doloribus edidiſſe animũ. Docebantur deinde mortales, hominem illum, quem ita didicerant expirantem, illum Deum eſſe, qui Cęli, terræq; molem effinxerat, & quidquid deniq; latiſſimo orbis ambitu circunſcribitur. Ad hæc, Cęlos ab ipſo in Crucem acto, efflantiq; animam continenti motu agitari; reſq; omnes Prima, quod prædicatũ eſt, maximè arduum erat humano intellectui.

creatas

creatas & esse, & ali. Iam verò voluntati apponebatur, omnibus se voluptatum illecebris abdicaturam, & nullo ducturam pretio res humanas: acerbissimâ viuendi methodo insistendum: & ne inconcessæ libidini inseruiretur, nulli vel vitæ parcendum discrimini.

Intellectũ subigit fidesique victoria gloriosissima est.

CVIII. Tantæ Res molis erat, tãtumq; facessebat negotij, vt omnibus hominum viribus maior esset: Diuinam id exigebat virtutem. Quem illum crederet, quæsiuit à Petro Christus: At ille: *Ego dico, quia tu es Christus filius Dei viui. Beatus es Simon*, reddidit è vestigio Christus, *quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus cęlestis, qui in Cęlis est.* Et quare non id Petro natura præstitit? Animaduertit Paulus capi per fidem intellectum: *Captiuantes intellectum in obsequium fidei*: at tam sui potens intellectus est, vt nullæ humanæ vires subigere illum eualeant: subibit voluntas humani affectûs seruitutem: at vnius tantùm Diuinæ potentiæ viribus obtemperabit intellectus. Non naturæ id potestatis est; *Quia caro, & sanguis non reuelauit tibi*. Cœlestis beneficium est virtutis: *Sed Pater meus, qui in Cœlis est. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Si Abrahami obedientiæ munus hoc extitit, quid Paulus fidei tribuit? Si ad credendum promptitudinem, cur etiam ad obtemperandum alacritatem non commendat? Quia voluntatem subijcere, eæ sunt obedientię partes: at subigere intellectum, id fidei est munus: maioribusq; ferri laudibus meruit Abrahamus, cùm intellectum submisit, quàm cùm perdomuit voluntatem. In nece inferendâ Isaaco, tenerrimo patris amori, obluctantis voluntatis affectum superauit Abrahamus: in adjungenda per id temporis fide Diuinis promissis de futura ab Isaaco progenie, reclamantis intellectûs argumẽnta profligauit: Commendabilior hæc Abrahami victoria, in qua naturalem intellectus propensionem coercuit, quàm illa, in qua effusam voluntatis libertatem continuit in officio.

Matth. 16.

Gen. 15.

Ad Gal. 3. Abrahami fides commendatur.

Trinitatis mysterium alijs longè præstat.

CIX. Singula fidei mysteria humani intellectus captũ longè superant. Sed mirùm quantum excedit Trinitatis arcanum: quod nequimus vel leui indicio peruestigare,

nedum

nedum assequi. *Feceruntq; similiter malefici incantationibus suis, vt adducerent Cyniphes, & non potuerunt.* Si Pharaonis Sapientes magicis artibus accincti cætera imitati sũt prodigia, quid tertium frustra suscipiunt, nec exequi valent? ideo scilicet, quia exprimebat hoc tertium Trinitatis mysterium: *Hoc manifestè indicatur, humanum ingenium, atq; sapientiam in tertio signo, siue in contuitu Trinitatis deficere.* Commentatur acutissimus Augustinus. Si verò tot, tamq; præstantes vbiq; gentium intellectus fidei obsequio ingenuè deuictos aspicimus, quid vltra superest, nisi verum esse omnino fateri, hac in fide elucere, eluxisseq; Diuinam potentiam, quæ tot rerum, quæ prædicabantur, nodos explicuit. Sed iam calamum inuitant ij, quibus hæc prædicata sunt. Exod. 8.

CX. Qui hæc inaudita, & difficillima accipiebant, Ethnicì erant, qui idololatriæ dediti, & prauis imbuti moribus colebant Deos, qui odio, inuidiæ, auaritiæ, luxuriæ, ac deniq; omni vitiorum generi impensè seruierant; & cum ea fuerint Numina, quæ colebant, non magnę rej erit ex Deorum moribus adorantium scelera æstimare. Ad hæc, persuasissimum habebant, nihil vltra mortem esse, quod sperarent, timerent vè. Nulli enim, vt credebant, curæ Dijs erãt humanæ res, quas eodem, quo vitam, claudi termino arbitrabantur. Atq: iccirco suæ non obstrepere voluntati, imò voluptatibus omnibus indulgere, eam ducebant felicitatem. Secunda circunstantia: Quibus prædicatũ est?

CXI. Eò orbis deuenerat, cum promulgatum ab Apostolis Euangelium est, eòq; scelerum ventum erat, vt inexhaustâ illorum eluuione vniuersus orbis submergeretur, quod Sacer Vates prædixerat; *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quòd vero ea inesset vis, ac virtus Christianæ Religioni, vt suis addictas sceleribus voluntates abduceret; pectoràq; quò liberiori, eò obstinatiori consuetudine vitijs obnoxia abdicaret, & ab effræna vitæ libertate, quam agitabant, ad arctam, quam docet Christiana fides, methodum traduceret auersâ ab humanis rebus Quo loco res mortalium erãt, cùm Euangeliũ prædicatũ fuit. Os. 4.

mente, ad Christumq; conuersâ, maius id est humanæ potentiæ viribus: Diuinâ eget virtute adhibendâ. Ea de causa Anima illa, de qua Salomon, enixè efflagitabat: *Trahe me post te.* Quid trahi postulat, nec ipsa pergit procedere? *Cordis vinculo trahitur*, ait alibi Augustinus: quādo enim ad Deum ducimur, quod primum viam init, cor est: At vbi cor Deo jungitur, sejungatur à terra necesse est, quas ad recta cogitationes intendit, à prauis longissimè auertit. Rectè igitur ab ipso trahi, gratuletur Anima Numini, cui totum hoc debet beneficium, non sibi. Quod enim cor à mundi illecebris desciscit, vt totum Deo studeat, quod nefas spernit, vt æquum amplectatur, quod deniq; lenocinantibus voluptatibus salutem dicit, vt cruciantibus doloribus incubet, non humani cordis studium id est, alij verti debet is conatus. Non tantæ se solum committit viæ, Diuinis trahitur viribus. Cum igitur tot corda, totq; mentes vnius Christianæ fidei ope ad Deum feliciter receptas intueamur, quis, si non imperitus omnino rerum æstimator, ibit inficias Diuinam hanc esse fidem? Dei esse mysteria, non hominum deliramenta? hæc enim mortalium corda non à noxîjs vitæ sceleribus ad saniorem frugem traducunt. Non plurimum laboris Heua impedit in inueniendo Adamo, quem interdicti pomi veneno inficeret, quocum illam Serpens fefellerat. *Comedit, deditq; viro suo.* At pluris stetit Samaritanæ virum suum ad Christum adducere: Se ad vrbem è rure contulit: *Voca virum tuum, & veni.* Quæ tanti discriminis causa? Adamum Heua inuitabat ad mortem: Virum, Samaritanam alliceret ad vitam, Lethifero illa pomo, hæc viuo gratiæ flumine: nullo igitur studio quæsitus Adam aduolauit ad malum, quod offerebat malum; at Samaritanæ Vir nullis non precibus fatigatus trahitur ad bonum, quo inuitabatur à conjuge. Non vltra moremur eos, quibus Diuina hæc arcana commissa sunt.

Cant. 1.

CXII. Qui hæc prædicauerint, fortasse quæris? Duodecim fuere eâ paupertate viri, vt ad victum necessaria etiam deessent, nudis incederent pedibus, & quorum plures piscatoriam artem censum haberent, rudes adeo, & imperiti, vt

Tertia circunstantia: Qui hæc prædicauerint?

vt literas nec à primo limine ſalutauerint;ejus nationis homines, in quam odio inexpiabili gentes cæteræ arderent: nec Ethnicorum quiſpiam Hebraici ſermonis conſuetudinem nactus fuerat. Qui quidem in omnes terras diffuſi non armorum ſtrepitu, ac vi, ſed Dei verbo Diuinæ ditióni orbem vniuerſum ſubmiſere: cum omnibus alijs expugnationibus aut vi,aut dolo initium factum fuerit: vt certè cōtigit Mahometis dogmatis execrabilibus, quæ armis innituntur, & tyrannidi. Suæ Diuinitatis argumentum Baptiſtæ alumnis patefacere ſtuduit Aſſertor orbis: & meminit tantùm prodigiorum, quæ patrabat:*Cæci vident*:*Claudi ambulant* : *Leproſi mundantur* : *Surdi audiunt*: *Mortui reſurgunt* : *Pauperes euangeliſantur*. Et Euangelium promulgare Pauperem, prodigio dandum eſt? eiq; prodigio,vt cęteris coronam addat? Maximè, ait Doctor Maximus: *Pauperes euangelizantur, quod præmiſſis minus non eſt*. Prædicandi, docendiq; prouinciam inire Pauperem,atq; indoctū inter magna maximum eſt prodigium, quæ ſunt à Chriſto edita.

CXIII. Qui iſtiuſmodi prædicationi, diſciplinæq; obnixè ibant obuiam, Romani ij erant Imperatores, penès quos humanarum rerum arbitrium erat; alijq; Reges, ac orbis Principes tum ij, quibus in continenti imperium, tum illi, quibus in inſulis obtigerat: ac deniq; Magiſtratus omnes, & quidquid gentiū vbiq; erat, recenti obſtabant Religioni. Sed impenſiùs omnibus Iudæi, quippe qui populares ſuos eſſe agnoſcebant, qui hujuſmodi diſciplinam diſſeminabant, illorumq; legem dabant peſſum. Quibus Euangelio obſiſtebant viribus tot fuere cruciatuum genera,quot potuit inuenire effera barbarorum tyrannis ad afficiendos eos, qui illud aut promulgabant, aut profitebantur. Fuere cruciatus, fortunarum publicatio, verbera, fames, ſitis,lacerata ferreis manibus corpora: illatæ neces cruce, gladio, aut igni: iniquâ laborantibus fame à canibus, leonibus, vrſis, tigribus, ac lupis immaniter laniari: & alia penè innumera,quibus inueniendis præfractum barbarorum ingenium laſſatum eſt; minimè tamen fracta tolerantium mar-

Euangelio obſtabant Imperatores,Reges, &c.

tyrum patientia: vt in illorũ vita, ac gestis videre planè est.

Infima mũdi eligit Deus, vt confundat, & superet sũma.

CXIV. Palam fecit Diuina potentia se hujus operis authorem esse. Fragili innixum baculo legauit olim Deus Mosen, vt Iudaicum populum ab Aegyptiaca seruitute vindicaret in libertatem: legauit, inquam, ad Pharaonem hostem egregiè strenuum, fortissimisq; cinctum copijs. Non id muneris mandauit Mosi, cum Principem ageret in Aegypto, sed cum oues ageret in syluis; cuiq; tam parum eloquentiæ inerat, vt ipse est de se testatus. *Non sum eloquens*. Et cum Aaron vberrimâ floreret eloquentiâ, vt Dei est testimonium: *Scio, quòd Aaron frater tuus eloquens sit*, non hanc prouinciam Aaroni imposuit, sed commisit negotium Mosi: *Mittam te ad Pharaonem*. Opportunam rei nostræ rationem offert Theodoretus; *Istud enim potentiam Diuinã magis illustrabat*. Non explicatis vndiq; copijs hoc negotij erat transigendum, sed sermonibus vltrò, citròq; habitis absoluenda res erat. Non igitur ad triumphandum Pharaonem, prædiuitem verborum supellectilem, quæ Aaronẽ commendabat, sed pauperrimam sermonis tenuitatem, quâ laborabat Moses, eligere placuit summo Numini. Nempe vt fidem faceret, huiuscemodi victorias non luxurianti verborum copiæ, sed adnitenti Dei potentiæ debere tribui. Periniqua Pharaonis mens, obstinatumq; Aegyptiaci Magistratûs consilium conuictum ab homine non eloquentiæ modò experte: *Non sum eloquens*, sed vacillantis, balbutientisq; etiam linguæ: *Tardioris linguæ ego sum*, planissimè monstrat, ac probat, non Mosi, sed Deo victoriam esse adscribendam. Qui Pharaonis improbitatem vincit, haudquaquam Moses est. Cęleste est Numen, quod Aegypti deuincit iniurias: Vt neq; ab Apostolis extremâ laborantibus inopiâ, & omni destitutis eloquentiâ partæ victoriæ, quibus victorijs orbis vniuersi errores profligârunt, illum à fędissimis idololatriæ tenebris ad fulgentissimos fidei radios asserentes, non illorum virtuti sunt ducendæ: Crucifixi IESV sunt gratulandæ potentiæ, qui Apostolis vtens vt legatis, eas Diuinis (Deus enim ipse est) peperit viribus, quas illis indulsit ad victoriam: non eloquio Apostolorũ,

Christi

Christi sanguini danda est palma; qui vt suæ potentiæ præberet speciem, egit de mundo triumphum, ducentibus copias non præstantissimis, aut paratissimis á milite viris, sed qui hanc ineptè prouinciam sustinere humanis mentibus viderentur: in rationis jus, ac ditionem concedente potentiâ, nec rationis virtutem potestatis robore infringente.

CXV. Qui fuerit ab hac prædicatione prouentus iam res exigit æstimare. Proscripti sunt barbari idolorum cultus: excepta, maximoq; habita est honore vera fides, ac Religio, quam Christus IESVS verè Deus, & homo Virgine Principe nostra, illiusq; Parente natus orbem edocuit. Inter tres mirandas maximè vniones, quas Bernardus Sanctissimus à Diuina tantummodò potentia patrari posse affirmat, hanc etiam enumerat: nempe *Deus, & Homo: Mater, & Virgo: Fides, & cor humanum*. Aestimante nec iniuria integerrimo isto viro, præstantem adeo rem esse humanam inter rationem, ac Fidem fœderatam concordiam, vt duobus alijs prodigijs egregijs admodùm nequaquam impar esse videatur. E duobus prodigijs alterum illud est, Deum sibi humanam naturam arctiori, quàm potest, vinculo copulâsse: alterum, fuisse Virginem effectam Parentem illibato virginitatis flore, quem retinuit, ac retinet Virgo Sanctissima, in qua Matris felicitas intemerato Virginis flori (quæ est Dei potentia) innoxiè pariter, ac mirè annexa est. Vnde nonnulli eximiæ sanctimoniæ viri meritis opus hoc laudibus ferre amantes, id tandem asserunt, se ancipiti mente distractos omnino hærere, remq; in medio relinquere: Vtrum maius nimirum prodigium fuerit, Deum mortalium ductum amore acerbissimam Crucem subiisse, an credidisse mortales Deum esse, qui Cruci suffixus immanibus haustus doloribus efflauit animam?

Vnio inter fidē, & humanū cor maximè mirabilis.

Ser. 3. in Vig. Nat. Dom.

CXVI. Vt Dei Vnigeniti Incarnationis mysterio haberet Iosephus fidem, satis ipsi fuit insomnis vidisse Angelum, à quo factum accepit: *Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*. At verò vt sibi persuaderet Centurio, Christum Cruci affixum Deum esse, vocem extulit in Cruce Christus, & intentum clamorem emisit: *Videns, quia sic clamans expirasset*.

Ioseph. fidem habet Incarnationis mysterio in somnis monit⁹.

Matth. 1.
Marc. 15.

rasset. Vniuersitatis moles ordine soluta suo obturbata est: Sol tenebris obrutus insperatis assuetam terris lucem denegauit: Lapides ingenti veluti dolore tacti in frusta passim dissilierunt: tumuli viscera recluserũt vt redderẽt mortuorum corpora: Templi Velum, nequid foret inaccessum dolori, concisum repentè est. Quæ omnia eodem temporis momento patrata prodigia extorserũt â Centurione fidem, cæterisq; qui simul intererant spectaculo. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes IESVM viso terrametu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Verè filius Dei erat iste*. Itaq; visus in somnis Angelus ad Incarnationis fidem Iosephum duxit facillimè: Verùm ad Crucifixi Diuinitatem credendam tot Centurionem prodigia, quot refert Euãgelicus scriptor, Nosq; memorauimus, ægrè traxerunt: eam offert hæc veritas fidei difficultatem, quam sola prodigia labefactent. Huiusce forsitan rej causam inuit Matthęus, cum ait: *Et timuerunt valde*. Certum planè est Diuinitatis argumentum, hominem supplicio Crucis affectum eos de se timores incussisse. Cum Christus gloriosè reuixit è tumulo, illius etiam custodes correpti sunt timore non exiguo: *Exterriti sunt custodes*. Timori quidem, at non fidei obtemperarunt. Extimuisse Resurgentem Sepulchri custodes dicuntur: at illius Diuinitati habuisse fidem, perspectum minimè, aut compertum habemus; quod euênit aliter in Crucis custodibus. Non enim magnum est inter illustrem Resurrectionis gloriã timori mortalibus esse: at apertissimum est Diuinitatis indicium, indecoras inter Crucis iniurias tantum timoris hominem inijcere: quo quidem timore vt tunc in Caluariæ monte, ita voluentibus postea annis se orbi vniuerso Deum exhibuit; occupante mortalium animos per Apostolicam prædicationem ingenti erga Crucifixum timore, ac Religione. Is sanè fructus vocari minimè patitur in dubium Diuinam hanc esse Fidem; quinetiam manifestè suadet Deum esse illius authorem Crucifixum scilicet Christum.

Sepulchri custodes cur tanto perfusi timore non fidẽ habuere Christo?

CXVII. Nec leuioris aliud momenti erat, quod mortalibus Apostoli suaserunt, vitæ nempe, morumq; mutationẽ (qui-

Apostoli docuere

(quibus antea moribus vitam agitabant) ita pristinam viuendi consuetudinem permutantes, vt in Spiritum Corpus, in Cœlum Terrã, in Angelos verterint Homines, quemadmodum palam fit in Martyrum multitudine infinita propemodùm, qui sub idem tempus in omnibus terrarum plagis præsenti animi virtute affecti sunt cruciatibus; neq; enim tot, tantorumq; dolorum ingentem vim, stupente torquentium immanitate, perpessi essent, nisi animos faceret Fides firmissima; tutissima Spes; ardentissima Charitas; Fortitudo inuicta; insuperabilis Tolerantia; ac deniq; Virtutum omniũ cætus, quæ acerrimo prælio vsui essent absolutissimæ; cum præsertim sibi vicissim virtutes hæreant, aliaq; absq; aliarum cõsortio diu vix perstet. Quod verò hæc omnia, mortaliũq; rerum contemptum Apostolorum suasu mortales fuerint amplexi, nõ quidem præstari potuit, quin ferret suppetias Diuina virtus; corda enim quoquouersum flectere, ac versare, vnius est Diuinæ potẽtiæ. Mosi summam in Pharaonem potentiam legauerat olim Deus: *Ecce ego constitui te Deum Pharaonis*. Sed sibi retinuit Deus ipse, ac Dominus, quo imperio Pharaonis cor moueret, ac flecteret; id enim tum temporis illius erat Prouidentiæ cõsilijs opportunius: *Sed ego indurabo cor eius, & educam populum Israel de terra Aegypti per iudicia maxima*. Si Mosi summa in Pharaonẽ potestas est; si Dei vices nanciscitur legatus cur abhorrent hæ partes ab eius munere? Cur Regij cordis habenas sibi tractãdas reliquit Numen? Eò scilicet, quòd mouere corda ad Diuinæ Prouidẽtiæ præscripta, maius est, quàm quod possit Mosis iure comprehendi: Diuinam postulat manum: implebit Moses tellurem prodigijs; seruiet, vel Cœlum illius arbitrio; sed mortalium versare corda prodigium est, quod solius Dei virgæ obtemperabit; quippe quod solius Dei potentiâ valet effici. Si vero tot iam corda nõ obdurata modò (quod Pharaonis erat) sed ferrea etiam in ceræ lenitatem, ac mollitiem flexa per Apostolicam prædicationem intuemur, quid dicendum tandem nobis est? imò quid à nobis dici æquum, fasq; est? Id nimirum dicimus, nõ hæc Apostolorum viribus præcipuè tribuenda, sed Diuinæ

mortales nouam viuendi consuetudinẽ.

Exod. 7.

Moses in Pharaonis cor imperiũ non accipit.

uinæ ducenda potentiæ, quæ hisce in rebus præcipuum decus tulit. Non ita ab Apostolis delinita sunt corda: tractauit Deus mentes, ac flexit, Vnus enim Deus eam ijs mentibus vim potuit addere, vt fortunarũ, sanguinis, ac vitæ prodigæ omnia pependerint flocci, quò homini Crucifixo tribuerent Numinis Religionem; & quò ardentiùs amplecterentur virtutem, lenocinantem vitæ licentiam pro nihilo habuerint.

Incusatur Judæorum obstinatio.

CXVIII. Quis igitur vsquam est intellectu ita obtuso, & obcæcato, qui manifestis adeo strenuisq; à veritate radijs non illustretur? non cedat? non agnoscat? Diuinam fuisse virtutem, quæ stupendas sęculis omnibus permutationes, ac cordium conuersiones est operata (vt sunt orbis vniuersi, imperijq; Romani) vnamq, tantummodò Christianam Religionem veram esse? *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob* (admonuit Isaias Prophetes) *& docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Eam nobis præmõstrauit viam, quam edocti sumus à Christi Discipulis, vt nos ad Domini montem conferremus, Christum nempe IESVM illius vnigenitum; & ad Domũ Dei Iacob, illius nimirum Ecclesiam: Apostolorum enim disciplina Prophetarum veritas extitit, quam cęlestis vtriusq; Testamenti concentus latè probat. Quapropter obliquis vijs decedere, & rectis insistere opus omnino est: à Synagogæ ritibus descíscere; & ad Ecclesiæ fores longè, latèq; patentes sese conferre: Iudaicam superstitionem abijcere, & ex animo Christianam fidẽ amplecti, quæ vna saluti modò & est, & esse potest; vt à Christi fide, ac disciplina ediscimus, quã nobis vtroq, Testamẽto, Vatum videlicet vaticinijs, & Euãgelistarum scriptis firmatam reliquit, quò in nobis mirè consona esset fides, vbi vnum, & alterum Testamentum sibi inuicem consonè adeo cohærebant.

Isai. 2.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Iudaici populi reiectionis cum Euangelica Lege Harmonia.

CXIX. SExtum Harmoniæ cęlestis vtriusq; Testamẽti concentum edit Iudaici populi rejectio, & improbatio; hoc enim ob illatam Christo IESV mortem in illum Deus supplicio animaduertit; vt ita multorum Vatum prędictionibus, Euangelicisq; scriptis responderet euẽtus: *Non addam vltra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum: & voca nomen eius: Non populus meus; & ego non ero vester Deus.* Hæc Oseas. Ioannes, quæ illis Christus edixerit Ierosolymis, suo nos edocet in Euangelio: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis: oues meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Et apud Matthæum Israeliticæ genti reprobationem minãs dixit Assertor; amouendum ab illis cęleste Regnum; atq; ethnicis concedendũ; illi enim suis se sceleribus indignos illo effecerant: hi verò diuinam gratiam officiosè demerẽtes adirent hæreditatem, quâ Iudaicum populum exhæredabat: *Ideo dico vobis*, ait Seruator, *quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti.* Quod ijsdem penè verbis prędixerat Isaias in vineæ parabola de Hebraica gente loquẽs. Quod Assertoris verbis similitudinem eãdem referentibus apud Matthæum mirè admodum consonat: vterq; enim conceptis propemodum verbis mentem explicat, & sententiam: consulatur vterq, qui non modò sibi in attestanda veritate consentiunt; sed neq, dicendi modo discrepant, phrasim amicè fœderantes, vt puriorem reddant concentum.

Concentus ex Iudæorũ improbatione.

Os. 1.

Ioan. 10.

Matth. 21.

CXX. Ante Christi Liberatoris, ac Vindicis necem effloruit Iudaicus populus eâ nominis celebritate, vt omnibus longè præstiterit. Cujus rej in causa erat Dei veri agnitio, quam ipse tantùm assequebatur: Religionis, Diuiniq; cultûs absoluta perfectio, qui in illo mirificè vigebat ob Diuinam consuetudinem, qua vtebantur: Illustrissimum il-

Iudæi ante Christi mortẽ maximè floruerunt.

 lud

lud templum, quod maximum orbis prodigium omnium gentium rapuit admirationem: Nobilis ejuidem Regni antiquitas, quod par antiquiſſimis erat, & à Ioſue temporibus millesimum quingenteſimum annum expleuerat: Ieroſolymæ Vrbis magnitudo, quæ Orbis celeberrima fuit: Illuſtria literarum ſtudia, quæ maiorem in modum populum exornabant: Egregij, & famæ amabiles Duces, quos armis pręſtantiſſimos tellus illa ediderat. Sed poſtquam ſceleratas manus Soſpitatori Chriſto intulerũt, eam res ſubiere viciſſitudinem, vt Princeps illius Regni Ciuitas interierit ab ſtirpe, Templum ſuis obrutum cineribus ſolum oppleuerit: & maior gentis vis extremo multata ſupplicio pęnas dederit; atq; ea, quæ ſuperſtes fuit, toto diſperſa orbe tantam fecerit honoris, & exiſtimationis jacturam, vt barbaras etiam inter nationes fæx hominum æſtimetur, ac ſordes. Hac tanta rerum vice populum obruente, cui Deus impensè adeo fauerat, planiſſimè indicatur, ingenti aliqua ratione commoueri Deum, vt erga hunc populum tanto ſe gerat diſcrimine.

Quæ dãna ferunt, à Deicidio effluunt.

CXXI. Quæ fuerint hujuſce populi ſcelera grauiora, & quibus ob illa ſupplicijs ſint affecti, tum priuſquam mortẽ Chriſto inferrent, tum poſtquam peſſimum hoc facinus admiſere, lentiùs contemplari res exigit. Vnde dilucidè patebit, graues has pœnas, grauemq; quam populus hic ſuſtinet, Dei iuſtiſſimam iram, non aliunde quàm à Deicidio effluere potuiſſe. Ad quod non abs re erit animaduertere, quòd, cũ idololatria ſceleribus omnibus prędſtet improbitate, à Babilonica ſeruitute non rurſus hoc crimine ſeſe Populus implicuerit: vt nos ſacra docent volumina, & teſtatur Ioſephus. Imò ne leui ſaltem vmbrà, quæ idololatriã ſuboleret, mentem inficeret; non ſemel exitij, ac ruinæ ſubijt periculum.

Mors Prophætis illata ſummũ eſt ſcelus.

CXXII. Quod etiam ſcelus maiora inter poſſumus enumerare, mors eſt ſacris Vatibus, Viriſq; ſanctiſſimis per ſummum ſcelus irrogata. Quod quidem criminis genus Ieroſolymæ Reges admiſiſſe, compertum ſatis habemus, antequam in Babylonicam ditionem, ſeruitutemq; concederet

oppulus;

Populus; Manassem præcipuè, cujus imperio Isaias Prophetes ipsius socer serrâ est dissectus. Componens Galatinus Iudaici populi scelera, antequam Babylonicâ seruitute premeretur, ejusdem gentis criminibus, postquam in libertatem est vindicata, euersum fuisse templum demonstrat tria præsertim ob flagitia, quæ sub illud temporis populo dominabantur; sed quæ postea non extitere. Fuere hæc Idololatria; Luxuria, sed quam natura ipsa damnat, & execratur; Prophetarum, sanctissimorumq; hominum sanguinis effusio. Et postquam relictâ Babiloniâ patriam repetijt Populus, Prophetam vllum, præter Baptistam, ab ipso occisum nos plane latet: Baptistæ tamen mortis inuidia conferri nequit in populum, cum Sacræ testentur literæ, maximum illi honorem habuisse omnes: Sed totũ hoc scelus in Herodem conflandum, quem increpauerat Baptista ob infandum incestum, in quo cum fratris coniuge degebat. Itaq; quod ad Prophetarum necem attinet, neq; ex Sacris voluminibus, neq; ex Iosephi prophanis, qui suæ nationis res studiosiùs literis consignauit, constat, Vatem quẽpiam ab ipsis interfectum annis ante quadringentis, quàm Christus orbem assereret.

CXXIII. Quæcumq; alia scelera leuiora sunt æstimãda, quàm duo illa, quorum altero debitam Numini Religionem idolis tribuit Populus; altero eo vsq; Deum contempsit, vt illius Vates scelerate occiderit. Vbi vero duo hæc imperant, maiora, maioraq; crimina vigent. A duobus enim his generibus veluti à manantibus cõtinenter fontibus effluunt quæq; alia bene largè. Et ita huius populi peccata, quæ sua memoria peccauerat, describente Ezechiele, ad summum improbitatis cumulum videtur peruenisse. Ex quo sacris literis affinius est æstimandum, Christi Liberatoris temporibus non effusè adeo habenas sceleribus populum immisisse, vt ante Babylonicam captiuitatem effecerat, quorum temporum æqualis erat Ezechiel. Nanq; Christi memoriâ duo illa, quibus grauiùs læditur Numen; idololatria nempè, & mors Prophetis illata, à Iudaico Populo exulabant.

 Cum

Iudaicus populus sceleratior ante Babylonicã seruitutem.

CXXIV. Cum igitur certum omnino sit, Israeliticã gẽtem, priusquam Babylonicum iugum experta esset, grauiora facinora perpetrasse, quàm deinceps in nostra vsque tẽpora admisit: illiq; ob prima flagitia, quæ tantum improbitatis obtinebant, septuaginta annorum seruitutem à Deo fuisse irrogatam; cuius tamen labores, suos per Prophetas leuare assiduè studebat, qui libertatis promissis etiam atq; etiam iteratis, præscriptum vbi tempus effluxisset, languentes plebis animos erigebant. At verò à Christi Seruatoris morte, eos Deus damnauit exilio, quod iam inde ab anno sexcẽtesimo supra millesimum miserrimè patiuntur, & grauia admodum supplicia ab illis sumpsit, quæ omnium oculis passim occurrunt: E duobus ergo alterum affirmandum est: vel Deum immeritò has pœnas exigere (quod manifestæ habetur blasphemiæ) vel scelus aliquod admisisse Iudæos, quo Dei in se iras acriùs incitarent, quàm cæteris; hoc autem flagitium non aliud esse valet, quàm Dei Vnigeniti, & Orbis Assertoris mors, qui cum Deo ipso vnum, & idem est.

Varia Iudeorũ effugia.

CXXV. Author est Galatinus Iudæos hocce argumento egregiè pressos cæcutientibus ad illustrem oculis lucem, obcæcatisq; per vitia animis, ad varia se conferre effugia, quibus indies sua se caligine peruicaciùs inuoluerent. Hi enim inquiunt, se propter culta olim idola seuerè adeo pęnas dare. Illi vero, se commissum in venditum Iosephum scelus luere hisce supplicijs. Quidam, in se acerbè adeo animaduerti ob pessima facinora, quæ in Romanorum ditionem accepti patrauerant. Iosephus, Iacobi Minoris Sãctissimi Viri neci iram hanc Dei vltricem tribuit, quam tamen postmodum nimiam iudicans, vt hominis sancti mortem vlcisceretur, in absonam deflectit sententiam; ait enim Deum his in Iudaicum populũ supplicijs sæuire, eo quòd factiosos homines progenuerint, qui Titi obsidionis tempestate vexârunt omnimodè regnum.

Vera, cur puniantur, causa,

CXXVI. In hæc, & eiusmodi alia deliramenta à recta, & regia via declinantes (quæ est Christus IESVS) Hebræi inciderunt. Sed quam vsurpamus oculis veritatem, nos

planè

planè docet, respondere supplicium crimini, & vt pessimum post omnium seculorum memoriam scelus fuit, nec sceleratius aliud patrari poterit, ita modum omnem supplicium excedere. Quinetiam suadet hæc eadem veritas, implacabili odio in gentem hanc exarsisse Numen, eamq; à se longiùs, quàm nationes cæteras repulisse, quòd sua in duritie, ac perfidia obfirmata merito officio noluerit Seruatorem excipere. Quod fortasse in causa fuit, vt templi velũ, simul atq; occubuit Christus, scinderetur: *Et velum templi scissum est*. Referebat enim Israeliticum populum in varias orbis plagas diffusum abdicato honore; nec iam fauente Numinis patrocinio, quo illum clementer olim protegebat. Hilarij sanctissimi mens est: *Ideo velum templi scinditur, quia exinde populus est diuisus in partes; & veli honor cum custodia Angeli protegentis aufertur.* Non est tamen adnimauersione indignum, duplex fuisse in templo Velum: alterum intimam, arcanamq; partem tegebat: extrinsecam, patentemq; alterum. Admonitionem debemus Origeni. Et quod diuisum, partitumq; est, interiori superstite, exterius fuit. Quòd quidem opem nõ contemnendam nostræ affert sententiæ, nimirum gentem hanc dispersioni, dedecoriq; damnatam, atq; antiquo Dei patrocinio destitutam animas ipsas trahere, propter mentis, quã amant, peruicacitatem. Non tanto apponendum damno est, quòd dissectum fuerit velum exterius, quanto, quod non rumpatur interius, hoc est, quo obcæcata illorum corda obteguntur: & quandiu hoc velum non dissecabitur, supplicium non amouebitur. Eapropter diuino permissu illud permansit, integrumq; etiamnum perseuerat, vt vbiq; gentium Iudaicum omnes populum ludos faciant, & suspenso, quod aiunt, naso irrideant; eoq, odio habeantur à Deo, quod nulla vnquam nationum est experta. Quod ex rationum momentis, quas infra scribimus, illustrius sanè fiet.

Matth. 27.

Velũ scissum, dispersum populum significat.

Duplex in templo velum erat.

Orig tr. 35. in Matth.

CXXVII. Primòdum omnium: quia postquam illos Numen ingentibus perterrefecit minis, supplicijs nempe ac cladibus ipsis infligendis, quas se aucturum indies, ac

septies

ſepties geminaturum edixerat, ni ſe reciperent meliorem
Leuit. 26. in frugem, hæc tandem ait: *Ego incedam aduerſus vos in furore contrario, & corripiam vos ſeptem plagis propter peccata veſtra, ita vt comedatis carnes filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum. Diſperdamq; terram veſtram, & ſtupebunt ſuper ea inimici veſtri, cum habitatores illius fuerint: Vos autem diſpergam in gentes, & euaginabo poſt vos gladiũ, eritq; terra veſtra deſerta, & ciuitates veſtræ dirutæ.* Quæ omnia cum Iudaico populo eueniſſe neminem fugiat, infandum aliquod ſcelus in Deum patraſſe, certum omnino eſt: cuius ſceleris causâ diuinas impensè iras irritauit in ſeſe. Hoc verò crimen non aliud æſtimandum eſt, quàm Dei Filio ſceleratas manus intuliſſe: vt poſtmodùm in lucem dabimus.

Diuini erat moris laboranti populo opitulari; quod modo nõ præſtat.

CXXVIII. Deinde quia diuini moris erat, populum hunc in maximas redactum anguſtias, ſi anteactæ vitæ ſcelera ſalutari deteſtatione damnaſſet, & ad Deum ſummiſsè confugeret, peramanter excipere, & priſtinam vindicare in libertatem. Quod ſuperioribus egiſſe temporibus nullâ prætermiſsâ conferendi beneficij occaſione conſtabit apertè ex ſacris literis; quod non modo ſuo de more faciebat Deus, & quòd illius ingenium ſit miſereri mortaliũ; ſed ex officio, & fœderis iure, quo ſe obſtrinxerat ſuppetias populo venire, quoties illius opem imploraret. Moſe internuncio poſt indicta ob idolorum cultum ſupplicia, hæc eſt allocutus Deus. *Cumq; quæſieris ibi Dominum Deum*
Deut. 4. *tuum, inuenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ: non demittet te, nec omnino delebit, neq; obliuiſcetur pacti, in quo iurauit patribus tuis.* Quod promiſſum alijs Sacræ Scripturæ locis firmatum reperimus, Qua de cauſa ſi Fidem ſuã obſtrinxit Deus, ad Iudaico populo opem ferendam, vbi redactus ad incitas Diuinam implorauerit fidem; cum iam annus ſexcenteſimus ſupra milleſimum euoluatur, ex quo laborioſiſſimo damnatus exilio vitam trahit, quam olim legem à Deo acceperat obſeruans religiosè, implorans, infimiſq; precibus auxilium rogans à Numine; quid cauſæ eſt, ne precantibus aurem admoueat

ucat, totq; iactatos laboribus tandem aliquando absoluat, cum fidem datam fallere nunquam soleat, nec illius verbis mendacium subesse queat? Dubio procul est, aucto in dies supplicio per tot annorum seriem continuato, & desperatâ magis, ac magis spe desertos fuisse à Numine, neq; id flecti illorum precibus, imò nō illos suâ dignari cognitione; quippe quos impensè odit incredulitatis ergo.

CXXIX. Tertiò: quia facientibus imperata magna se Deus beneficia collaturum pollicetur: quibus pollicitis ferax est sacra Pagina, præsertim in Deuteronomio: atqui pro his magnis admodum beneficijs, quibus ibi ad obseruandam legem alliciuntur: *Faciam te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam; vt sis populus Sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est*, acerbissima supplicia illis à Deo inflicta intuemur, illosq; omniū ludibrio, ac contemptui expositos, suorum hostium superbiæ, imperio, ac voluntati obnoxios; & quotquot in Leuitico numerantur affectos maledictis, ac pœnis, quæ Deus legem negligentibus suam minitatur. Planum quidem est improbari omnino à Deo, ac repelli ob execrabile scelus, quo in orbis Assertorem ad mortem vsq; iniquissimis animis sæuierunt. Vel potius se ipsos eandem ob culpā amouere longiùs à Deo; suis enim sceleribus in sese damnationis sententiam ferunt mortales. *Venite benedicti Patris mei. Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Iustos, ac sanæ vitæ homines ab Aeterno parente benedictos extremo voluentiū seculorum die appellabit Supremus vniuersitatis Iudex, ac destinatæ illis gloriæ potituros; iniustos verò, ac propalatæ improbitatis maledictis oneratos dicet; sed à quo affecti, tacebit; neq; ipsis sempiternum ignem paratum, sed Cacodæmoni, illiusq; sequacibus Angelis adstruet. Quid ita? vt mercedem merentibus tribuere, ita sumere pœnas de scelestis, æquum est iustitiæ munus. Si igitur Aeternus Parens mercede probos, cur prauos non dicitur supplicijs afficere. *Benedictionis quidem ministrator est Pater: maledictionis autem vnusquisq; sibi est author, qui male-*

Sua facientibus imperata, magna. Deus beneficia pollicetur.

Deut, 26.

Salutem à Deo, Damnationem à se ipsis accipiunt homines.

Orig in Cat. D. T.

maledictione digna est operatus, ait pulchrè Origenes. Itaq; se ipsos improbi damnant, cum exequuntur damnanda : non longa est à scelere ad supplicium via: damnoso lucro pœnas sibi comparant à culpis.

Illis Deus præsentius adest, qui illius causa laboribus iactantur.

CXXX. Quartò: quia illis profectò (quæ illius clementia est) præsto est Deus vberioribus beneficijs, qui in illius gratiã obfirmato ad omnẽ patiẽtiam animo exercẽtur laboribus, & multorũ iactantur inuidia. Magna in Sacris literis memorandi est copia illorũ,qui in extremis periculis Diuinã sunt opem familiariter experti. Et licet priuatim nonnunquam secus obtigisset, improbitate,Dei permissu,innocentiæ dominante ob arcana sapientiæ suæ consilia, haud quaquam tamen credibile est, Diuinam id permittere Prouidentiam de Regnis,magnisq;hominum cœtibus, idq; longo temporis decursu. Cuius rei exemplũ suis in primordijs Christiana nobis offert Religio. Quapropter cùm innumerus penè sit Iudæorum numerus,& millesimus sexcentesimus sexagesimus annus euoluatur; ex quo illos fœda laborum,& dedecorum tempestas incessit,nec adhuc posuit; palam quidem fit, ingratos Deo esse huiusmodi labores, qui laborantibus opitulari non insistit, nec extrema omnia experientes amat eripere;neq;illos Diuinam obseruare legem æstimandum, sed potiùs abire omnino à vero, vt captos oculis. Itaq; ingrauescentem cæcitatem grauius consequitur supplicium.

CXXXI. Quinto: quia legem per Mosen tulit Deus,vt capite multaretur Prophetes,qui futura prædiceret,simulq; populum edoceret peregrini Numinis religionem. Ea de causa, si Dei Filius (vt obstinatè, & impudenter aiunt Iudæi) æstimandus Christus non est; & illius morti titulum hunc, coli nempe vt Dei Filium, Iudæorum Antistites prætulerunt, non vulgarem profectò gratiam à Deo inirent, imò maxima post id obsequij non sperare modò, sed suo quasi iure exigere à Deo possent beneficia; qui enim Diuinum honorem impensè amant, tuenturq., effusæ liberalitatis mercede à Deo oppidò accipiuntur. Curæ habuit Phinees Dei honorẽ: vitam ademit scelerato Deus,ad Sacer-

cerdotij dignitatem euexit Phineen. Vſus aduerſus Deum eſt officio ſimili Matathias; illius per filios reſtitutum Regnum ad ſummam potentiam perduxit, illiſq; inſigne, ac ejus adminiſtrationem impertiuit. Quibus igitur Iudaicũ Populum, Iudaicoſq; Pontifices exciperet beneficijs, qui vitâ hominem ſpoliarunt diuinos ſibi honores falsò, vt ipſi credunt, arrogantem, Deumq; ab omnibus amantem judicari? Si vero obuium cujuſq; oculis eſt, non multò poſt quàm immiſericorditer Seruatorem priuârunt hac luce, illorum Regnum, Vrbes, ac Templũ funditus fuiſſe diruta, in ipſoſq; flagello grauiori animaduerſum, quod nullo vnquam tempore in regnum vllum deſæuijt, planiſſimum eſt, admiſiſſe Iudæos ſcelus poſt natos homines peſſimũ; quod Diuinam ad hanc diem iram alit; quod Synagogam euertit penitus: quod Diuinam opem, ac ſtudium traduxit aliò. Omnia nos docet vtrumq; Teſtamentum, Nouum videlicèt, & Vetus: Omnia tum Euangelici Scriptores, tum ſacri Vates.

CXXXII. Ducamus initium ab Euangelico hiſtoriographo. Cum ſermonem haberet Chriſtus de vineæ ſimilitudine apud Matthæum, quæ gerebat Synagogæ typum, Miſiſſe ſe, ait, ſeruos ſuos, modò hos, modò illos: additq; quoſdam à Iudæis occiſos, obrutos lapidibus alios. Exprimunt hi ſerui antiquos Vates, quos ingratiſſimus Populus interfecit tum lapidibus, vt Ieremiam, tum etiam linguis, vt Moſen, & Aaronem, quemadmodũ exponit Rabbanus. *Primi ſerui qui miſſi ſunt, ipſe legifer Moyſes, & Aaron intelligitur.* cum enim illorum famam ſiniſtris ſermonibus Populus lacerauerit, ſatis id fuit, vt vita functi crederentur: & tamen ad Synagogæ ſcelera connixit Deus; ac tandem *Miſit filium ſuum*, quem Iudæi *eijcientes eum extra vineam occiderunt* hic maximopere Deus excandeſcens *Malos malè perdet*. Itaq; non Synagogam, quam referebat vinea, demolitus eſt, dum ſeruos è medio ſuſtulit, ſed cùm filium egit in Crucem; quod enim patrârunt flagitium, vbi Dei Filium immeritiſſima morte affecerunt, id Diuinum cõcitauit furorem, quò funditus Synagogam dirueret.

Synagoga ſimilis fuit vineæ. *Matth.* 21.

rueret. Euangelistæ mirè consonat Danielis vaticinium; quod ait, expletis duabus supra sexaginta hebdomadibus, accessurum tandem Christum, immaniterq; tollendum è vita: *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.* Atq; hujusce criminis causa excessurum populum peculiari Dei patrocinio, & Synagogæ Rempublicam ad extremam perniciem venturam. *Et non erit eius populus, populus qui eum negaturus est.* Pergant modò Hebræi, & qua hujus veritatis vim infringere valeant ratione, maturè perspiciant. Sed, credo, lauabunt laterem. Quod longiùs igitur est, deponant tandem aliquando cæcitatem suam, quandoquidem expletam veritatem, & consona Testamēta intuentur, & flagellum, quo egregiè adeo vapulant, iratum meritò Numen deponet. Si ob illatam Christo necem puniuntur, suum verè Messiam Christum salutent, ejus morte salutem assequentur, cum illorum etiam amoris trabalibus plusquā clauis se Cruci amârit affigi. Mortem ipsi sua immanitate Christo, vitam Christus sua ipsis peperit clementia.

Dan. 9.

CXXXIII. Et quæ Diuini consilij ratio fuit, vt populum, quem sibi tenerrimo amore, ac delectu adoptauerat Deus, in eam caliginem, & incredulitatem permiserit immergi, postquam illum maximis beneficijs cumulauerat? Eò scilicet, quia cum illius Sapientia, ac Potentia ambitu contineatur nullo, maxima emolumenta decerpere nouit summis ex malis. Ex Adami scelere ad illius salutem expediuit Filium in terras. Ex Pharaonis obstinatione magnam suo nomini gloriam, ingentem populo suo existimationem demeruit. Quem modò populum ita obfirmari, & obcęcari permittit, vt magna inde commoda decerpat. Primū omnium humàni generis salus, ac recuperatio numeratur, quod sua Assertor morte vindicauit: vt iam inde ab æternitate præscriptum erat. Si enim ad inexhaustam Seruatoris lucem Iudæi non cæcutirent, & excæcarentur, sed illum agnoscerent, & colerent, fieri minimè poterat, vt eum capite damnarent, quemadmodum ait Apostolus; & ita fieret Orbis suæ orbus libertatis.

Cur Iudæos in tantā immergi caliginem Deus permiserit?

Secun-

CXXXIV. Secundum illud extitit, nempe gentis Ethnicæ ad ſanam Chriſti fidem traductio, & idololatriæ vbiq; locorum euerſio, quæ omnes inuaſerat terræ plagas. Iudæi enim obcæcati, & obnixè Apoſtolicæ prædicationi obſiſtentes præbuere anſam, quò illis ediceretur, hoc Redemptionis arcanum Iſraelitico pręſertim populo Duino juſſu euulgari, quippe cui à Deo, ſuiſq; Vatibus promiſſum pręcipuè eſt; & primum in hoc Dei beneficio locum obtinebat. Verum cum ſua ſe tenacitate illius redderet indignũ, ethnicæ genti eſſe conferendum. Quod quidem idem illud eſt, quod ad Romanos ſcripſit Apoſtolus: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Dico ergo; Nunquid ſic offenderunt, vt caderent? Abſit. Sed illorum delicto ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur. Quod ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium; quanto magis plenitudo eorum;* Ethnicorũ conuerſio. Rom. 11.

CXXXV. Tertium fuit, quod Ethnicos in fide ſtabiliuit, ac æternos reddidit; affecti enim pœna, ac per orbem diſperſi ſuam ob perfidiam Iudæi ſacra volumina, & oracula, quæ incorrupta adhuc adſeruabant, Ethnicis attulere, vt tam fideli, ſtrenuoq; teſtimonio illos in Fide, Chriſtianaq; Religione firmarent. Si enim omnis Iudaicus Populus ad Chriſti fidem adjungeretur, poſſent Ethnici Chriſtianis aſſerere, quam edocebant diſciplinam ſuum fuiſſe inuentum, quod vt nequirent adſtruere, & altius conſtabilirentur in fide, Iudæorum peccatum, illorumq; in orbem diuiſionem permiſit Numinis prouidentia; *Diſperge illos in virtute tua* (Aeternum Parentem allocutus eſt Chriſtus) *& depone eos protector meus Domine: delictũ oris eorum, ſermonem labiorum ipſorum, & comprehendantur in ſuperbia ſua; & de execratione, & mendacio annunciabuntur in conſummatione; in ira conſummationis; & non erunt: & ſcient, quia Deus dominabitur Iacob, & finium terræ.* Ex quo Populi hujus ſupplicium præclara eſt Diuinæ veritatis teſtificatio, quæ Meſſiæ aduentui fidem adſtruit, & nos edocet adueniſſe, eumq; eſſe Chriſtum Crucifixum; cùm Iudæos Sacras literas acceperunt Ethnici à Iudęis

tot ob id ſceleris percuſſos plagis aſpiciamus, miro inter Euangelicam veritatem, & legis oracula intercedente fœdere.

CAPVT SEPTIMVM.

Christianæ diſciplinæ cum Prophetica Harmonia concentus.

Concentus ex Christiana diſciplina.

CXXXVI. EVangelicæ diſciplinæ ſublimitas, ac perfectio ſe à Deo duxiſſe initium planiſſimè demonſtrat, & noſtræ integritatẽ legis cœleſti concentu patefacit. Eam iam olim prænunciauerat Regius Vates: *In veritate tua edoce me.* & Iſaias: *Docebit nos vias ſuas.* Quam Chriſtus humanæ ſalutis Parens expoſuit in Euangelica hiſtoria: *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. Si quis ſermonem meum ſeruauerit non guſtabit mortem in æternum.* & Diuus Paulus id affirmat liquidò, cum veterem legem, illiuſq; diſciplinam ad vmbræ caliginem deprimit nõ vero ad gratiæ legis imaginem euehit: *Vmbram enim habens Lex futurorũ, non ipſam imaginem rerũ.* Id verò interuenit diſcriminis vmbram inter, ac imaginem; quòd hæc à re, quam exprimit, loco debeat omnino dirimi; illa verò ſequaci hæreat tenacitate corpori, à quo creatur. Prophetarũ id doctrinæ, ſi Euangelicæ diſciplinę cõferatur, vſu venit; quod enim in Moſis ſanctionibus nõ vmbræ exuebat caliginem: modò in Chriſti diſciplina lucem induit perſpicuitatis; adumbrantibus graphícè antiquæ legis vmbris ſplendorem Chriſtianæ veritatis. Enim verò qui Iſaiæ Vaticinia legerit accuratè, non è priſcis Vatibus aliquem, ſed ex Euangelicis ſcriptoribus quendam ſibi ipſe videbitur legere. Iis enim coloribus lata à Chriſto gratiæ legis inſtituta depingit, vt tranſacta potiùs memorare, quàm futura prædicere videatur. Eam ob rem Euangelicus audit Vates. Vnde qui animus ægro erit affectu vacuus, ex Chriſti doctrina haud difficultèr aſſequetur Deum, Seruatorem

Pſal. 24. — Iſai. 2. — Ioan. 7. — ad Heb. 10.

verumq;

verumq; Messiam esse, quin prædictionibus, prodigijs, aut præstantibus eiusdem Religionis rebus ad Fidem egeat adhibendam. Omnes aliæ quotquot sunt, Orbis superstitiones, si quæ docent vera, innumeris deturpant mendacijs. Euangelij verò disciplina, ita sublimè, ita castè, ita verè omnibus traditur, vt nemo illam mendacij, aut defectûs iure arguerit. Illa quidem est, quæ præstantiorem de Deo opinionem concipit, Diuinamq; naturam, atq; illius attributa digniori afficit æstimatione; quæ certâ omnino reuelatione Deum naturâ Vnum, Personis Trinũ tenaciter credit, ac profitetur, Aeternum nimirum Parentem, Filium, ac Spiritum sanctum, qui magnitudine pares, æternitate æquæui sibi sunt, vni, & eidem naturæ indissolubili nodo adstricti: Quæ Christiana inquàm Religio, de cælestium ciuium creatione sublimius iudicat, & verius, vt probi Dei beneficio æternę fuerint felicitatis compotes facti, vt praui sempiternis se tenebris addixerint suo scelere: de prima hominis molitione: vt primi se criminis alligauerit: vt omnẽ humani generis molem hac in posteros transfusa labe turpauerit. Illa, illa est, quę fatetur, ac credit, Aeternum Parentem mortalium damnatione tactum in terras filium legasse, qui sibi mortalitatem indueret, ac Diuinæ Sapientiæ radijs incubantes mortalium animis tenebras discuteret; qui piacularis velut hostia in Crucis patibulo cęsus humana scelera expiaret, ac diuinæ iustitiæ nostro omnium nomine faceret ad vnguem satis; nullus enim mortalium soluendo erat.

Christiana Religio sanniũ de Deo iudicat.

CXXXVII. Illa est, quæ incorruptius, ac dignius iudicat de animorum immortalitate; de corporum resurrectione; de mercede cælesti in patria bonis destinata: de supplicio malis æternùm impẽdenti. Christi deniq; disciplina est, quæ sola nunc temporis luce emicat, quia sola errorem nescit, Iccirco cum in Thabore deuiaret à vero Petrus: *Nesciens quid diceret*, nubes radijs vndiq; cincta perstrinxit aciem luce, & voce aures: quò edoceret, inquit Chrisostomus; *Quia non terrere volebat, sed docere, nubes apparuit lucida*. Erat autem huiusmodi vox: *Hic est filius meus dilectus*

Christiana Religio errorem nescit:

Luc. 9.

lectus, ipsum audite, ac si diceret, admonet Sanctus Remigius, *recedant vmbræ legales, & typi Prophetarum, & solum coruscum lumen Euangelij sequamini*. Neminem alium accipiatis de reliquò: ab vno tantùm Christo ediscite; vni Euangelio dediti, Mosaicæ memoriā legis deponite, quia quidquid aliud est à Christi lege, inscitia tenebris obruitur. Vna Christiana Religio veritatis lumine circunfunditur: quidquid edixerit, certum omnino credendum est: damnandū erroris quidquid ei aduersatur. Eapropter desistite à legalibus vmbris: Euangelica luce insistite: Sinę fumū spernite: *Mons fumabat*: Thaboris radios amplectimini, ad id enim hortabatur Seruator. *Dum lucem habetis, credite in lucem*. quod Eusebius Emissenus exponit de fide, Fidei
Ioan. 12. misterijs habenda *Lucem habemus, si currimus, si gressum Fi-*
Homil. ad Monach. *dei promouemus*. Quid? si placeat illius præcepta expendere. Id vnum collimat sanctionum illius disciplina: vt nullo habeātur pretio res humanæ, vt effrę̄nis corporis cupiditatibus, ac libidinibus eatur impigré obuiam: vt erga Deum ac Proximum ardētissimo teneamur amore, eò vsq; vt ducat Christi cultor feliciùs mori millies, quàm Deum lædere vel leuissimè.

Christi cōsilia subliminioremsāctimoniam amplectūtur.

CXXXVIII Si præcepta ad id euehuntur sanctimoniæ fastigium, sublimiorem consilia gradum obtinent, quæ id Christianis præcipuè suadent nempe vt quò se liberiùs Deo dedant, apud quem fortunas omnes, quas in spe habent deponunt, suas effuse pauperibus erogent diuitias, quibus vacui vni Deo enixè studeant feruida precationum assiduitate, atq; illibata castimonia sese ad cælestium Aulicorum morem componentes: vt suis etiam faueant inimicis, illorumq; vtilitatibus impensè consulant, diuinamq; opem illis à Deo impetrent precibus acuratissimis, & amore respondeant odio. Ita enim non quicquam erunt ab Aeterno Parēte degeneres filij, qui solem suum iubet bonis ac malis pariter illucescere, & iustos, ac iniustos cælestibus irrigat pluuijs.

Mosis sanctiones & præcepta

CXXXIX. Vna tantùm Christi lex, ea potest præcepta, & consilia suis iniungere professoribus. De Mosis sanctio-

ctionibus ea tépeſtate,qua probabantur loquebatur Deus, cum ait apud Ezechielem: *Ergo & ego dedi eis præcepta nō bona. non bona* dicit præcepta, non eò quod prauitate vel minimâ deformarentur, ſceleſtum enim quid imperare, Deo eſt alienum: ſed quòd abſoluta non eſſent omni ex parte, nec diù inpoſterũ vim ſeruatura. Id enim innuit, cũ addidit *& iudicia, in quibus non viuent.* Vel quia ipſa interitura, vel quia nō illis cōparatura vitam; ſempiternã loquor, non mortalem. Hac igitur de cauſa cum ſupplicia minaretur Numen ea negligentibus; vt videre eſt in capite vndeuigeſimo Numerorum; nunquam tamen æternæ vitæ felicitatem promiſit religiosè illa obſeruantibus: quæ quidem legis præcepta non affabrè expolita ad vltimam perductorum metam veniſſe ſe aſſerit Chriſtus. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* quod quidem præſtitit, dum eam expoſuit ſaniùs, & perdocuit integriùs, ad eam obſeruandam ſempiternis muneribus alliciens mortales, Euangelicis inſuper conſilijs accedentibus, quo faſtigio caruit veterum lex, vt aptè monuit Theophilatus, & Euthymius.

quo pacto non bona à Deo dicantur,

Ezech. 20.

Matth. 5.

CXL. Vt illuſtri ſanctimonia eminet Chriſtiana Religio; ita ſibi obtemperantes ad omnem ſanctitatem effingit: idem enim nobis de Religione iudicium, quod de cæteris artibus mortalium vſui opportunis. Eum præſtantiorem medicum appellamus, præſentioremq; medicinam eam dicimus, quibus ex ſententia reſpondet euentus. Cũ vero Religioſo officio Deum proſequi, homines ad aurcam morum temperiem redigere, ſit munus omne, ac Religionis ſcopus: inde eſt illam eſſe præſtantiorem iudicandam, quæ intentius valeat implere has partes. In quo planè nulli primas ceſſerit Chriſtiana Religio; imò cæteras longè relinquit præſtantia; Eximiæ enim ſanctimoniæ viros in lucem ſemper edidit, & nutriuit, atq; id Catholica diſcrepat Eccleſia à Noemi Arca, quæ illam graphicè exprimebat: Animantium enim genus omne Arca excepit, quas tamen ſuis quamq; ſordibus aſſuetas dimiſit. Qui vero in Chriſtianæ Eccleſiæ limina ſeſe conferunt, omnium ſcelerum labe depoſitâ, euadunt, modò velint, ornatiſſimi. Quod enim in

ChriſtiReligio ſanctos reddit mortales.

cata-

cataclyſmo pręſtare nequiuerit Noemi Arca, egregiè nũc temporis præſtat Chriſti Religio, eum prodigè mortalibus offerens fructum, quem aliæ vel negant, vel nequeunt. Hoc forſitan indicatum eſt Petro, cum laborantem fame vocauit ad cęnam Deus: appoſuit ferculum grandi è cælo mappa demiſſum, quod animantium genus omne condi erat: iubetur occidere, quò placaret latrantem ſtomachum: exterritus nouo epulo Petrus facere imperata negauit his verbis: *Abſit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum*: increpauit contumaciam Deus: *Quod Deus purificauit, tu, commune nè dixeris.* Typus erat Eccleſiæ hæc mappa, vbi planê abſtergitur, quidquid vnquam ſordium animo eſt inolitum.

Apponitur Petro Animantium epulum, quo ille negat ſe vſurum.

CXLI. An poteſt vberior optari prouentus, quam Apoſtolos, Chriſtiq; diſcipulos intueri, qui Orbis vniuerſi ambitum ſuo luſtrarunt curſu, & ſuæ doctrinæ radijs illuſtrarunt. Qui, vt tanta eum fortunarent felicitate, minimo duxerunt pretio vitam ſuam, quin inde vtilitatem aliam aucuparentur! rei fidem egregiè adſtruit ſcriptorũ ſublimitas, quæ poſteris mandarunt Apoſtoli; qui cum literas, vel extremis digitis non attigiſſent, ea ineſt illorum ſcriptis vis ac profunditas, vt mentem omnem capiat quæ non capta vitio illorum rimatur arcana.

Apoſtoli Orbem luſtrarunt, & illuſtrarũt.

CXLII. Quos non miramur progreſſus in Regularium Confeſſorum, ac Anachoritarum viuendi rationẽ. Qui humanæ vitæ conſuetudinem præteruecti, cæleſtium ciuium conuictu aſſiduè fruebantur. Quid de Doctorum vita? quã omnem ei præcipuè ſtudio impendere, vt hæreſes accerrimè peſſumdarent, & puram Euangelij doctrinam mortalibus propinarent. Quid de Martyrum tolerantia? qui barbarorum immanitatem laceſſebant, & omnibus maiores doloribus, in diuini honoris gratiam, in ſuæ fidei teſtimonium, ipſius vitæ prodigi lucro apponebant morte affici. Quò fructus hic feliciſſimus manifeſtius agnoſcatur, in rem erit, mente reſpicere prima Chriſtianæ Eccleſiæ tempora, cum recens etiamnùm eſſet Chriſti Sanguis; & quo loco mortalium res eſſent, quando egreſſi Ieroſolymis Apoſtoli victri-

Quos prouentus demeſſuerit Chriſti Fides in varijs Eccleſiæ ordinibus.

victricia Euangelij signa vniuersum per Orbem circumtulere, ac deniq; ad quam fortunam Orbem breui euexerint, non parum iuuabit meditari.

CXLIII. Primodum omnium eos sibi mundus colores induerat, quibus eum Isaias adumbrat: qui homines sub illud tẽpus degentes Draconibus, Serpentibus, Lupis, Vrsis, ac Regulis omnino assimiles componit, solas, ac inuias terras dicit; quippe superstitioso idolorum cultui homines impensè vacantes (quod malum velut tabes Orbem inuaserat) effusè adeò per idololatriã sceleribus laxarant habenas, vt pretio ducerentur, & laudi, quę nefanda, & improba essent damno futura, & pudori.

Quo loco erat mũdus cum Christi Lex promulgata est. *Isai.* 27, & 30.

CXLIV. Tot igitur infecta vitijs humani generis mole, ea fuit Assertoris Christi prædicationi vis, vt è Lupis Oues, è Leonibus Agnos, Colũbas è Serpentibus, felices pomorũ vbertate foliorum calathis perpulchra è rusticis & infelicibus arbores reddiderit, expleto eiusdem Isaiæ Vaticinio, quo in locum affluentem delicijs mutandam solitudinem prædixerat. Quod factum Euangelij promulgatione. Deserta enim, feris opportuna domus, sanctissimos Monachos excepere; Religiosorum hominum cætus se continenti officio Deo dicarunt, vbi velut amœnum virtutibus topiariũ gratissimo intuentium oculos conspectu mirificè delectat. Sed quæ pulchriùs virtutes internitent, sibiq; omnium animos præcipuâ admiratione deuinciunt, illibatus est Virginitatis flos, & religiosa munditia castimoniæ, quas vna tantummodo Christi Ecclesia adepta est, locupletem sanè suæ veritatis testificationem. Has quodammodo exornat, ac distinguit suis etiam gemmis paupertas; quam reddit pretiosiorem mortalium rerum contemptus. Libentiùs hic flagrat cælestium amor: incenditur acriùs precationum ardor: carnis voluptatibus animosiùs refragatur; maiorum præceptis obtemperatur alacriùs.

Mundum vitijs omnibus circumuentũ expiauit Christi Fides.

CXLV. Sed fortè quis dicat? multi inter priscos numerantur Philosophi, qui vitæ integritatem adspirârunt, continentisq; vitæ speciem præsetulerunt: qui flocci penderunt diuitias, amâruntq; paupertatem: qui fræna volupta-

Soluitur objectio.

tibus iniecere, illasq; rationi summittere sũma ope studuerunt. Nobis ita obstrepẽti facilè reddimus. Nõ ea dicenda est virtus, quæ sibi non extremã metã destinat Deum; illiusq; gloriã non præcipuũ sibi præfigit Scopũ: *Quid prodest bene viuere, cui non datur beatè viuere*, inquit Diuus Augustinus. Deinde qui Philosophi rectam institere viam, oppidò pauci numerantur. Et vulgo de illis fertur non probè vitam instituisse, & alienos esse à moribus, quos edocebat ratio, ac Philosophia, quam profitebantur. Et nactos Dei cognitionem non debitos illi tribuisse honores, sed ab immortali Numine defecisse ad Idola, illius Religionem ac cultum hominibus morti obnoxijs; auibus, animantibusq; nullis non sordibus infectis impudenter adscripsisse.

CXLVI. Præterea planissimum est, Ethnicos Philosophos effugisse, quantum opis, quantumq; auxilij cœlum Christi cultoribus impendat, vt ad summum perfectionis gradum quàm facillimè euehantur. Præcipuam opem ferunt Fides fideli sororum satellitio stipata Spei, scilicet, & Charitatis: Sacramenta: Preces; ac assidua diuini sermonis meditatio.

Fides princeps est lapis, qui Christianã molem sustinet.

CXLVII. Fides princeps est lapis, qui omnẽ Christianæ perfectionis molem à primis sustinet fundamẽtis. Nemo vnquam exutus Fide diuinam inijt gratiam: illa charitate, diuinoq; amore accensa, cælestis felicitatis animata spe, quotquot diuinam beneuolentiam sunt demeriti, composuit, & exornauit. Illius interuentu, quidquid prodigiorum edidere in lucem eximiæ sanctitudinis Viri, patratum est. In illius gratiam suas permulti animas immanissimis cruciatibus, ipsiq; morti hilari admodum fronte deuouerunt, & qui elapsi barbarorum manibus, in se ipsos tyranni vicem gerunt, dum sibi nulliùs gratiam delicti faciunt, sed acerbissimum voluptatibus bellum indicunt. Quod innuit fortasse Seruator, cum suos nobis seruos strictè præcinctos offert: *sint lumbi vestri præcincti*. Lucernasq; præ manibus ferentes: *& lucernæ ardentes in manibus vestris*. Multorũ iudicio Fidei typum gerunt hæ luces. Quia Fidei lumen enitebat, idcirco acerbè adeò in se consulebant sancti:

Luc. 12.

Fides arctè viuere homines cogit.

cti: elucebat Fides; ideo ſeſe redigebant ad incitas : ſi enim Fidei ſplendor occideret, caderet ſtudium arctè viuendi. Quis enim voluptatis impetum diù ſuſtinuit, quem Fides vel breui deficeret? Faciunt animos Fidei diuinę gratię auxilia : quæ inter.

CXLVIII. Spiritualium medicaminum vice ſunt, omniumq; præſentiſſima Sacramenta, quæ diuinus ille medicus Chriſtus Ieſus vlceribus, & ægris animorum valetudinibus clementer adhibet. Quæ nobis præcipuam opem afferunt poſt luſtrales Baptiſmatis aquas, Pœnitentiæ, ſacræq; Euchariſtiæ ea ſunt. Per pœnitentiam animus ſceleribus lęthaliter oppreſſus feliciter reuiuiſcit. Ritu quodã admodum ſingulari agi cum elephantiacis, imperauerat olim Deus: *Habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum, ac ſordidum ſe clamabit*. Quibus ritè peractis, perget, *oſtendeturq; Sacerdoti*: Quid aliud certè hoc eſt, niſi expreſſus vitæ, ſalutiſq, typus, quæ confeſſionis interuentu animo indulgenter conceditur, atq; vt olim elephantia laborare nõ æſtimabatur ille, quem Sacerdos hoc morbo affectum non ediceret, qui languentis veſtem dilacerans, lethalia vlcera nudabat; ita modo Deus, ni prius noſtrorum ſcelerum lepram detegamus Sacerdoti, ſalutem abnuit impertiri: *Non apparebat lepra tua antequam venires ad Sacerdotem, ſed quoniam veniſti ad Sacerdotem diſſuit Sacerdos veſtimenta tua, & quod tectum videbatur, & ſanum, eſſe oſtendit leproſum : omnia peccata tua, & lepram tuam poſuit ante oculos tuos*. Et vitalis communicatione panis eiuſdẽ animi vitam ſeruat liberator Chriſtus. Dignus animaduerſú ordo fuit, quem retinuit Moſes, cum Patriarcharum mores, ac geſta mandauit ſcripto poſteritati; memorat enim illorum vitam ac mortem; vbi vero ad Melchiſedech Noemi filium ventum eſt, vitæ geſta enarrat, premit mortis diſcrimina. Si diem obijſſe ſuum alios refert, cur Melchiſedech è vita exceſſiſſe tacet? Prudenter Moſes : nam Melchiſedech panem, ac vinum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ typum Deo obtulit : *Melchiſedech Rex Salẽ proferens panem & vinum*. Nodum explicui. Eò feli-

Sacramenta ſpiritualium medicaminum vice ſunt.

Leuit. 13.

Euchariſtia vitam ſeruat.

Gen. 14.

licitatis cæteros inter Patriarchas deuenit Melchisedech, vt huius Sacramenti typum manibus attigerit: Ne igitur audeat Mosis calamus vel leuiter illius mortem attingere. Dei enim Eucharistica sub nube tecti imago audaces dissipat mortis vmbras. Sacramentorum præsidio opem adiungunt suam virtutes. Quarum princeps, à qua maiorem animum ducimus, Precatio assidua ad Deum est.

Oratio speciatim nobis à Seruatore cōmendata.

CXLIX. Quam de meliore nota virtutem Sanctissimus nobis Assertor commendauit, quò communis hostis oppugnationibus longe superiores essemus, Oratio memoratur: ab illa spiritualia bona promanant: ab illa diuinæ gratiæ flumina in nos defluunt: ab illa omnis efflorescit sanctimonia: bonum nullum, nullaq; virtus oratione destituta diù potest in animo retineri. Illa est, quæ nos eleganter exornat, vt Sacramenta sanctè excipere valeamus, illi deniq; virtutes cæteræ hærent assiduè. In mandatis habuit à Deo Iudaicus Populus, vt eos tantum pisces ad cibum eligeret, qui pinnati, squamigeriq; essent. *Quæ habent pinnulas & squamas comedite*, Cæteris vero iussit abstinere, *Quia immunda sunt*. Rem enodemus: à piscibus homines, orationem à pinnulis; ab squamis virtutes, quibus sese mortales loricatim communiunt, planissimum est designari; quid igitur his omnibus edocere nos amat Deus? vt qui sanam vitæ integritatem, & auream morum temperiem adspiret, præcipuoq; in honore Diuinæ mensæ haberi studet, totum se deuoueat orandi studio: *Quicunq; ergo inter homines pinnulis orationis sese ad sublimia attollunt, & squamis velut quadam lorica ex virtutibus contexta mentem suam muniunt, verè mundi esse iudicantur.*

Deut. 14.

Diuini Verbi meditatio nobis haud contemnendo præsidio est.

CL. Quod vltimo præsidio est Christianis ad vitæ sanctimoniam assequendam, assidua est diuini verbi meditatio, à qua vehementer abhorruere Ethnici Philosophi, vtpotè quos sacrorum scriptorum lux defecit, quę nobis mirè fauet. Diuinæ doctrinæ contemplatio, & meditatio nos rectam docet viam, quæ ad æternam salutem ferat. Quid vtilitatis laboranti affert, sub manum habere medicamina, quæ tamen vel haurire, vel sibi respuat adhibere? eodem

vsq;

vſq, languebit morbo. Haud ſecus vſuvenit Chriſtianæ Fidei cultori, qui diuinos ſermones non ſecum volutat aſſiduè, accuratèq; meditatur, tametſi etiam, atq; etiam eos verbo tenus enunciet. Quid compendij creat myſterijs Fidei aceruatim credere, ſi ab illis alienum eſt cor? Et quî poteſt illorum amore affici, ſi ad illa cogitationes non intendit? quid tandem lucri demetitur, dum Fidei veritati omnino obtemperet intellectus, ſi vitæ mendacijs, ac lenocinijs fœdê inſeruierit voluntas? Legem iuſſerat in Leuitico Deus, ne ſibi, quæ non remanderent animantia, ſacrarentur. Sed quid ad ſacra hoc animantium genus? admonere nimirum Iudæos ſtudebat Numen hac lege. Si vellent rectam Fidei inſtare viam, ad mẽtem ſæpius illius myſteria reuocarent, & continenti cogitatione veluti ruminarent: dein ſi nollent in poſterum Fide nutare, meditarentur ſeduli ea, quæ fatebantur. Hâc enim incedere, rectâ eſſet pergere.

Animãtes, quæ remanderent, cur ſibi immolari iuſſerit Deus?

CLI. In huius concentûs coronam id primùm adſtruimus, Diuinam ſcilicet, adeoq; cæleſtem Chriſtianam eſſe diſciplinam, vt iure optimo de ea valeat affirmari, vel ſolo indito à natura lumine, ſi ſumma Dei bonitas, ac perfectio legem eſſet quampiam mortalibus latura, hanc ab illa fuiſſe iniungendam. Cum enim Deus ſuaptè natura ſummê ſanctus ſit, eam legem imponeret, quæ illum graphicê exprimeret, quæ in omnibus vitio iret obuiam, & acerrimè ſtaret à virtute: quæ à prauo penitùs abhorreret; & tenaciter recto inſiſteret. Hæc profecto Chriſti eſt Fides, quæ nos à ſordibus vitiorum ſeiungit, & ad Diuinam voluntatem conformat: egregium ſanè, quod Diuinam probet, argumentum! vt enim Iudæis ait Seruator; nulla compendioſior via eſt ad agnoſcendam legem, quam legem obſeruare: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina vtrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar?* Qui enim Chriſtianã Religionẽ attentè, cogitatèq; perpenderit, non poteſt non diuinã eam fateri, ſiquidem in Diuini honoris, ac gloriæ gratiã ad vnguem conuenit rationi. Quod quidem ita perſpectum, planèq; cognitum habetur, vt mens om-

Si ferenda fuit hominibus à Deo lex, Chriſtiana id ſibi meritò arrogat.

Ioan. 7.

omnibus perturbationibus vacua veram illam, latamq; à Deo excipiat. Et ſanè cum infenſiſſimus quidam chriſtiano nomini, nullo prorſus modo huius veritatis fidem poſſet eleuare, in eam deflexit viam, quo ſuis ſtoliditatibus fidem adſtrueret, vt aſſereret, Deum, cum homines Chriſtianæ Religioni impares, nec tanto ſuffecturos oneri, tum legis ſublimitate, tum imbecillitate mortalium intueretur, abrogâſſe primam, & Mahometicã ſuffeciſſe. Lippis nempe, & affectis oculis eò lux iniucũdior, moleſtiorq; quò eſt illuſtrior. Quâ quidem firmis, beneq, valentibus nihil vel gratiùs, vel pulchriùs. Qui vitiorum lenocinio deliniti arctis velut compedibus tenentur, deturbent ex animi oculis vitiorum nubes, quibus miſerrimè obtegitur; tum temporis Chriſti Fides ipſo ſepties Sole pulchrior, gratiorq; ipſis radiabit; Rationis enim lux eſt, quæ ab ingenito mentis lumine, nec vnguem diſcrepat. In cuius agnitionem, vt deueniret Iudaicus populus, ſuus illum Vates præmonuit: *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.* Seruatoris enim acceſſu eluxit caſtiùs veritas, & veritatis lux eò contentiores modò radios iaculatur, quò acrius intenduntur Euangelij ſplendores.

Iſai. 30.

Deus ſuam de iure gloriam nobis impertiret ob obſeruãtiam Euãgelicæ legis, eſto verà nõ eſſet.

CLII. Secundum deinde quod aſſerimus, illud eſt, Deũ ſcilicet Euangelica lege (vt vera non eſſet) obſtringi; vt ſuam ab illo gloriam noſtro quaſi iure exigeremus. Tripliciter id oſtenditur. Primo ob eximiam legis probitatẽ, ac perfectionem: qui enim vitam inſtituit ijs legibus, quas æquas eſſe exiſtimat, rationis pręſcripta amplectitur; at huiuſmodi hominem nefas eſt damnationis ſupplicio addici. Cùm igitur in Chriſti lege nihil non rectum, imò rectiſſimũ eluceat, inde eſt, illam amplectentem, ſanam amplecti rationem, & hilum à iure non deflectere. Itaq; nullatenus damnabitur: ſed in cæleſti Patria vernanti æternùm corona excipietur. Secundo; ob expletas reuelationes, ac Vaticinia, quibus Fidem ſuam mortales Chriſtus perdocuit. In deceptionem enim Orbem Deus traheret, ſi ea in Chri-

ſto

ſto ſineret expleri; nec illius hic Filius vnigenitus eſſet. Tertio, quia prudenter ſeſe in dolum induceret homo, qui legis integritatem, vitam, ac Chriſti mira contemplans Chriſtianam Religionem profiteretur: *Hæc eſt via ambulate in ea*: adhortabatur Iſaias, *& non declinetis ad dexteram, nec ad ſiniſtram*. Cæteræ enim viæ ad mortem ducunt: ergo, qui ſe viæ à morte adeò alienæ committeret, meritò ſe illi vita ferret obuiam: ſiquidem qui culpæ interitum vitat, gratiæ vitam offendet ſuo merito. *Iſai. 30.*

CLIII. Hic certè fructus eſt, qui Euangelicæ legi, qui nulli alij debetur; æterná videlicet felicitas, æternæq; vitę commoda. Nulli alij deberi hæc, dixi; quia veterem legem obſeruantes, terreſtrem, fluxamq; mercedem habebãt in promiſſis, vt doctè admonuit Auguſtinus, & Bernardus; nam licet veteres Patriarchæ adepti ſalutem fuerint, non eis collatum beneficium Legis virtute, ſed Chriſti nomine: iam enim per id tempus proludebat Euangelio Lex, quod modò per omnes Orbis plagas diſſeminatum eſt. Hoc forſitan collimauit Iacob, cum ſuo de obitu loqueretur: *Deſcendam lugens in infernum*. Et Ezechias: *Vadam ad portas Inferi*. Ad portas Inferi? & quare non cæleſtes etiam patebunt fores? ideo ſcilicet quia Iacob hæc edixit, non adhuc ſcripto traditâ lege; Ezechias quidem, accepta iam lege, vterq; tamen priuſquam Chriſtus ſuo Orbem aduẽtu ſoſpitauerit, ſuâq; frænauerit lege: at vero ante Chriſti aduentum, ante Chriſti legem, id eſt, ſine Chriſto, & ſine Chriſti lege, nullus ad aſcenſum gradus: prona ad deſcenſum procliuitas; hoc eſt, nulla patet ad Cœlum via: facilis fit ad Auernum deſcenſus, vel ad damnatorum gregem, vt plurimi; vel ad Abrahami ſinum (quem etiam Infernum appellabant) vt Sanctiſſimi illi Patres, qui ante Chriſti aduentum ſanctimoniâ floruere, vt Iacob, vt Ezechias. Cæterum vbi illuxit Orbi Euangelium, clauſæ in ea vſq; tempora cœli fores reſeratæ tandem ſunt: *Appropinquauit Regnum Cælorum*, aiebat Chriſtus, cum prædicandi Prouinciam inijt, quod præmonuerat Baptiſta, gratiæ legis prodromus. Aggreſſum antea Cœlum viam eſt: viæ metam

Æterna felicitas Euãgelicæ legi debetur.

l. 4 contra Fauſt.

Serm. 3. in cant.

Gen. 37.

Matth. 3.

tan-

tandem nunc tenuit vt pulchrè adnimaduertit Sanctissimus Petrus Chrysologus: profectum ante Christi accessum, post Christi aduentum deuenit; Priusquam enim Christus adueniret, proficisci quidem Cœlum poterat, appropinquare nequiuerat, quia nullus è terris Cœlum occupabat, priusquam è Cœlo terras Christus teneret.

CAPVT OCTAVVM.

Martyrij cum Euangelica veritate Harmonia.

Concentus ex Martyrio.

CLIV. SI Diuino quodam inter se concentu Vetus, & nouum Testamentum fœderantur in Christi illiusq; Ecclesiæ Fidem: Si ex hoc concentûs fœdere dictorum fidem haurimus, veram nimirum esse Christi Fidem, & Christum Iesum Dei Filium tot expetitum votis, tot expectatum annis, & quo tot iam seculis fruimur, Messiam esse: non minorem profectò concentum edit Testamentum vtrunq, si Illustrissimos Martyres spectemus, qui mutis quidẽ, sed efficacissimis sui Sanguinis vocibus certissimam nostrę Fidei veritatem firmârunt. Sed nullibi suauiùs, concinniùsq; blanditur auribus hæc harmonia, quàm
Matth. c. 2. Matthæum inter & Ieremiam. Pergit memorare Matthęus, vt Herodes immani feritate Rex, Dei infantis odio exardescens, extremo supplicio desæuierit in tenellos adhuc pueros, quos insons ætatula nullius consortes criminis indicabat. Qui vti præstantissimi Martyres (hos enim colit Ecclesia) testato suo Sanguine sui nostriq; Assertoris Fidem conscripserunt, quam fateri verbis præ ipsa teneritudine nequibant: additq; expletum fuisse hîc Ieremiæ Vaticiniũ:
Ierem. 31. *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans Filios suos, & noluit consolari. quia non sunt.* Iam tum indulgebat dolori Rachel, cum nullo adhuc martyres afficerẽntur cruciatu. Priusquam

in Christi amorem mortem subirent apud Matthæum, iam apud Ieremiam interfectos lamentabatur Rachel, vt compertum omnibus fiat, quod antea temporibus antiquæ legis, Prophetæ ad Christi Martyres sermones suos intenderint. Quam amico deinde concentu Martyrium inter, ac Vaticinationem conueniat; quàm deniq; musicè consonet Martyrum Fides sacrorũ Vatum Harmoniæ. Quodq; non contemnendum dictù existimo, illud est: quod Scriptor vterq; Euangelicus, nimirum & Propheticus non illos Liæ filios, sed charissima Rachelis pignora nuncupauerit, cum illi non Rachelem, sed Liam nacti parentem fuerint: vt de Rachele edocuit Hieronymus: *Natus est Beniamim, in cuius tribu non est Bethlehem*. Quid ergo Liæ filij Racheli adscribuntur? adumbrabat illa Iudaicam Synagogam: hæc Christianam Ecclesiam exprimebat; Iure itaq; Christi Martyribus suis velut alumnis non se iactabit Synagoga, cuius typum gerebat Lia: tribuetur Ecclesiæ hæc felicitas, quam præ se graphicè ferebat Rachel: Tanta enim Martyrum vis: *Occidit omnes pueros*. Tam accerrima Martyrum fortitudo, quibus si minus suppetunt vires ad vitam, superest ad Martyrium vita; aliena profectò est à præsentium Iudæorum Synagoga, fruitur felicissimè Christi Ecclesia. Non Liæ, Racheli debebatur hic partus. In nulla enim Religione (Christi excepta) par eminet virtus. Non in illis quidem qui sub Synagoga, vt infelicis Liæ filij mortem oppetunt, ob tenacem errorũ peruicacitatem: sed in his, qui sub Romana Ecclesia, vt venustissimę Rachelis pignora mortem occumbunt ob Fidei veritatem propugnandam.

CLV. Illis itaq; Martyris nomen indimus, qui sanguinem, ac vitam Christianæ Fidei veritati posthabuere; quin ad tantum facinus quiduis aliud impelleret. Hanc post Christum palmam sibi Apostoli, ac discipuli auidè in primis arripuère: quorum vestigijs institit infinitus propemodum numerus illorum, qui relictis dæmonum stipendijs, Christo vbiq; gentium nomen dedère, qui cùm in Deorum superstitionem præcipuam pugnam capesserent (quos Di- Quibus indendum est Martyris nomen.

uinis vbiq; honoribus colebant Principes) necnõ Mosaycæ legi,(quòd ad legalia præcepta attinet,)accerrimũ bellum inferrent, quæ Iudæi hæreditario veluti iure acceperāt à maioribus iam inde à primis temporibus. Vtriq; ad recentem Euangelij promulgationem euertendam summo studio incubuêre: ijs in illius professores cruciatibus desæuientes, quos potuit crudelitatis ingenium reperire: vt ita nascentem Religionem aut euellerent, aut opprimerēt.

Christiani eò copiosiùs augebātur, quò torquebantur vehemētiùs.

CLVI. Cum vero tormentis, morteq; innumeros affecissent; quò plures extremum supplicium experiebantur, eò in maius augebatur illorum numerus: Christianorũ enim sanguis seminis induit conditionem: Eò vberiores fructus reddit, quò crudelius experitur tyranni ferrum. Cuius sententiæ antiquus in primis Tertullianus author est. *Plures efficimur, quoties metimur: semen est sanguis Christianorum.* Iam verò in mentem reducere, per otiumq; contemplari tenerrimo flore Pueros, ac Virgines; & exactâ ætate Senes insuperabili firmitudine, ac virtutę cruciamēta sustinuisse acerbissima, & longo ad mortem vsq; tempore, neu fidem aut desererent, aut proderent. Quis, quæso, facinus apprimè egregium conficeret; nisi veniret subsidio Diuina virtus? præcipuè cum non semel euenisset, vt ipsimet carnifices, mortis causam expendentes, intuentesq; impauidum vultum, quo dolores omnes Martyres contemnebant, dānatâ Deorum superstitione, se Christo strenuè adiungebant, & mirâ se auiditate Martyrio deuouebant, ac amplectebantur amicè: & temporis momento Martyrij laureâ redimiti eminebant, qui in Christi cultores paulo ante egerant carnifices. Quod quidem sui ipsius documento Christus edocuit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Tertul. in Apolog.

Ioan. 12.

Martyrum ingens vis.

CLVII. Ingens fuit illorum vis: quorũ Principes nulla non exculti disciplina; & egregij apprimè Philosophi: Terrestrium omnes felicitatum in primis contemnentes: Diuini amoris flammis vehementer æstuantes, in cuius nimirum honorem extrema omnia experiri, vitâq, ipsâ spo-

liari strenuè contendebant; vbi nam igitur ita locuples eminet Religionis testimonium? minimè multos Iudæorũ suæ ipsorũ ineptiæ enumerabunt: Qui, quid credant, agant vè imprudentes, tetrâ offusi caligine trahuntur ad mortem, ipsam verbis superstitionem pernegantes, quam pectore condunt peruicaciter, in ipsam perfidiam perfidi, & in infidelitate infidi. Mahometici verò dogmatis sectatores, cum toti volutentur corporis voluptatibus; superstitionis suæ veritatem, ac disciplinam, nõ ad rationis trutinam vocare patiuntur: sed armis viq; barbaram Alcorani fœditatem student, quam maximè possunt, protegere. Quod vero reliquum inficit Idololatria, infringere rationibus superuacuum duco, quid enim opis in istis est, vbi lucis nihil in internitêt?

CLVIII. Vna itaq; Christiana Religio illustrissimâ Sanctorum Martyrum testificatione maiorem in modum elucet: in illa tantùm Martyris dignitas eminet, ac efflorescit. Sed obstrepet fortasse quispiam? Iudæorũ quamplurimi, & nonnulli hæreticorum, vt sectas tutarentur suas, non mortis horruere supplicia: quin etiam mortalium plurimi minimè cedunt discrimini, modò honori consulant suo: Vel aliàs habeant fluxæ vtilitatis rationem. Non tanti igitur ponderis res est, Fidei vitã posthabere; vt delubet quot in Christianam Religionem confici valent argumenta. Refellunt vulgo Theologi, & quidem strenuè huiusmodi epicherema. Qui enim subeunt vitæ periculum, vt suos retineant errores, vel vt rem suam vtilius possint agere, superciliosam mortis faciem aspernantur, aliquid nimirum est externum, & humanum, quod sensus impellat non mediocriter; cumq; ad hominem componẽdum caro, & sanguis amicè conspirârint; ea quæ sensus blandiùs titillant, acriùs flectunt quoquoversum. Quòd vero vtilitatis voluptas soporet mortis dolorem, non magnum vtiq; æstimandum. Sed egregium in primis ducendum est facinus, mortẽ amplecti, ne Fidem deseras, id enim amittere vitam est in eius rei gratiam, quæ nullatenus blanditur oculis, & longè est sensibus aliena. Christiana itaq; Religio tantummodo Solvitur obiectio.

ſui cultores ſuauiſſimè cogit ſenſibilibus vitæ lenocinijs, Fidei arcana ſenſum effugientia præhabere: & ea, quæ nũquam oculis occurrêre, indulgenter amare, poſthabitis ijs, quæ ſua ad ſe illecebra oculos pertrahunt.

Chriſti Martyres nullo præter amorẽ, pretio capiuntur.

CLIX. Dei Thronũ circũambientes Seraphim vidit olim Iſaias Vates, quorum alæ eam multorum pietati, ac ingenio dicendi ſegetem ſuppeditârunt; vt contendiſſe myſterijs pennæ viderentur. Superioribus, inferioribuſq; alis in ſe contractis, vultum obtegebant, & pedes: medijs crebro volatu extenſis Crucifixi ſimulachrum præ ſe admodũ ferebant ad viuum: quemadmodũ acutê dixit Diuus Germanus Conſtantinopolitanus Antiſtes: *Contractis quidem alis ſuperioribus & inferioribus, expanſis autem vtrinq; medijs, & in formam crucis volantes ſine intermiſſione, victoriæ laudes, & præmia decantant*. Vltra progrediendi anſam mihi præbuit Germani expoſitio. Quid cauſę nimirum fuerit, cur non alas modò contrahant, ſed vultus etiam obnubilent, *duabus velabant faciem*; quando totos ſe componebant, vt velut victimæ Martyrij aris deſtinatæ Chriſti è Cruce pedentis imaginem exprimerent? quid quæſo, tunc cautiùs obducunt oculos, cum pati ardentiùs ęſtuant? quid conſpectui obtendunt diligentiùs pennas, cum pœnas amant vehementiùs? ſacrabant in ſpeciem vitam Summi hi Angelorum apices. Vt commendent igitur huius ſacrificij pretium, conſpectum impediunt alarum obtentu. Si detineret oculos obſequij merces, litâſſe viderentur mercedi, non amori: premant igitur oculos pennis, & ſuę augebunt patientiæ pretium. Cæterum Chriſti Sanguinis potentiæ debent Martyres hoc beneficium, qui ſuis in militibus mira admodũ patrat. Si enim in Chriſti obſequiũ ſtrenuè ſanguinem fundunt; in id Chriſtus animos facit ſuo Sanguine. De Chriſti Martyribus ſermonem texit Prophetes Aquila, quos ait triumphaſſe de Dæmone. *Propter Sanguinem agni. Et non dilexerunt animas ſuas vſq; ad mortem*. Antiquior illis, ac charior Fides, qui vitâ ſanxerunt Fidem. Sed Chriſti Sanguini adſcribitur victoriæ laus? Cur vero non donabitur Laureâ Martyrum Sanguis, quem

Orat. de Cruce.

Iſai. 6.

Chriſti Sãguis animos addit Martyribus.

Apoc. 12.

quem ipsi ab hoste effusum sacrârunt Christo? difficillimū nempe est, ita castè ob Fidem mortem subire, vt nulla alia ratio hanc mentē adulteret; licet itaq; sanguis noster erumpat, Christi Sanguini palma debetur. Quippe incorrupta adeò victoria nostras longè vires excedit. Vnius tantùm Diuinæ virtutis erit assequi triumphum apprimè nobilem. Verùm quidem est nostrarum esse partium tolerantiam: sed Martyrij victoria præstantissimo Christi Sanguini est adscribenda. Cum vero hic vnam solùm adsperserit Christianam Religionem: Hæc tantùm Illustrium verè Martyrum gloriam adipiscitur; ijs enim solummodo Liberatoris Sanguis operam confert, qui ad illam propugnandam vitam nihili ducunt suam.

CLX. Verum vt manifestiùs patefiat prodigij huius magnitudo (quæ omni est commendatione superior) operæ erit pretium paulo altius disserere, quā præstans sit Martyrij facinus; ac perscrutari singula, quæ ad concentum hunc adeò suauem edendum vnisonè conspirarunt. Quàm præstās sit Martyrij facinus expenditur.

CLXI. Duo præcipuè Aeterna Numinis Mens collimat (idq; potissimùm in ijs, quæ molitur in Orbis reparatione) alterū, sui nominis gloriā; mortalium vtilitatem, alterū. Diuinæ student gloriæ, augentq; homines; cum suas assiduè preces intendunt ad Deum; Hymnosq; Psalmos, & illius laudes continenti oratione prosequuntur, cum sacris, continentiæ, viuendiq; innocentiæ dant operam, acerbissimumq; corpori, illiusq, voluptatibus, & affectibus bellum indicunt; cum alijs præsto sunt deterrimo loco deprehensis; ac deniq; cum in Diuini honoris gratiam, & ad Catholicæ Fidei veritatem propugnādam haud in magno ponunt discrimine spoliari vita. Hos sibi præscripsit fines, nec plùs vltra valet obtinere perfectæ charitatis, & amoris ardor. Hoc maximum est præstantissimumq; facinorum, quæ ad augendam Aeterni Numinis gloriam mortalium quispiam potest edere. Et eò præclarius æstimabitur facinus, quò acerbiores fuerint cruciatus, quòq; indolis tenerioris, sed firmioris, constantiorisq; mentis, qui illos perpessi strenuè fuerint, æqua etiam lege penditur operis meritum, augescunt Suā Deus gloriam, & nostrā vtilitatem sēper intendit.

cunt

cunt enim, (vt loquuntur Theologi) ad charitatem, Diuinumq; amorē meriti gradus, ad cuius pondera gloriæ momenta librantur. Alterum, mortalium videlicet vtilitas, nullibi sublimiùs eminet, quam in ijs, quæ à Deo in illorū salutem gesta sunt, quæq; permulti eximiæ sanctimoniæ viri perpetrant eadem de causa. Tantæ habuit curæ immortale illud Numen mortalium commoda, vt illorum naturā amabilissimo modo adstrinxerit sibi, & dolores exceperit peramantèr, donec Crucis litatus aris illorum scelera expiauerit suo Sanguine. Sunt profectò mortales nōnulli ita Diuinis moribus affines, qui prototypon in sese transcribant, ne vel vnguem abeant ab exemplo, alienæ salutis compendio vitæ suæ impendio consulentes.

Martyriū Dei gloriæ & hominū commodo mirè inseruit.

CLXII. Duo itaq; hæc Diuinæ Prouidentię consilia absoluta graphicè admirabimur in mirabili admodū, suauissimoq; concentu, quem reddit cælestis Christianæ disciplinæ harmonia, eo quòd prima illius fundamenta resperserit Martyrum Sanguis. Quod quidèm, quàm verum habeat, planè suadet, quod actum inter Petrum, & Christum est, cum hic illum Principem suæ Ecclesiæ lapidem instituit. Martyrium, inquit, humanis te rebus eximet, & in mei Nominis gloriam actus in patibulum Crucis fundes Sanguinem: *Pasce oues meas*; ac oppidò: *Sequere me*: *cum senueris, alius te cinget*. Additq; protinus Ioannes, Christum his verbis innuisse Petro, velle se illius Sanguine non mediocrem suo nomini gloriam conciliare: *Significans, qua morte clarificaturus esset eum*: quid? quando Petrum exstruendæ Ecclesiæ præficit, Martyrij dolorem prædicit? illius Fidei cōmittit, mandatq; oues, cùm subeundam mortem prænuntiat? quid ni? omnia hæc commoda demetit Christus ab effusso Martyrum Sanguine, suæ consulit laudi, nostræ studet vtilitati: auget sui nominis gloriam: decerpit suarum ouium emolumenta. Imo eadem Christi Ecclesia, quæ iam inde à primis fundamentis ipsius sanguine est excitata, eodē firmissimè constabilitur. Iccirco Petrus Martyr prædicitur, cùm in primum Ecclesiæ lapidem adoptatur à Christo: quasi esset sententia Seruatoris: Non est cur

Petri

Petri interitus, meos ita cultores pungat, ac si in Petri vita, Ecclesiæ diuturnitas verteretur, vel quod lapide icto daturum sese in ruinam sit ædificium. Contra est, ac credunt: in lapidis tolerantiam operis firmitudo incumbit. Christi Martyrum Sanguis operosam Christianæ Religionis molē sustinet, Athlas veluti indefessus: compos itaq; voti vtriusq; suæ nimirum gloriæ, ac nostræ salutis euadit Numen in cōcentu, quem edit suauissimum Martyrum Sanguini Christiana disciplina mirè conformis; vt Petri Sanguine victum Agni, & constantiam reperit Ecclesia. Legis gratiæ Martyres prosequitur Isaias his verbis: *Semen Sanctum erit id* *Isai. 6.* *quod steterit in ea*. Affecit huiusmodi paraphrasi Theodocion: *Semen Sanctum columna fundationis eius*. Quæ videtur non obscurè pugnare Vaticinio. Si enim semen Martyrum Sanguis, qui columnæ vicem obtinebit? Vtrumq; præstant Martyres felicissimè. Præstant sibi, vberes enim fructus velut ex feracissimo semine colligunt; præstant Ecclesiæ, quam adamantinæ velut columnæ constantem reddunt, & æmulam æternitati. Verum enim vero, vt hęc om- *Expenduntur in Martyrio sex.* nibus perspecta satis, compertaq; planè fiant; rem omnem in sex præcipuè partes dissecabimus. Prima dabit illorum *Numerus.* numerum, qui ne Christianam fidem proderēt, sese cruciatibus dedére: Secunda refert personas, quæ eos pertulére. *Personæ.* Tertia enumerabit tormenta, ac cruciatus, quibus sæuitum *Cruciatus.* est à Tyrannis. Quarta commendabit animum, ac virtu- *Animus, ac virtus.* tem, qua excepta sunt. Quinta mirabitur illustria admodū *Prodigia.* prodigia, quæ Deus in Martyrum perpessionibus edidit. Sexta deniq, acu, quod aiunt, attinget huius operis scopū, *Martyrij scopus.* qui id vnum impensius laborabat, nefarios, scilicet, inaniū Deorum cultus labefactare penitus: veri Dei agnitionem, ac Christianam fidem longe, lateq; disseminare, quà sese per immensa spatia Orbis extenditur.

CLXIII. Prima itaq; pars Martyrum numerum com- *Expenditur Martyrum numerus.* prehendit; qui magnus adeo est, vt subductis rationibus illorum, qui primis tercentum annis Martyrij palmam sunt assecuti, in diem quemq; quinq; incidant Martyrum millia; ita calculum subducit Hieronymus: *Nullus dies est per an-* *S. Hieron.*

num, qui infra numerum quinq; millium Martyrum reperiri possit adscriptus. Et cum diebus tercentum sexaginta sex annus voluatur, vicies centena millia fere complent Martyres, qui annis proximè dictis ad cœlestem felicitatem per omnem cruciatuum immanitatem euolârunt; acerbissimè enim per hęc tempora sęuierunt Tyranni in Christianos; cuius rationis veritas, & maior numero numerus omnem exuit dubitationem, eâ enim persecutionis tempestas immanitate desæuijt, vt post homines natos nulli irarum æstus sic efferbuerint. Illuxit enim dies, quo triginta Martyrum millia crudelitatis iactata turbine Cœlestem Patriā appulêre; quin etiam non semel totæ ipsæ ciuitates igne, ferroq; vastatæ extremam sunt ruinam expertæ; per omnes ordines, ætatesq; Tyranni crudelitate, ac licentiâ vagante. Et Genebrardus suâ memoriâ triginta millia Martyrum in dies singulos adscribebat: quemadmodum adstruit in explanatione Psalmi septuagesimi octaui. Pater Granatus Vir egregie doctus, calculum accuratè subducens fere cēties decies centena millia Martyrum enumerat; id est (vt vulgus loquitur) decem milliones, & nongenta quinquaginta millia. Sed quid frustra operam collocamus in supputandis Martyrum rationibus, cum nullo posse numero comprehendi infinitam illorum vim disertis affirmet verbis oculatissimus Prophetes: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Quæ de Martyribus accipienda tradit Diuus Gregorius. *De his qui in certamine Martyrij antiquum hostem vicerant, & in patria gaudebant, scriptum est.*

epist. ad Heliod. & Cromat.

Apocal. 7.

D. Gregor. Hom. 17. in Ezech.

CLXIV. Secunda pars Personarum genus amplectitur quæ tormenta strenuè tolerarunt; in quem ordinem redigi debent ætates, ac dignitates personarum; alij enim exactâ iam ætate erant; ineuntis, alij, adolescentiæ flore: Teneris etiamnùm annis, tum pueri, tum puellæ. Quidam nobilissimo loco nati, & præstantissimarum dignitatum honore functi. Illi omnibus affluentes diuitijs, ingens denique Episcoporum vis, & in sapientiæ studijs magni nominis Viri, qui non eâ animi constantiâ sese cruciatibus dedidis-

Personæ, quæ Martyrium subiere.

didiſſent, niſi re prius multùm, diùq; apud ſe cogitata. Sed illud maiori eſt excipiendum admiratione, quod attriti pudoris, & proiectæ audaciæ homines, vt plerunq; milites ſunt, hanc etiam lauream adſpirârint, & obtinuerint, totis ſæpè cohortibus id certaminis ineuntibus, vt Thebæorum obtigit legioni, qui ſub Duce Mauritio merebãtur. Vt obtigit decem millibus, qui Imperatoris Adriani temporibus noua triumphandi ratione vicerũt, cum occubuère: Vt denique obtigit infinitæ propemodum multitudini, qui tenuiori numero multis terrarum plagis emerunt Martyrij palmam ſuo ſanguine, quibus plenæ ſunt hiſtoriæ; & humanam tollet fidẽ, qui rei abnuerit apertiſſimæ; & quod caput eſt, Eccleſiaſticæ traditioni aduerſaretur.

CLXV. Cum igitur tanta ſit Martyrum vis, ijq; Viri eſſent è prima nobilitate, dignitateq; multi, quem fallit, Diuinam hic illuxiſſe virtutem, quæ illos ſuauiſſimè impellebat, vt liberi, libenteſq; rem maxime horribilem, hoc eſt, mortem hoſtiliter ac immaniter illatã impauido vultu exciperent. Si enim exiguo Martyres clauderentur numero (quemadmodum minimè multi numerantur hæretici, quos obſtinata hæreſum peruicacitas infeliciter trahit ad mortem) non magna vtiq; nos caperet admiratio. Verum cùm ea ſit illorum multitudo, vt ſupputandi rationem exhauriat; cùm ea illorum permulti fuerint teneritudine; cũ conquiſitiſſima, & maximè crudelia fuerint cruciamenta, Equis præſentiſſimam Dei opem, & aſſiduam æterni Numinis præſentiam non hic agnoſcit, ac veneratur?

CLXVI. Tertia pars dabit in conſpectum inauditã cruciatuum immanitatem, continentem illorum iterationem, quibus alijs ſuper alios repetitis in Chriſtianos Barbari inuecti ſunt. Sed quæ verborum vis, quod ingenij flumen, quæ ſcribendi copia, eos poterit vel leui calamo enarrare, conſulantur earum rerum Scriptores, & diligenti memoria repetantur, qui cruciatus noſtris etiam temporibus Chriſtianæ Religionis cultoribus immaniſſimè irrogẽtur. Quod ſi quis attentà mentis acie rem perpenderit, patebit liquidò, id eſſe prodigiorum maximum, quæ à Chriſti Incarna- Cruciatuũ immanitas

 tione,

tione, ac Perpessione egerit Diuina Potentia; quodq; illius gloriam commendet impensiùs, quam tota Cæli, Terræq; moles; & quod Christi sanguinis vim, ac virtutem enixiùs Orbi demonstret; Cuius interuentu ea est indulta Martyribus constantia; vt ipsos etiam cælestes Aulicos non vulgari admiratione defigere satq; superq; sit. Neminem quippe fugit, nihil omnino esse, quod maiorem timorem mortalibus faciat, quam malorum omnium extremum, mors: ita, vt, priusquam Crucis aris litatus nobis ad salutem sui sanguinis semita Christus aperuerit viam, Petrus, quem ad Apostolicum fastigium euexerat, & suas in curas adoptauerat suæ præficiendum Ecclesiæ, mulierculæ ad vocẽ territus Fidem abiurauerit, ne periculum mortis adiret, quem stupor insolitus non corripiet, cùm Martyrum tot millia millium aspiciat, qui tãta animi alacritate haud dubitauerint vitam ponere in ipsius Fidei gratiam, & ingruẽtes cruciatuum imbres toleranter admodum perpeti; idq; non vnius horæ, aut diei spatio; sed multos etiam sępè dies, atq; hebdomadas? qui deinde omnes hominum vires re tãta inferiores esse non agnoscit, & solum Dei spiritum, ac potentiam tanto parem esse operi potuisse; hũc non modo defecit fides, sed cæcutit omnino mentis oculis, quos obtentum obstinationis velum obnixe tenet. *Velamen positum est super cor eorum.*

Mors maximo hominibus est timori.

CLXVII. Quarta pars maiorẽ etiam in modum auget ductam de Martyrum fortitudine admirationem. Ea est Martyrum voluntas, atq; fortitudo, quibus se se obiecère tormentis, quæ cum visu horribilia, nedum passu, essent, non animum Christi milites submisère Tyrannis, licet illorum cõspectum subijssent, quin generosa sæpius orationis libertate sæuitiam illis exprobabant, & damnabant scelera, inaniaq; illorum Numina insectabantur conuitijs, Cacodæmones sempiternis flammis addictos non immerito nuncupantes. Vnde animaduertendum in primis censeo, maxima etiam excipiendum admiratione, si præsentem ita animum Martyres præstitissent, in veritatis propugnationem, quæ natiuo lumine comparatur, videlicet, Deum esse

Martyrum animus.

vnum, rerumq; vniuersitatem è nihilo condidisse, atq; eam suæ prouidentiæ consilijs administrare. Verum quòd eos amauerint cruciatus, quòd nihili vitam fecerint, ne à Fide desciscerent, quæ humani intellectus lumen suas intra vires pectati longè fugit, videlicet Deum illum Cæli, Terræq. opificem, lateq; Dominum, sibi mortalitatem adnexisse, & in Cruce actum geminos inter propalatæ improbitatis homines oppetijsse mortem in Mortalium salutem, omnem id mentem haud dubiè superat, planèq; docet tantæ Fidei, tãtæq; Fortitudini affuisse indulgẽtèr Numinis patrocinium.

CLXVIII. Quinta pars beneficia enumerabit, ac solatia, quibus Athletas suos Numen aspergebat; quæ quidèm tot, tantaq; erant, vt illis animos facerent, quo alia subinde, aliaq; tormenta leni patientia tollerarent: modò enim extinguebat flammarum incendium, quod Luciæ sanctissimæ contigit: modò vim ignibus adimebat; quò seruauit Polycarpum: Aliorum vlceribus medebatur in carcere: quemadmodùm expertæ sunt Margarita, & Agatha: interdùm se se ad ergastula conferebat aliorum inuisendi gratia, quo beneficio demeruit Catharinam: interdùm legabat cælestes ciues, qui suauissimis concentibus aliorũ labores leuarent, quo arctius sibi deuinxit Petrum, ac Paulum, huiusq; sociũ Silam. Altius alios firmabat in Fide patratis per ipsos prodigijs, vt firmauit Laurentium, qui coniectus in vincula impertiebat oculos lumine captis: alios eo afficiebat solatio, vt permulti ipsorũ virtute, ac miris pellecti, relictis simulachris vni Deo nomina profiterentur, & eiusdem Martyrij palmæ consortes, in cælestem Patriam conuolabant, quemadmodùm litteris proditum est de quinquaginta illis magni nominis Philosophis, qui Catharinæ inuictissimæ disciplina instructi Idolis nuntium remisère, seq; adiunxerunt Christo, cuius sauciati amore pertulère strenuissimè cruciatus. Dies me deficiet, si velim, quòtquòt sunt huiusmodi documenta, in medium afferre. Martyrum prodigia.

CLXIX. Sexta denique pars, quæ præsentem in prælijs Dei opem complectitur, finis est, ac meta, quam est assequta expeditio illa, quæ in id operam omnem conferebat, Martyrij Scopus.

 vt vi-

vt videlicet Christianæ Religioni victoriam compararet; vt Christi gloriam, ac nominis commendationem mortalibus suaderet, vt ab inanium Deorum cultu, ac superstitione abduceret; cùm enim pertinaci studio Cacodæmō insisteret Regum, ac Imperatorum interuentu nascentē Christi Religionem, recentem veluti flammam Christianorum sanguine restinguere, & suam efficere, quam maximè longam; delusit rei exitus illius consilia, qui Christianam disciplinam non modò non potuit è medio tollere, sed quò grauioribus vrgebat supplicijs, eò illa felicius promulgabatur in Orbem, donec hostis castris exutus assertori cessit desperatâ victoriâ; & Idolorum cultus amandatus è terris nullo deinde pretio habitus est. Tunc enim felicius victoriā auspicatur Fides, cum fæda persecutionis tempestas sæuire acriùs insistit. *Hac est Victoria, quæ vincit Mundū Fides nostra*, ait Ioannes. Rem lenta premo manu; & quidem aliquo nouitatis aucupio. Præstanti animo milites, & ab armis paratissimi pugnam capessunt, hostem fundunt, ac vincunt; non vero Victoria: qui igitur vincere victoria dicitur a Ioanne? Quando Fides de victoria comparanda curat non impigrè, ipsa vincit victoriā, Triumphumq; agit. Certa adeo victoriæ certamē init Fides, vt eadem ipsa, quæ congreditur, victrix sit, & victoria. Expediuit Gedeon in prælium milites manus obarmatos tubis, & inclusas lagenis lampades præ se ferentes. *Dedit tubas in manibus eorū, lagenasq; vacuas, ac lāpades in medio lagenarum.* Pingebatur his coloribus emblema Fidei, quam ferebat lux illa testaceis occlusa vasibus: est enim Fides, argumentum rerum non apparentium. Communit igitur Fide suos milites Gedeon. Sed in hoc profectò mihi hæret aqua. Quid festiuo tubarum sono plaudunt victoriæ, & præpropero voto sibi de triūpho blādiūtur? illud profectò est. Vbi ferit prælium Fides, nō Victoria fallet spem. Si manus altera Fidei offert typum, altera fert tubam ad plausus triumphi; expugnabit illicò, quo cum pugnabit.

Fides fælicius vincit, cum oppugnatur vehementius.

Iudic. 7.

CLXX. Quis igitur tanta erit offusus caligine, qui diuinam Potentiam, ac præsentem Numen in duobus hisce

Christiana Religio illustrior è laboribus exit.

ope-

operibus apprimè claris non agnoſcat, ac colat? Quia ſi rem, vt ſunt naturæ leges, contemplemur, quo pacto ter-centum ipſis annis acerbis adeò perſecutionibus par potuit eſſe Eccleſia, quibus illam funditùs euertere ſtudebāt Tyranni neruis omnibus? Sed quàm inania hominum sūt conſilia, vbi Diuinis aduerſantur. Ab ipſis laboribus hauſit animum Chriſtiana Religio: & inanis Deorum cultus omninò intercidit. Et nobiliſſima illa Romana Vrbs, quæ Idolorū ſuperſtitionis caput fuerat, creata eſt Catholicæ Eccleſiæ caput. Dein Romani Imperatores, qui periniquo animo ad Chriſti fidem penitùs abolendam coniurauerāt, ſponte ſua, nullaq; ſubacti vi pauperrimo piſcatori Chriſti Liberatoris Vicario Imperij faſces ſubmiſère, & procubuerunt genua. In qua quidèm aduerſus ſummum Antiſtitem Fide iam à milleſimo tercenteſimo ſeptuageſimo anno cōſtanter permanent. Quis ergo erit captus adeò mentis lumine, qui Diuinā virtutem tantæ rei authorem nòn adoret.

CLXXI. Illuſtri in acclamatione, qua cæleſtes aulici Dei Agnum Chriſtum IESVM excipiebant, illi velut Leoni Victoriam adſcribebant, ſed Victoriæ plauſus vti Agno canebant; cuius ante ſolium, ac pedes maieſtatis inſignia victoriæ pretium perſoluebant, & religiosè adorabant, ita planè docet Ioannes in Apocalypſi. Victoriam vt leo peperit: *Vicit Leo de Tribu Iuda.* Vt agnus colitur, & adoratur: *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno*. Si debetur victoria Leonis virtuti, quid Agni imbecillitati tribuitur honos? Nonne aptius coronæ nato ad imperiū leoni, quam agno ad humilitatem ſuapte natura prono conuenirent? exprimebat Agnus humanitatis Chriſti humilitatem: adumbrabat Leo eiusdem diuinitatis magnitudinem. Quid? ſuperat Dei magnitudo, colitur hominis humilitas? quid ni? hocce enim argumēto partam à Diuinitate victoriam manifeſtè exibuit; vt ſcilicet Regum diademata Agni imbecillitati ſacrarentur: *Mittebant coronas ſuas ante Tronum, & in medio Troni Agnum ſtantem tanquam occiſum.* Si maieſtatem ambiret veneratio, humanū aliquid intercedere videretur; cum verò ſolam adoret humilitatem, cæle-

Chriſtus vincebat vt leo, triumphabat vt agnus.

leste aliquid, ac diuinum apertissimè monstrat. Abijcit Princeps Maiestatis insigne. Triumphum agit humili natus loco. Agni humilitas superbos Regũ apices terit pedibus. Siue seipso, vt in Cælo intuitus est Ioãnes; siue Petri, eiusq; successorum interuẽtu, ad quorum pedes accedentes assiduè Imperatores Romæ videmus! Ita nimirum sub pedibus Diademata videt, qui retia sarcire vix nouerat. Ita Vrbem Orbis caput deuicit, & in Christi Fidem accepit non alio armorum strepitu, quàm quem efficiebat illius humilitas, vitæ integritas, ac morum suauitas. Ita omnia diuinæ ditioni adiunxit, qui Romæ cruci iniuriosè suffixus diem obiuit. O rem post hominem memoriam inauditam! planum quidèm est Petri viribus maiorem fuisse Victoriam, adiudicanda est palma Leoni Iudæ: hoc est, non est imbecillitatis humanæ gloriosè adeò vincere: Diuinæ est Potentiæ beneficium. *Vicit Leo*. Iccirco Piscatoris nouitas Triũphum olim peperit: & ad hãc diem illustrissimè triumphat Christiana Religio, sed & in posterum triumphabit, quippè cuius Imperium fortissimus Iuda Leo æternum obtinebit, cui gratulamur Fidei palmam, suum enim est, quidquid Christiani vincunt. Quæ si cui à vero abesse videantur, is, quæso, reputet; quo Mundi sæculo, aut qua terrarum plaga, natione vè accepta vel oculis, vel auribus res est, quæ hanc, qua de agimus, vel leuiter saltem adumbret? quæ vnquam Religio Viros peperit nostratibus similes, qui vitam absolutã adeò instituissent? qui similes cruciatus perferrent, in Veritatis propugnationem, quã mortalibus tradebant? Concentus hic sanè est, cui nostræ Fidei veritas fideli potest officio respondere; cui cælestis vnius, & alterius Testamenti Harmonia ad plenum valet concinere, vt probè docuimus iam inde à Capitis initio.

CA-

CAPVT NONVM.

Doctrinæ ex Rabbinorum sapientissimis deprompta cum Christi Veritate Harmonia.

CLXXII. HAEc olim Deus in mādatis Mosi dedit: *Congrega ad me populum, vt audiat sermones meos, & discant timere me omni tempore, quo viuūt in terra, doceantq; filios suos.* Et Christus generis humani Assertor Ierosolymis Iudæos est adhortatus his verbis: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.* In duabus præcipuè rebus sibi inuicem consentiūt hæc loca. Prima Diuinam voluntatem demonstrat, qua Mosen Iudæis magistrum imposuit Deus, & parentes admonuit, vt filios edocerent: altera testimonium Mosis, ipsiusque discipulorum, quàm Christi veritati consonet, patefacit. *Si enim crederetis Moysi* (ait Seruator) *crederetis forsitan, & mihi.* Ex quo planè intelligitur non mediocrem vigorem haurire Euangelicam veritatem à Iudæorum Præceptoribus, qui primâ apud illos laude floruerunt, tùm qui Christum præcessère, tùm qui post illius aduentum extiterunt, ob suauem in primis concentum, quem vnà cum Euangelica veritate edunt: ob honorem deinde, quem illis Iudæi habuere, & habent in præsens. In maius illorum dedecus, in vberiorem Christianæ disciplinæ commendationem nobiliora aliquot testimonia in id loci describemus præcipuè ex libro de Catholicæ veritatis Arcanis, quē edidit Petrus Galatinus, qui ab Hæbreorū disciplina se ad Christi fidem salubriter traduxit, hæbreis in litteris apprimè quidèm doctus. Suis ipsorum

Concētus, ex Rabbinorum disciplina.

Deut. 4.

Ioan. 5.

Galatinus.

Nullus veritatis testis locupletior, quã hostis.

rum testimonijs Iudæorum perfidiam conuincere insistam; nullus enim locupletior Veritatis testis, quam qui hostili eam animo prius fuit insecutus; vt enim probata hocce modo veritas omnem excludit exceptionem, ita vehemẽtiùs impellit, quò illius Mysterijs faciliùs fides habeatur. Quãdo humanæ salutis Parens Bethlemico in tugurio natus est terris, astri lumine Ethnicos Reges, ac fictiliũ Deorum cultui deditos duxit, qui in Bethlemico recessu ad illius pedes prouoluerentur, & diuinos honores tribuerent:

Matth. 2.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Cur eiusdem soli, ac generis hominibus, quos adoptauerat suos ad ortus non iniunxit hanc legem? eò scilicet, quia ea sunt potiora Fidei testimonia, quæ dixerint infideles: refelli nequit, quam veritatem testatur infidelitas: *Primùm adoratione Christi dignati sunt, quod ex inimicis testimonia longè præstantiora, fideq; digniora essent*, ait opportunè Basilius.

Paraphrasis Chaldaica.

CLXXIII. Ducat igitur aciem Paraphrasis Chaldaicæ authoritas, cui tanta apud Hæbreos dignitas est, vt (quẽadmodum ait Paulus Burgensis, qui abiurata Iudaica superstitione Christi fidem amplexus Episcopatus infulis donatus, eo munere est perfectè functus) credant scriptam annis ante quingentis, quam Christus suam per mortem humanæ saluti consuleret; atq; ea tempestate, qua Babylonicæ seruitutis iugo premebantur: credant, inquàm, scriptã tribus à Prophetis, Aggæo, videlicet, Zacharia, & Malachia: atq; eo, quem diximus, honore habent, suisq; religiosè imperant, vt eadem, quæ sacris litteris, illi fides adhibeatur. Tametsi ea plerisq; sententia arrideat, quæ editam docet à Rabbino Ionatha, annis ante Christum quinquaginta. Hæc itaq; Paraphrasis, quam tenet Catholica Ecclesia, & quæ apud illam maximum obtinet authoritatis locum; ad Christi liberatoris diuinitatem asserẽdam plurima passim offert testimonia (de quibus suo loco) atq; etiam verũ Messiam Christum esse disertissimis verbis adstruit in Iacobi vaticinij explanatione: *Non auferetur sceptrum de Iuda donec veniat qui mittendus est*: apertè illa: *donec veniat Messias.*

Geni. 49.

CLXXIV.

CLXXIV. Illum deindè Isaiæ locum donans explicatione; *Antequam parturiret, peperit; & antequam veniret partus eius, peperit masculum*, ita, inquit, Priusquam redigatur ad incitas assequetur salutem, & antequam acerbissimi pariendi dolores illā afficiant, sese Orbi Rex Messias aperiet, hoc est, priusquam arctissima obsidione Titus Vespasianus Ierosolymam cingeret, iam tum Sospitatorem obtinuerat: & antequàm extremâ illam ruinâ Romani obruerent, iam in lucem ediderat Messiam. *Isai. 66.*

CLXXV. Caput secundum, & tertium supra quinquagesimum Isaiæ explanans, quæ duo capita apud Isaiā perpetuātur, illa de Messia ad vnguē exponit: quem, ait, acerbissima subiturum supplicia, atq; adeò mortem ipsam, vt mortalium deleret scelera, vtq; sua illis morte a Deo vitā impetraret, vt planum est in Sospitatore Christo. Postremò Zachariæ vaticinationem explicans, vbi Prophetes Dei nomine hæc prædicit: *Aspicient ad me, quem confixerunt*, vt est in ea, quam Vulgatam appellant: Paraphrasis Chaldaica legit: *aspicient ad me, quem configent.* Vt Christo Cruci affixo planè euenit, atq; alia huiusmodi de Fidei Catholicæ veritate exhibet testimonia.

CLXXVI. Secundas partes deferimus duorum, & septuaginta Interpretum editioni: cui etiam maxima fides apud Hæbreos. Cuius sententias citant, illisq; fidem adstruunt, suis præclaris apprimè libris Philo, & Iosephus. Quæ quidèm antè Christum circiter tercētū edita fuit annis, ac iussu Ptolomæi Philadelphi, qui cùm sacras literas Hebraicè scriptas, Græca donatas explanatione studeret mirificè adipisci, septuaginta duos præceptores, ex vnaquaque Tribu senos in vnum conuocauit, qui cæteros longè præstantia reliquissent; atq; editionem, quam à septuaginta vulgo dicimus, descripsit studiosè ex his, in quæ omnes musicè conspirârunt. Siuè omnes in idem loci conuenirent, vt Translationem conferrēt quod non omninò à vero alienum videtur. Siue singuli in suum quisq; Conclaue inclusi (vt exitus rem probauit) in easdem sententias vnanimi consensu, conceptisq; verbis conuenère: quod *Septuaginta Interpretū Editio.*

Q non-

nonnullis, ijsq; maiorum gentium authoribus placuit. Hæcce igitur Editio, quam amplectitur Catholica Ecclesia, estq; apud eandem authoritate vel maxima, ob plurima, quæ ad Redemptionem nostram attinebant arcana ab ipsa explicata, Diuino afflata Numine haud immeritò creditur.

CLXXVII. Hanc liquidò veritatem demonstrat Psalmus vigesimus primus; qui totus de Christo ad litterã agit, nec vllo prorsus modo Dauidi aptari valet. Hoc vnũ multa interlicet animaduertere: *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Quasi id diceret, suffigendum Cruci Orbis Assertorem, vt ingemiscente rerum naturâ Christo haud dubiè cecidit. Et licet immutatum aliquid, correctumq; hoc loci fuerit a Iudæis, totum versatur dubiũ circa Hæbreũ Textum, non verò circa septuaginta Paraphrasin. Hæc enim ad hanc diem retinuit, vt Catholica Ecclesia modò etiam approbat, *foderunt*, vel igitur Textus hebraicè diceret, *foderunt*, vt rationi affiniùs videtur, siquidem septuaginta ad eum modum transcripserunt, qui incorrupti testes, & primæ authoritatis sunt; vel aliter efferatur hic Textus; vt sibi persuadent Recentiores nonnulli. Editio septuaginta annis ante tercentum scripta semper retinuit verbum illud: *Foderunt*. Vnde manifestè patet, affuisse operi Dei Numen.

Psal, 21

CLXXVIII. Non mediocre robur huic veritati affert ille Dauidis versus, qui, vt septuaginta transferũt, est huiusmodi; *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerũt me aceto*: Quæ quidèm prædixit Dauid, sed quæ profectò non est expertus; nam Christum manebant hi labores. Ita verum vero firmatur. Nec alienum illud quod est in Psalmo vigesimo primo. *Diuiserunt sibi vestimenta mea; & super vestem meam miserunt sortem*. Multis alijs supersedeo, quæ Dauidi nullo pacto, Christo prorsùs conueniunt.

Psal. 68.

Psal 21.

CLXXIX. Tertium seruet locũ authoritas magni Rabbini Hachados, qui Iudæos inter ætatem egit ea tempestate, qua tractabant Imperij habenas Antiochi, anno antè Christum sesquicentesimo. Eum hic honoris gradum apud eos obtinuit, vt antonomasticos dicerent Magistrum nostrum sanctum, & vulgo audiret Rabbinos Hachados nul-

Rabbi. Hachados.

lâ habita nominis ratione. Qui gtandem nobis locorum segetem non inuitus suppeditaret, quibus Christum nostræ salutis authorem, verum esse Messiam apertè admodum monstraremus, si effuso calamo testimonia describeremus ab illius libro, quem Mysteriorum Indicem inscripsit. Vbi maturè adeò nostræ libertatis arcana explicat, & exponit, vt Euangelico potiùs, quàm Prophetico munere fungi videatur. Potiora ex fide referemus, quæ nostræ nos edocēt legis veritatem; illumq; Dei spiritu instinctum, & antè Christum vixisse fidem faciunt, ex quo minimè est concedendum, hominem tanta nostræ Redemptionis mysteriorū luce afflatum, sempiternis oppressum tenebris interijsse, & sibi Iudaicæ incredulitatis inussisse notā. Nec Balaam exēplum nostri argumenti vires eneruat. Quem enim fugit, quantum inter vtrumq; discriminis intersit: alter robusta improbitate, nobili alter Sanctimonia non ignotus, cum Magister Sanctus vulgò appellaretur.

CLXXX. Ergo cum hic litteras daret ad Antoninum Romæ Vrbis consulem, & septimæ redderet interrogationi responsum; illum enim Consul interrogauerat, de illius Dauidis oraculi intellectu: *Vitem de Aegipto transferens*. Quæ esset vitis, quærebat Consul; Messiam esse reddidit ille. Non acquieuit dictis Antoninus. Quî nascentis Messiæ lucem primam mirabitur Aegyptus, si fælicitatem hāc suo Micheas vaticinio Bethlehem prædixerat. Fateor, rescripsit Rabbinus Hacchados, neque hanc fælicitatem Bethlemicæ Vrbi inuideo, fateor, sua hic cunabula primò Messiam locaturum, sed transferendum de Aegypto vitem, ait Dauíd; quia edito in lucem Messia, ijs inuidiæ stimulis concitabitur Herodes (is obtinebit tunc temporis Ierosolymæ ditionem) vt Pertinaci quærat studio, quo eum è medio tollat: sed diuino imperio sese conferet in Aegyptum, vbi aliquantulùm temporis commorabitur; ac tandē Dei iussu repetet Ierosolymam: idcirco, ait Psaltes Regius: *vitem de Aegypto transferes*.

Dedit ad Antoninū Imperatorē literas.

Psal 79.

CLXXXI. Eodem, quem diximus, libro hæc Idem disserit. Quòd Messias humanam amicè naturam adsociabit

Diuinæ, illi inditum est nomen Emmanuel: cuius est notio, *Nobiscū Deus* scilicet nostra indutus mortalitate: quēadmodum testatur Iobus: *In carne mea videbo Deum*: deinde quòd Deus sit; mirabilis consiliarius nuncupatur. Mirum sanè, ac diuinum consilium est commentus, vt Adami scelere obnoxios damnationi animos à dæmonum seruitute eriperet, quam nullatenus valerent discutere, nisi Rex idē Messias tantum sibi onus imponeret, & acerbissimos cruciatus eandem ob causam pertulisset. Ea propter dicitur Vir. Quòd omnis fortitudinis fons sit; appellatur Deus fortis. Quòd nullo temporum ambitu contineatur; audit Sempiternus Pater. Quòd suis temporibus felici omnia pace perfruantur, vocatur Princeps pacis. Quòd impigrè properabit, vt opima ab Inferis spolia, nempe animos ibi detentos eripiat, expeditus Spoliator, & festinus Prædator nuncupabitur. Quòd illos in libertatem asserat, & sempiternam fælicitatem: illius nomen erit: IESVS, cuius notio, Saluator est. Ex quibus planissimè perspicitur, Rabbinum Hacchados diuino afflatum Numine Redemptionis Mysterij cognitionem ante Christi aduentum nactum fuisse: siquidē Isaiæ de Christo vaticinationes dilucidè admodùm enucleat.

CLXXXII. Idem eodem libro testatur reperisse sese in libro Rabbi Simeonis Rabbi Ioai filij, qui multo ante Christum communem hanc hausit lucem ea quæ sequuntur verba. Cum hæc auditione Oseas accepisset, in lacrimas cæpit effūdi; quas intermiscebat his dictis. Væ illis! Væ illis ad omnem proiectis impietatem sceleratissimis Israelis homicidis! quibus vt peccatorum gratiam Deus faciat, suūmet vnigenitum sanctitudinis summæ, atq; laudatissimum humana indutum natura ad mortales legabit. Væ illis, qui suis dediti vitijs, ac sceleribus descíscent a Messia, & despicatui habebunt ipsius disciplinam: qua illis imperabit, vt sese aquis abluant, quibus id munus est, inolitas labes delere: Ipsi tamen diuinis minimè insistent viis, nec Dei voluntati morem gerent: sed ira ardentes, ac inuidia mortem illi irrogabunt. Tum temporis illius animus corporis exutus

tus vinculis ad Inferos descendet, vbi tres dies commorabitur, & Veterum, ac Sanctorum Patrũ beatissimos animos Victor eripiet, vt Geneseos lib. 46. proditum est: *Descendam tecum in Aegyptum, & adducam te inde reuertentem.* Illos deinde summus Deus, ac Dominus secùm in æternam felicitatem perducet, illosq; lætitijs omnibus circumfluentes suâ ipsius gloriâ donabit: quemadmodum vaticinatus fuerat Oseas: *Viuificabit nos post duos dies: in die tertio suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.* Genes. 46. Oseas 6.

CLXXXIII. Idẽ: Tribus elapsis diebus Messiæ animus suũ victor repetet corpus, & è lapide illo, quo fuerat cõditum, gloriosè exurget: ita enim futurũ, traditum est litteris: *Ecce locus est apud me, stabis super petram, cumq; transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ*: addit deinde. Parto Resurrectionis triumpho suis assuescet Messias familiariùs agetq; cum illis perquàm amicè: illius disciplinam quadraginta ipsos dies accipient, in illorum scilicet quadraginta dierum monumentum, quibus in Eremo suum ipse animum macerauit, priusquam illi mortem inimici sui irrogarent: his quidèm diebus euolutis, cæleste Regnum conscendet, vbi illum Deus extructo ad dexteram solio excipiet: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* Exodi 33. Psal. 109.

CLXXXIV. Idem Hacchados: elapsis diebus decem ab illius in Cælum conscensione, qui explent à Resurrectione quinquaginta, Spiritum suum legabit Deus, qui præstantes Sanctimonia Viros Numine compleat suo, vt tanto nixi præsidio contineantur in Fide, quibus oppidò id mândabit negotij, vt sese in Orbem omnem expediant, & diuinæ legis instituta mortales omnes edoceãt. Id enim iã pridèm prædixerat Ezechiel: *Dabo spiritum meum in medio vestri.* Hos quidèm dies quinquaginta exprimebant totidem illi dies, quibus Israeliticus populus Pascalem agnũ immolauit, cùm Aegyptiacæ seruitutis iugum Diuino munere excussit. In quo dierum spatio summum Numen in illos Diuinum Spiritum effudit, sanamque illis legem iussit, quo illos in fidei officio constantiùs retineret: *Iam nũc* Ezech. 36.

veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquẽ- Exodi 19.
tem ad te, & credat tibi in perpetuum.

CLXXXIV. Secundæ Consulis interrogationi super illis Threnorum verbis: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis meæ.* Reddidit eodẽ in libro ad hũc modũ. Hic Deus ipse est summè Sanctus, qui ait: Ad inferos ipsos exscendendi cõsilium cepi, vt inde Iustorum animos in libertatem assererem, quos Parens meus, qui Cælum obtinet, ac moderatur, Adami sceleris lacessitus iniuria, in Virga indignationis suæ ín tetra hæc loca detrusit. Hæc, & quam plurima alia Doctoris huius illustrissimi loca adducit Galatinus, quibus vel vt nobilis cælaturæ emblematis pretiosam hanc supellectilem distinguemus, in Christi IESV sponsæ sanctissimæ, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ gloriam, ac splendorem, quorũ profectò quilibet abũde esset, vt Iudaico populo lucem afferret, si tantæ lucis capaces oculos obtineret.

Thren. 3.

CLXXXV. Quartum occupent locũ Talmudistici Doctores, qui cæteros cùm antiquitate, tùm etiam sapientia præstitère, cùm ante, tùm post natum humanæ salutis Authorem: ex illorum enim disciplina suus ille codex (quẽ Thalmud appellant) compositus, compactusq; est; Glossas ac sacræ Scripturæ ẻxplanationes liber hic cõtinet. Doctorum omnium extremus, sed cum paucis authoritate Rabbi Hay enumeratur, qui millesimo ab Orbe Redempto anno Babylone vitam duxit. Tanta apud suos dignitate liber hic fuit, vt comparatum esset Hæbreos inter, lege inuiolabili, eã haberent fidem rebus omnibus, quæ in Talmudicis explanationibus de sacrarum litterarum intellectu reperiebantur, vt nemini ab illis vel vnguem abire liceret, eodemq; loco colerẽnt, quo sacram Paginam. Hi ergo Talmudistici Doctores, tertium, & quinquagesimum Isaiæ caput exponentes (quod quidèm caput, ad litteram (quod aiunt) de Christi Assertoris doloribus, & de comparata mortalibus ipsius interposita morte æterna felicitate omnino agit) musicè omnes Chaldaicæ Paraphrasi cõsensere, Christo nimirùm Isaiæ Vaticinium adscribẽdum. Expli-

Quo habeatur honore Talmud.

plicant deinde eiusdem Vatis caput secundum, & quinquagesimum, cuius finis initium facit rei, qua dè agitur capite quinquagesimo tertio, de Messia nempè, de quo ibi: *Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde.* Hunc planè Messiam esse, Chaldaica Paraphrasis exponit, additq; illum maximopère euehendum, magnificandum, ac extollendum. Vbi Thalmudistæ sublimiùs Abrahamo euehendum, Mose gloriosiùs magnificandum, Angelis Dei præceptis obtemperātibus feliciùs extollendum esse docent. Pergunt deinde, prosequunturq; explanationem capitis quinquagesimi tertij; quod totum Messiæ adscribunt; & in eandem omnes sententiam euntes pedibus Paraphrasi Chaldaicæ subscribunt; traduntq; vēturum Assertorem Orbis, vt cruciatibus, vt contumelijs, vt morte afficeretur, quò suæ Fidei cultores ad magnos honoris gradus perduceret. *Isai. 52.*

CLXXXVI. Hæc igitur res illa est, quæ Isaiæ mentē ingenti admirationis stupore rapiebat, cùm enim dixisset, Messiam ad eum dignitatis gradum efferendum, vt cælestes ipsi ciues, longe illi essent concessuri, adiūxit oppidò: *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini, cui reuelatum est?* atq; exorditur è vestigio acerbissimos Christi Domini dolores, & iniurias: quasi diceret: Quæ robusta adeo fides erit, quæ disiunctissimas res, ac sibi quodammodo inuicem aduersantes vno credulitatis nodo amicè iungat! Quis sibi imperabit, vt credat, supremum omnium Dominum, ad tantæ gloriæ felicitatem, ad tanti honoris fastigium euectum, vt omnium coràm illo rerum creatarum multitudo syderibus ad Solis conspectum non omninò dissimilis sit, quæ sui splendoris iacturam penitus faciunt; Quis, inquàm sibi imperabit vt credat, tantum hunc Dominum agendū in Crucem, latronis affectum supplicio latrones inter. Ergo cùm planissimum sit Doctores Talmudistas caput secundum, & tertium supra quinquagesimum Isaiæ de Messia adamùssim exponere, cumq; intueantur Iudæi, expleta in Christo fuisse omnia hæc arcana, & Isaiæ admirationes; planumq; fecisse Assertorem se totius gloriæ Dominum, *Miratur vehemēter Isaias Verbi Incarnationem. Isai. 53.*

vitæq; Authorem esse, cui res omnes creatæ alacriter obtéperant, quousq; tandem non illum Iudæi agnoscent, Fidéq; non adiungent?

CLXXXVII. Quinto: Magna est Iosephi authoritas, qui Iudæorum res posteritati scriptis suis commendauit; eamq; obtinuit dignitatem, vt in illustrium Virorum syllabū adscriptus fuerit; Romanusq; Senatus cæteros inter honores, quibus illum non mediocriter honestauit, ipsius statuam collocari in Capitolio decreuêrit. Hic igitur cum animum ad scribendum appulerit anno à Christi liberatoris morte quinquagesimo, hoc illi testimonium dedit: Sub illud temporis mortales inter degebat IESVS, Vir plane sapiens (si Virum æstimare eum fas est) magna enim prodigia perpetrabat, illorumq; salubri disciplina institebat, qui libenti animo amplectuntur veritatem; plurimosq; reperit, cùm Iudæorum, tùm Ethnicorum, qui illius vestigijs accerrimè insisterent. Christus quidèm hic erat, qui cum à gentis nostræ Dynastris vocaretur in iudicium, tandem actus in crucem est, quòd quidèm non ab illius amore eos deterruit, qui illius disciplinæ iam inde ab initio nomen dederant: tertio enim à fæda hac tempestate die, sese illis obtulit absterso horrore supplicij gratissima vitæ aura vndiq; circunfusum; quemadmodum hæc, multaq; alia de illo prædixerant Sacri Vates. Et in hæc vsq; tempora Christianorū disciplina, quibus ab ipso nomen, & permanet, & in dies procedit.

Iosephus scripsit de rebus Iudaicis.

CLXXXVIII. Author Idem verissimis alijs præconijs Baptistam Assertoris Prodromum, ac Iacobum minorem fratrem (vt loquitur Sacra Pagina) & Christi Domini Apostolum affecit: Cum verò orationem deflecteret ad victorias, quibus Vespasianus Imperator, Titusq; ipsius filius Orientem peragrarunt, quando Iudæam Romano Imperio adiunxerunt, vt Vespasiano palpum obtruderet, illum esse, impudentissime exposuit, quem omnes Prophetarum vaticinationes prædicabant; cui postea Tacitus, ac Suetonius subscripsere: Nec vllo potuit culpam hanc nomine prætexere, Ethnico enim Principi, cuius imperium non deci-

mum

mum egressum est annum, ea adscripsit, quæ, vt erat Sacerdotio initiatus, & legis non ignarus, callebat optimè prænuntiata esse de Principe, qui à Dauide genus duceret, & sempiterno imperio frueretur. Atq; sceleratiùs peccauit, quòd id egerit, postquam testatus literis fuerat, Christum Orbis Reparatorem Messiam esse, qui post Crucis supplicium surrexerat immortalis è tumulo, vt erant de illo Vaticinia; quòd quidèm nulli vnquam Prophetæ contigit. Verùm vbi ambitio, & aucupandæ hominum gratiæ studium dominatur, haud facilè animos vero, æquoq; paret.

CLXXXIX. Sexto: Rabbi Moses Hadarsan veterum Talmudistarum æqualis illud Isaiæ oraculum explanans: *Priusquam parturiret, peperit*, ita inquit. Priusquam ederetur in lucem, qui extremæ seruitutis iugum Israeli imposuit, ortus est Redemptor. Scilicet, exponit, antequam Ierosolymam euerteret Titus ab stirpe, natum fuisse Orbis Sospitatorem. Deinde in illa verba Regij Psaltis: *Et viuet adhùc in finem, & non videbit mortem*, aït de Rege Messia scriptum vaticinium hoc; qui quidèm mortem oppetet, vt Patres in libertatem restituat, æternam postmodum vitam assequetur, & non aspiciet Inferos. Exponit etiam in hunc modum verba illa Regij Vatis: *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius* Hoc haud dubiè de nostro dictum Messia; nàm mortem & vitam, momentũ idem temporis coniunget, ex suæ nimirum voluntatis præscripto vt eam alijs impertiatur, & sibi accipiat. *Rabbi Moses.* *Isai. 66.* *Psal. 48.*

CLXXXX. Septimo: Rabbi Iohanam expedit verba illa: *quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ.* Triennium, ac dimidiatum annum oliuarum in monte commorata est Diuinitas, compellans mortales his verbis: *Quærite Deum, dum inueniri potest*, quas illi voces auribus minimè accipere institerũt, expletum etiam est illud Isaiæ: *Inuentus sum à non quærentibus me, & palam apparui ijs, qui me non interrogabant*: Nec multò infra addit. Ait Deus Sanctus, & benedictus: Vos quæsiui sedulò; Vos me tamẽ non quæsiuistis: me modò diligenter inquiritis; sed incassum preces funditis. Tũc *Rabbi Iohanan.* *Psal. 10.* *Isai. 55.* *Isai. 65.*

illi : An nè in perpetuum nostris, Domine, precibus, aures obstrues? Illicò Misericordia, & Pax reddidére. Non vtiq; Nam ad tempus vsq;, & tempora, & dimidium temporis, hoc est vsq; ad Antichristi mortem, hoc fiet. Tum enim temporis, quidquid Israelitici populi reliquum fuerit, ad sui Liberatoris fidem reuocabitur.

Rabbi Samuel. *Psal. 106.* *Rabbi Saul.* CLXXXXI. Octauo: Rabbi Samuel Leuita; ad illa verba Dauidis: *Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Verbum Dei ipsius est legatus, maximo venientem excipiemus honore. Quid! inquit Rabbi Saul. Nonné Sacri iam Vates ad nos venere, quos morte affecimus, illorumq; sanguinem profudimus? Qui igitur Verbum benignè accipiemus, illiusq; amplectemur Fidem? tunc ei Rabbi Samuel. Medebitur illorum plagis, & vindicabit à laboribus; quæ prodigia in causa erunt, vt illi, & Fidem, & honorem habeamus. Dic precor, inquit Rabbi Saul, cur non ait Psalmographus: *sanauit nos*; sed *sanauit eos*? Ideo scilicet meo quidèm iudicio, reddidit ille, quia non omnes, sed nonnullos tantùm salutem comparaturos Prophetes Regius vidit. Rem acu attigisti, excepit Rabbi Saul. Cum enim Dei Verbũ in terras ad salutem omnium venerit, non ab omnibus profectò exceptus, sed à priuatis, & infimæ sortis hominibus, tardo, vt credebant omnes, ingenio, piscatoribus, quiq; versabantur in mari, de quibus scriptum eodem loci; *Ascendentes mare in nauibus facientes operationem in aquis multis.*

Psal. 105. *Rabbi Iohay.* *Rabbi Iudas.* CLXXXXII. Nono; Rabbi Iohay, qui Iudæos inter multos ante Christum annos effloruit: hæc ait: Idcircò panis facierum nuncupatus, quia, vt inquit Rabbi Iudas, cùm sacrificabitur, panis substantia traducetur in substantiam corporis Messiæ, quod è Cælo in terras descendet; Ipseq; sacrificium erit, quod nec videri poterit, nec attrectari. Magistri inquiunt, eam ob rem facierum panem fuisse appellatũ, quia duplicem substantiã sacrificiũ idem continebit.

Rabbi Cahana. *Gen. 49.* CLXXXXIII. Decimo: Rabbi Cahana, qui multis ante Christum temporibus vitam egit, illa Geneseos verba explicans: *Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius la-*

ste candidiores: hæc differit. In ſacro, quod ex pane litabitur, licèt panis lac candore præeat, illius tamen ſubſtãtia, in ſubſtantiam corporis Meſſiæ tranſmutabitur. In ipſoq; ſacrificio erit Meſſiæ ſanguinis ſubſtantia, quæ vinum rubore æquabit: in vini deinde ſacro, Meſſiæ caro, & ſanguis ſimul adiungentur; eademq; omninò in pane erunt. Nequit enim disiungi Meſſiæ corpus; idq; ratio videtur exigere. Nam ſi Caro à ſanguine (Chriſti intelligit iam gloriæ dotibus induti) diuiſa eſſet, ad inuicem diſtingueretur caro à ſanguine, Cui tamen refragatur illud, quod in Exodo proditum eſt: *Subſtantiam non confringet ex eo*. Argumento rursùm illud ſit; quod caro viduata ſanguine, vel ſanguis orbatus carne res quidèm ſunt vitæ expertes: Meſſiæ verò Corpus ſuam poſt anaſtaſim, vt potè quod immortali donatum gloria, immortali fruetur vita. Vnde dictum illud creditur: Dauid Iſrael Rex æternum viuit.

CLXXXXIV. Vndecimo: In libro illo, qui Midras Echa inſcribitur, & Ieremiæ Threnodiæ explanationem continet, leguntur huiuſmodi verba. Retulit Rabbi Samuel Nahman filius: Deus ſummè Bonus, & glorioſus cæleſtes ad ſe ciues, qui illius obſequio præſtò erant, vocauit ad ſeſe, illiſq; dixit: Rex mortalis, & humanus quid agit, cùm mærore afficitur? Tunc illi: Pullatam veſtem Regij luctus ſignum imponit foribus. Ego, idem, inquit Deus, nunc quoq; præſtò: vt ſcribit Iſaias: *induam Cælos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum*. Quæſiuit rurſus: quid agit Rex terreſtris, cum ſeſe lachrymis dedit? Funalia, inquiunt, extinguit. Eundem Ego morem obſeruabo: quẽadmodum vaticinatur Ioel: *Sol, & Luna obſcurati ſunt, & ſtellæ abſconderunt ſplendorem ſuum. & Deus de Sion rugiet; & de Ieruſalem dabit vocẽ ſuam*. Interrogauit deinde, quid mortalis Rex efficit; cũ ſe vndique impetitũ doloribus aſpicit? At illi, nudis, inquiunt, incedit pedibus: Non abibo, ait, ab hac conſuetudine: vt eſt Nahum oraculum; *Deus in turbine, & in tempeſtate via eius, & nubes pulueris pedum eius*. Quid, tandèm, Rex agit, cum mærorem maximum cepit? Sedet, inquiunt, & ſilet. Inſeruietur à me eiuſmodi

Rabbi Samuel.

Iſai. 50.

Ioel. 3.

Nah. 1.

di etiam mori. Quemadmodum est in Ieremiæ Nænia: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se supra se, ponet in puluere os suum, si fortè sit spes: Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* Hactenus Rabbi Samuel, qui Vnigeniti Dei Incarnationem, ac Perpessionem disertissimis verbis explicuit. Adiungit Glossa, quoties ad extremorum versuum enucleationem deueniebat, non posse Rabbinum Samuelem à lachrymis temperare.

Thren. 3.

Rabbi Moses. *Genes. 4.*

CLXXXXV. Decimo secundo: Rabbi Moses Hadarsan ad verba illa Geneseos: *Melchisedech Rex Salen protulit panem, & vinum*, hoc est, inquit, quod scripserat Psalmographus: *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Verùm quis nàm hic? Messias Rex sanctissimus, & Orbis liberator est: quemadmodum prædixit Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator.* Quod deindè latet arcanum, vt afferat, panem, ac vinum protulisse? vt nimirùm subscriberet Vati Regio: & *erit placenta tritici in terra* (placebat olim Rabbinis hæc lectio), idq; innuit, cum ait: erat Sacerdos Dei Altissimi.

Zach. 9.

Rabbi Moses Ægyptius.

CLXXXXVI. Decimo tertio. Rabbi Moses Aegyptius & magno ab Hebræis honore habitus, vt Author est Paulus Burgensis, & Galatinus, illustre præconium Christo Orbis Assertori imprudens tulit. IESVS Nazarethnus, inquit, Messias est æstimatus, quem Iudicij Domus (hoc est Consilium Sembadrin) damnauit capite. Et alibi, fuisse in causa, ait, cùr Israeliticus populus extremo fuerit mulctatus excidio. Sed addit impiè: se Seruatorem nullatenus esse Christum, hacce in re fecisse palam: cum sacri Vates prædixissent; Messiam Salutem, non excidium Hebraicæ genti allaturum. In quo quidèm obfirmata illum animi caligo decepit. Fatetur quidèm ob illatam IESV necem extremo supplicio animaduersum fuisse in populum, sed in hoc, inquit, non se se Israelis Regem exhibuit. Quod profectò contra est, ac dicit. Si enim in re aliqua, in hoc vel maximè se Messiam esse fidem fecit. Nàmq; excidium illis irrogauit Numen, qui inexpiabili adeò inuecti sunt in

eum odio, quod nec effuſo per ſummam immanitatem illius ſanguine extinxerunt, cùm tamen ſalutem impertiuerit tùm Iudæis, tùm Etnicis, qui illius Fidem ſunt amplexati. Hi enim Iudæorum, & Iſraelitarum nomine meritò afficiendi, vt Apoſtolus explanauit, & hi quidèm ſunt, quos in ſalutem, libertatemq; reſtituere enixè inſtitit.

CLXXXXVII. Decimo quarto: Rabbi Salamon Gallus egregiè adeò in ſacrarum litterarum explanatione verſatus, vt inter Eccleſiaſticorum Doctorum expoſitiones illius etiam intermiſceantur. Hic igitur expediens verba illa Iſaiæ: *Vrbs fortitudinis noſtra*. Vrbs, inquit, virtutis noſtræ, nobis profectò erit IESVS, hoc eſt, Saluator, ſiuè ſalus Et poſtmodùm *Ciuitatem ſublimem humiliabit*, hoc eſt, Romam, & Italiam. Illam ad terram deprimet, & conteret pes pedum pauperis, Regis nimirùm Meſſiæ: de quo videlicet ſcripſit Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam*. Si hac igitur ducti explanatione in ſpe Iudæi habent, Meſſiam Romam Vrbem ditioni ſuæ ſubmiſſurum, quid tandèm illorum oculos obnubilat, nè pauperrimum illum Piſcatorem Chriſti Vicarium, quē ſibi in Eccleſiæ ſuæ caput Aſſertor idem in terris ſuffecit, Vrbi Romæ imperantem videant iàm indè ab anno milleſſimo tercenteſimo ſexageſimo. Si deindè Iſraelis pauperum præceptis Romæ obtemperatum iri ſperant, qua etiàm nùm inuoluuntur caligine, nè Petrum, ac Paulum, verè Iſraelitas, & ſuæ gētis homines, tanta humanarum rerum paupertate, vt nihil omninò ſuum in Orbe ducerent, eximio ab omnibus Romæ honore cultos intueantur, poſtquàm Chriſtianam ibi Religionem ab ipſis diſſeminatam ſanguine ſuo irrigarunt. Dicet fortaſſe quiſpiam. Quî credi poteſt, quòd hic Rabbinus non ſe ſe ad Chriſtum adiunxerit, illiuſq; fidem coluerit ſi IESVM ſeruatorem agnouit, & eſt confeſſus? Primùm quidèm reſpondeo, Galatinum Hebraicis in litteris iàm indè à prima ætate verſatum, & fide maxima authorem huiuſce ſententiæ eſſe. Sed quòd mihi affiniùs vero videtur, Rabbinum hunc vulgari ſenſu IESV

no-

Rabbi Salamon Gallus.

Iſai. 26.

Zach. 9.

nomen vſurpaſſe, dùm ſcilicèt ſua notione Saluatorem, aut ſalutem deſignat. Et licèt Chriſtum Orbis Liberatorem Meſſiam nuncupare, non illi fuiſſet conſilium, id tamen præſtitit vel imprudens: vt iàm olim Balaam, & Caiphæ Diuino Conſilio acciderat.

Rabbi Moses Gerundesensis. CLXXXXVIII. Decimo quinto. Rabbi Moſes Gerundeſenſis, qui doctiſſimis Hebræorum Doctoribus primas nullatenus cedit; hæc ait. Id præcipuè Rex Meſſias in animum inducet ſuum, Iſraelem nimirùm accuratiſſimis præcibus protegere, diuinamq; clementiam propitiare, Ieiunos dies traducet, & ſe ſe abijciet in illorum vtilitatem, vt eſt in Iſaia: *vulneratus eſt propter iniquitates, & attritus eſt propter ſcelera noſtra.* *Iſai. 53.*

Hachados CLXXXXIX. Claudat deniq; agmē Rabbinus Hachados, qui eo in libro, quem inſcripſit Secretorum Reuelatorem, ab Antonino Romæ Vrbis Conſule interrogatus, quo appellanda nomine Orbis Seruatoris Parens erat, ſibi ab Elia in ſpelunca duplici detectum fuiſſe reſpondit: de quo, inquit, me interrogas, quod ſcilicet nomen Prophetiſſæ indetur. MARIA, quidèm audiet. Iccircò cecinit Iſaias; *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt Principatus ſuper humerum eius.* Quibus in verbis haud obſcurè monſtratur, Meſſiam à Deo eſſe generandum; Imperij ſui fines, tanquàm Vniuerſitatis Orbis Dominum prolaturum, & MARIA Dominâ naſciturū. *Iſai. 9.*

Reſpōdet Hachados quartæ Antonini interrogationi. CC. Quartæ Conſulis interrogationi de Virga illa, quâ Moſes tot ediderat prodigia, hæc poſt multa, Rabbinus. Tibi modò patebit cauſa, cùr in Iſraeliticum populum ſerpentibus Deus animaduertens Vati edixerit: *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.* Hæc enim verborum ſētentia: Qui venenato ſerpentis, hoc eſt, peccati morſu fuerit ſauciatus, ſi oculos ad ſerpentem arbori affixum verterit, ſempiternam vitam comparabit. Et quòd huiuſmodi arbor à vitæ arbore ſecta fuerit, Orbi conciliabit vitam illius fructus. Hæc rurſus arbor longum temporis ſpatium humi deliteſcet, cunctis ignota mortalibus, quouſq; ſcilicèt Helena *Num. 21.*

præ-

præſtantis ſanctimoniæ Regina, Imperium Orbis obtinebit; qua quidèm tempeſtate difficillimo loco Iſraelis res erit, maximaſq; redacta ad anguſtias; ab illo enim exigetur arboris huius ratio; cùm tamen illum omninò fugiat, vbi nam lateat. Donec tandèm ex Diuino Conſilio eodem in ſolo reperietur quædam illarum arborum, de quibus Iſaias: *Et dabit impios pro ſepultura.* Et iſtiuſmodi rē patrabit Numen, vt patefaciat, quam magna prodigia ſua ſint, & quâ admiratione excipienda ipſius miracula. Eodem in libro, quia Meſſias, inquit, ſalutem mortalibus afferet, IEſuah appellabitur, cæterū nationes, quæ ad ipſius Fidem ſe ſe adiungent, illum IESVM dicent. Et hanc ob rem Geneſeos in libro expreſſum fuiſſe hoc nomen intelliges: *Non recedet Sceptrum de Iuda.* Hebraicè Iauo Silo Velo. Si enim Principes harum dictionum literas conflaueris, IESV, effingent eædem omninò literæ: quia ſuauiſſimum hoc Nomen Hebraicè ſcribitur his tantummodo literis, I.S.V. *Iſai. 13.* *Gen 49.*

CCL. Quam igitur cauſā afferre Iudæi valent, ne Chriſtum, vt verum Orbis Aſſertorem impensè colant, ac venerentur; ſiquidèm ſuæ ipſorum Editiones, tùm Chaldaica, quam illi pari religione, ac ſacram Paginam amplectuntur, tùm ſeptuaginta Interpretum ſanguinis neceſſitudine ipſis coniunctorum, quibus Diuinæ Sapientiæ lumen affulſit luculētèr, tot antè Liberatoris aduentum annis, totieſq; prædixère verè ipſum Meſſiam eſſe; Et nefas ſit ſpem ad alium tranſcribere. Quin etiam obfirmata illorum durities non ab ijs modò eâ dignitate Editionibus inſimulatur: verùm etiam arguitur ab ampliſſimis tot Virorum teſtimonijs, quorū quidam antè; alij verò poſt Chriſtum natum effloruère: quorū authoritas omni exceptione maior: quorum explanationes, & æquum eſt, & debent amplecti, idq; præcipuè, cùm omnia examuſsîm videāt abſoluta, quæ ſui ipſorum Præceptores tanto antè tempore enucleârant. Aliquantula purgari poſſe ratione videbātur, ſi rebus admodum difficilibus, vt certè ſunt, Deum hominem factum: Deum in Crucis patibulo occiſum: fidem non haberent, ſi

hæc

Excusari nequit infidelitas, quæ non credit ijs, quæ iam euenerunt.
Ioan. 14.

hæc antè euentum ab ipsis exigeretur. Sed hæc obstinatè denegare postquàm euenère multoq; antè prædicta, fugit me planè, quî poterunt criminis inuidiam eleuare: Suæ necis dedecora, & suæ anastaseos gloriam prænunciauit Seruator discipulis, aitq; : *Et nunc dixi vobis prinsquàm fiat; vt cum factum fuerit, credatis.* Et qua de causa non illis imperabit, vt credant, priusquàm sortiantur euentum, quæ credenda obtulerat? Quia res erant egregiè arduæ, nimirùm Hominem Deum proditum à suo ipsius discipulo, & Crucis affectum supplicio animam editurum: tertiò deindè à nece die gloriosè reuicturum è tumulo: & cælestes orbes penetraturum, vt haud dubiè contigit: Iccircò, inquam, non antea, sed postea fidem imposuit; quia forsitàn ante euentum haberet infidelitas quid causaretur; à quo quidèm longè abesset, si facta credere cogerentur. Siquidèm vsurpare oculis, quæcunq; futura prædixerat Christus, certissimo esset argumento, Christum Diuino afflatum spiritu fuisse locutum; cum profectò mendacium subesse minime posset, vbi expletum iam esset Vaticinium; Cuius quidèm mendacij nequaquam poterat compertus haberi Christus; Vt neq; Rabbini illi, de quibus hactenus nobis actum est: cùm omnium oculis iam sit obuiùm, quod ipsi venturum prænuntiauerant. *Illud itaq;* (ait aptissimè Augustinus) *dicit quo viso fuerant credituri, quod ipse esset Christus filius Dei, qui hoc potuit facere, & prædicere, antequam faceret.*

Qui suæ mentis errori obfirmatè hæret, immedicabile cæcitatis vulnus sibi infligit.

CCII. Et etiam nùm priscâ animi peruicacitate languere gentem hanc! maiorem obstinatæ mentis insaniæ, quàm sano tot Doctorum iuditio fidem habere? Planè immedicabile cæcitatis suæ vulnus patefaciunt; qui mentis suæ delirium veritatem æstimant. Et tot, tamq; locupletiũ testium veritatem ludibrio vertunt. Cædebant cum Christo sermones discipuli, qui se se Emmaus conferebant, quin ipsum, quem alloquebantur, agnoscerent, & deiecti iam spe, in qua Christi Resurrectionem habebant, verum, inquiunt habere, sibi dixisse fæminas, quæ ad Christi tumulum multò manè properauerant, se se cælestes Au-

licos obtulisse, qui eas de Christi Resurrectione fecerint certiores, & omnibus lætitijs hoc nuntio circunfluentes demisisse, ipsos verò fæminis nullo prorsùs modo credidisse. Imò adiungit Lucas: *Visa sunt antè illos sicut deliramenta verba ista*. Fæminarum itaq; testimonium Angelorũ authoritate velut chirographo subscriptum anilem stultitiam æstimabant: & inanem mentis suæ cogitationem, quæ omninò à Resurrectionis veritate abhorrebat, eam sanam credebant, & integram. Sed quo id pacto? grauiori manu rem premamus. *Oculi autem eorum tenebantur*, ait idem Lucas: Alieni erant homines ij ab huius Mysterij Fide, at verò qui Fidei sunt luce capti, suæ mentis amentiæ, tanquam vero, obnixè hærent; & sana veri facies cælesti firmata testimonio tanquàm insanæ mentis delirium repudiatur. Verùm id ipsum est laborantis caligine animi valetudo: *oculi autem eorum tenebantur*: Vera scilicèt delirij loco, & deliria in veri speciem colere: quæ vera Cælũ edocet, mentientis deceptionem sensus ducere, & illudẽtis sensus amentiam in veritatem delapsam è Cælo adoptare. Luc. 24.

CCIII. Verùm enim verò palam òmnibus facit Synagoga summum, ac difficile illud tempus, eaq; supplicia, quæ ex Oseæ Vaticinio impendebant, iàm illi planè irrogata, & desertam à Deo esse, quia Christo IESV sponso verè suo infida extitit, & affectam intellectus obcæcatione. & voluntatis duritie; quo nihil opis tam graui morbo reliquum fieret. Perspectum deindè est, omnibusque obuium, omnẽ Synagogæ gloriam ad Catholicam Religionem fuisse transcriptam; huic enim quidquid honoris, quidquid laudis vsquàm est, debitum iure omni est æstimandũ ob Fidem videlicèt quam castissimè obseruat Christo IESV, quem efflictim deperit, vt Sponsum. *Tu gloria Ierusalem: Tu lætitia Israel: Tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eòquod Castitatem amaueris; & post virum tuum alterum nescieris: Ideò manus Domini confortabit te; & eris benedicta in æternum*. Meritum sanè Christianæ Ecclesiæ elogium, quo illa Synagogâ feliciùs valet commendari. Osea. 3. Iudit. 15.

S CA-

CAPVT DECIMVM.

Cum Euangelica Harmonia Sibyllinus concentus.

Consensus ex Sibyllis. CCIV. VErum quidèm est vnum,& alterum testamentum sibi inuicèm musicè admodum concinere: sed si hunc inter se concentum suauissimè edũt, non absonus planè est,quem etiam admiscent Sibyllarum testimonia, quæ diuino instincta Numine Christi aduentum, sacraq;illius arcana Ethnicos inter prædixerunt;quẽadmodùm Iudæos inter, Prophetæ,cælesti quadã inter horum oracula, & illarum vaticinationes habita harmonia, quæ omnia ad numerum consonant rebus ijs, quas Nouũ Testamentum de Christo refert. Ita omnes mirè consentiunt, quia vno, eodemq;spiritu afflabantur omnes. Si enim Isaias de ortu Vnigeniti Dei nostra mortalitate induti sermonem habens, nascentem illum florem nuncupauit: *Egredietur virga de radice Iessè, & flos de radice eius ascendet*:Et Matthæus iccircò ait in Ciuitate Nazareth fuisse educatum (est autem Nazareth venustum floribus solum) vt Vatum oraculis respondisset euentus: *quoniã Nazaræus vocabitur*: Vt Nazarethnus scilicèt diceretur,quod idem est, ac florum venustate commendabilis, multis antè annis, vt meminit Lactantius Firmianus,eadem de causa prænuntiauerat Sibylla: Florebit flos purus; ad Christum sermonem intenderat. Idem prorsus quod prædixerant Vates, & allusit Euangelista. Eam ineunt societatem,ac fædus cum cælesti sacrarum litterarum concẽtu Sibyllina oracula; vt permulti vehementer commoti suaui admodum necessitudine, rectam Fidem amplecterentur, prudentes quidèm rerum æstimatores, fieri enim minimè posse crediderunt,falsitatis aliquid subesse Fidei, quam vnisono consensu,ac concentu Personæ inter se longè aliæ præ-

Isai. 11.

Math, 2.

Lib. 4 de vera Sapient.

præcinebant; Et quæ licèt vario generis discrimine secernerentur, vno tamen veritatis nodo ligabantur arctissimè.

CCV. Ex quo quidèm planissimè cognosci valet sacris gratissimè voluminibus Sibyllarum eloquia cōcinere: quæ Incarnationis, & necis Assertoris Christi arcana tàm certa cognitione assequutæ, ita graphicè, & subtilitèr illius res gestas, ac prodigia literis consignarunt, vt illarū oracula de Liberatoris vita, ac morte historicè potiùs, quàm propheticè disserere videantur. Fidem rei faciunt ipsarū carmina; quæ in Sanctorum Patrum Bibliotheca descripta sunt. Non me quidèm fallit, non eâdem, quâ Canonici libri, authoritate excipi; In illorum enim syllabum non illa adscripsit Ecclesia, sed proiectæ habebitur peruicacitatis, qui illorum veritatem in dubitationem adduxerit; Sibyllarum enim oracula in testes Ecclesia affert, Dauidis vaticinijs ea componens, vt vtraq; sibi amicè conciliet: *teste Dauid cum Sybilla*. Nec quisquam amplissima dignitate, & sanctimonia Patrum de illarum veritate hæsit; hæsit autem? Imò illorum quàmplurimi, quò Euangelicam Legem firmiùs stabiliant, Sibyllinis oraculis id præstare insistunt. Et quanuìs de illarum numero in alias alij sententias abeant, tamèn communis omnium opinio fert fuisse decem, atq; omnes illibatum Virginitatis florem ad extremum vsq; spiritum retinuisse, & in eius virtutis pretium (quàm strenuè Deum demeretur hæc virtus) Prophetico spiritu à Numine fuisse afflatas: Cognominatæ sunt Sibyllæ græco nomine, cuius est latina notio: Dei consilium, vt habet Hieronymus. Meminère de Sibyllis Plato, Aristoteles, Heraclitus, Cicero, & Virgilius: qui omnes antè Christum floruere. Post Christum Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Eusebius, Baronius, & plures alij, qui citant Augustinum, & Hieronymum.

Sibyllæ de Christo apertissimè prædixerūt

Sibyllarū oraculorū authoritas.

Lib. contra Iouin.

Barrad to. 1. l. 3 ca. 15.

CCVI. Ergo in firmiorem verissimi testimonij comprobationem eam apud Ethnicos fuisse adeptas authoritatē Sibyllas edico, ob ingentem rerum vim, quas antè euentum prædicebant, vt haud dubiè, dixerit Heraclitus, in-

Maxima apud Ethnicos fuere authoritate.

terris apparuisse Sibyllas, cum tamèn non solo sed Cælo fuissent educatæ. Cautumq; erat seuerissimâ inter Romanos lege, ne quis illarum carmina retineret apud se se: quæ Romano tantùm in Capitolio adseruabantur, quem locum eximia religione colebant: Vnde Sibyllina oracula tanquàm Sacrum aliquid, ac Diuinum venerabãtur. Nec eo seruata cultu moris erat legere, nisi summo Reipublicæ tempore, & cum de rebus difficillimis consultò opus erat, an scilicèt, Sibyllinis in libris huiusmodi euentus reperirent. Et quindecim aderant Viri, cùm illos legere in rem fore credebant. De quibus Tacitus: Anno ab Vrbe condita septingentesimo trigesimo sexto sanxit Augustus, quo intra diem ad Prætorem Vrbanum ferrentur, neq; habere priuatim liceret.

Sibylla Cumea. CCVII. Cæteras inter Sibyllas duæ in Italia duxerũt vitam, quarum altera Cumea vulgò dicitur, ab oppido nimirùm Cumis, quas incoluit, non longè à Neapoli interuallo. Cùm in huius carmina (quæ seruabantur in Senatu) incidisset Virgilius, quartam Eclogam ex illis descripsit, quemadmodùm in illius initio planum est, & Salonino Asinij Pollionis filio (erat autem Virgilius Pollioni arcta familiaritate deuinctus) Genethliacum cecinit, & quæ in Sibyllæ carminibus præclara reperit, ad institutum suum cæcè quidèm accommodauit. Vixit, & vita est functus Virgilius Augusti Cæsaris temporibus, quem testamento suo præfecit; Christus verò humanæ libertatis vindex, mortem subijt anno duodeuigesimo Tiberij Cesaris Imperij, hic enim in Augusti locum suffectus est. Vndè aperta, testataq; est veritas huius Sibyllæ prædictionum, cæterarumq; quæ illi consentiunt.

CCVIII. Hæc præsertim sua in Ecloga ex Sibyllinis oraculis Mantuanus Vates enumerat, Nouam faciem induere Orbem nobili admodùm pueri ortu: iam se se terris Virginem restituere: & nouam è Cælo progeniem descendere: proscribendum ab Orbe scelus, & diuinos mortalibus mores ab illo afferendos; & pacis fædere quiescẽtium terrarum habenas, virtutibus patrijs tractaturum.

Quæ

Quæ omnia mirum in modum Isaiæ vaticinationibus concinunt, quod in felicissimo Seruatoris aduentu factum credimus; & de quo Euangelicã narrationem Sacri Historiographi contexunt. Quòd quidèm eam magno Constantino admirationem iniecit, vt postquàm repudiata Idolorum superstitione se se ad Christum adiunxit, accuratè secum versans, vt Deus Redemptionis arcanum, tot ante annorum spatiũ Virgini illi aperuerit firmioribus Fidei nodis adstringeretur. In oratione itaq;, quam habuit ad Sanctorũ cætum, *Sibillam*, inquit, *ego beatam puto quam Seruator ad diuinandum de sua in nos prouidentia delegit*. Literis prodidit Genebrardus Secũdarium Decij præfectum, Verianum pictorem, & Marcellinum oratorijs disciplinis excultum, hac ipsa cogitatione vehementer impulsos misisse Idolis nuntium, & Christo dedisse nomina. *Isa. 11.*

CCIX. Illud etiam non prætermittendum censeo, quod inquit Tullius: *Sibyllam sepositam, & reconditam habeamus, vt id quod proditum est a maioribus in iussu Senatus nè legantur quidèm libri: valeantq; ad deponendas magis quam ad suscipiendas Religiones*. Quem locum ita exponit Galaza. Legerat Tullius in Sibyllarum carminibus, inanẽ, ac falsam esse Ethnicorum Religionem, ac penitùs intercidendam; Christianamq; disciplinam hominibus impertitum iri, quæ illos æternum sospitaret; Cùm igitur Ciceronem minimè falleret barbaram omninò esse Deorũ superstitionem, profuturam, dixit, illorum cognitionem ad deponendas, quas colebant, Religiones. Cumq; illũ rursùs fugeret, quæ futura esset Religio Christi aduentu mortalibus impertienda, ad nouas, inquit, suscipiendas valituram: quod quidèm rectè est interpretatus. *Lib. 2. de diuinat.*

CCX. Ea inerat iàm tùm temporis Sibyllarum oraculis vis, & authoritas, vt illis in Ethnicos Paulus vteretur, & cogeret manus dare; Christianisq; sacris initiari enixè persuaderet, id consilij insistens, quo (vt Author est Clemens Alexandrinus) in orationis argumentum Aræ titulum Athenis sumpserat, & Poetarum carmina, quæ ad institutum suum ex vsu fore credebat. *Hystaspen sumite, & legite* Paulus vtebatur Sibyllarum oraculis. *Clem. Alex. lib. 6 Stromat.*

legite, aiebat Apostolus, *& inuenietis Dei filium multò clariùs, & apertiùs esse scriptum.* Ea propter vehementiùs in dies æstuante in Christianos Romanorum Imperatorũ furore Sibyllinis carminibus vti, capitali supplicio sunt deterriti, quemadmodùm traditur à Iustino Martyre, quo, scilicèt, metu perculsi ab illis legendis libris abstinerent, quorum cognitione maximam sibi dimeterent vtilitatem: ac prorsus Cacodæmonis seruituti obnoxij, immane possent iugum excutere. Sed frustra ad id operam contulere; non enim hos modò libros omni expediti timore euoluimus, verùm omnium etiam oculis legendos exponimus. Quòd verò Sibyllinis libris, sit Christianis interdictum, fidem planè faciunt Valeriani Imperatoris literæ ad Senatũ hac de re missæ. Quas adducit Flauius Vopiscus in eiusdem Imperatoris vita: literarum autem exemplum infra scriptum est. *Miror vos Patres sancti, tandiù de aperiendis libris Sibyllinis dubitasse; perinde quasi in Christianorũ Ecclesia, & non in templo omnium Deorum tractaretis.* Et ob assiduum studium, quo Sibyllinos libros veteres Christiani versabant, tùm lectione, & conuictu; tùm colloquio, & prædicatione, Sibyllistæ sũt cognominati, vt aduersùs Celsum meminit Origenes.

Sibyllarũ scribendi genus dissimile Prophetico.

CCXI. Verùm enim verò, inquiri fortasse potest, quid causæ fuerit, cur dicendi genere tam dissimili sacri vsi sint Vates, & Sibyllæ? Illi enim obscuris sermonibus oracula occulebant sua; hæ aperta orationis fronte Diuina consilia detegebant. Cùm verò vtrosq; (vti credimus) Diuinũ afflauerit Numen, eandem dicendi methodum instare, fuisse videtur opportuniùs. Quòd autèm reconditis, nec sumptis de medio sermonibus Prophetæ fuerint vsi, illud in primis suadet, quòd cùm politissima Doctorum ingenia ab ipsius nascentis Ecclesiæ exordio illis explicandis vehementer insudent, non omninò valeant arcanos illorum sensus eruere; Imò longis se à Prophetica mente interuallis sentiunt alienos. At contra, ita se se obuias Sibyllarum sententiæ ferunt, vt face non egeant, quò illustrentur. Cumq; id mecum ipse attentè reputauerim, hæc mihi in pri-

primis responsio rem conficere visa est.Id præcipuum fuit Numini Consilium, Orbem nimirùm dæmonum seruitute, oppressum, Vnigeniti sui nece ditioni suæ adiungere: quòd quidèm princeps extitit prædictionum scopus, quem ex destinato collimabant: Ex vsu igitur fuit, nè Sospitatoris aduentus apertè admodum Iudæis patesceret, è quibus mortalitatē sibi indueret, & quibus cū familiari ageret cōsuetudine; nè, inquàm, illum Orbis Messiam, ac Seruatorem legatum agnoscerent; quî enim si id fieret, consilij compos euaderet, aut mortis illi supplicium irrogaretur, quam Deus vnicum salutis humanæ remedium destinauerat? Hoc planè illud est, quod ad Corinthios Apostolus: *Si enim cognouissent, nunquàm Dominum Gloriæ crucifixissent.*

CCXII. Hæc meo quidèm iudicio causa eā in Prophetico sermone obscuritatem creauit: Sibyllæ verò cùm Ethnicos inter scripserint, & auulsis à Iudæa plagis, habuére aliud in Consilio, quid enim causæ erat, vt ijs ænigmatum inuolucris sermonem obducerent. Apertè igitur de Christi mysterijs sunt loquutæ; quo videlicèt Ethnicis planæ fierent, quæ de primo Dei aduentu ad salutem mortalium; de secundo verò ad exigendam ab ipsis vitæ rationem, cælesti afflata numine prædixissent; vt ita faciliori momento ad Christi fidem concederent, & ad æternam felicitatem cooptarentur, cùm illis nuda veritatis facie Euangelici Oratores suadérent, quæ è Sibyllarum Oraculis dilucidè etiam hauserant. Placuit nempè Numinis prouidentiæ, vt vt geminatis ad eandem Fidem demōstrandam testimonijs vterq; Populus tùm Iudaicus, tùm Ethnicus eam, & libentiùs amplecteretur, & retineret fideliùs.

CCXIII. Operæ duxi pretium, obuium orationi nostræ dubium decidere quô illa firmiùs stabiliatur. Est autem dubium huiusmodi. Quandòquidèm afflictis mortalium rebus, opem aduentu suo afferre amauit Deus, satis ad mortalium salutem fuisse videtur, modò illum agnoscerēt, & religiosè colerent; quòd immortali, diuinæq: naturæ, mortalem, humanamq; ad eandem Hypostasin adiungeret: quod

Deciditur dubiū, cur Deus mortem voluerit subire?

quòd ſe hominem factum terris oſtenderet: quòd mortales inter mortalium colloquio, conuictu, ac victu vteretur. Ita enim declinaretur ſceleratum egregiè malū, quod fuit Aſſertoris mors, tot antea Vatum oraculis prænunciata, tot Sibyllarum prædicta carminibus, & ab Euangelicis Hiſtoriographis circūſtātijs omnibus enarrata. Quin etiam peſſimum poſt ſæculorum omnium memoriam deuitaretur crimen, ſceleratas, nimirùm, manus homini amabiliſſimo, & humaniſſimo Deo nequaquam mortales inferrent: Facinus quidèm Chriſto Aſſertori laborioſiſſimum ob ingentem dolorum vim, quos pertulit; Mortali verò generi pernicioſiſſimum propter ingratitudinis notā, quam ſibi apud Deum inuſſit.

Deus, vt hominē aſſereret, rerū ordinē nō inuenit.

CCXIV. Id omninò certum, veriſſimumq; in primis adſtruimus, omnium optimam rationum, quibus poterat ſaluti mortalium conſuli, ſua tantum ductum probitate elegiſſe Deum, ſui nempè Vnigeniti necem. Nec magnū faceſſit negotium, quod nobis dubium aduerſatur. Deus enim miro humanæ libertatis facinore, quam mortalitate indutus, & immiſericorditèr morte affectus hominibus peperit, naturæ ordinem nec euertit, nec inuertit: Imò conſeruato rerum tenore ſuo quanquè fungi munere ratum, gratumq, habuit. Siquidèm res prorsùs mirabiles ad tutum, faſtigiumq; perducere, ſuo omnibus contentis in officio, maxima in laude eſt ponendum, nè quidquam operanti honeſtiùs, aut ſpectanti iucundiùs poteſt contingere. In duarum Victoriarum memoriam redeo, de quibus in ſacra Pagina: alteram ab Amorrhæo tulit Ioſue; alteram Siſaræ præripuit Barac: Cūq; benè magnā vtriq, operam contuliſſet Cælum, Ioſue Solem, & Lunam ſubſidiarum veluti militem expediens; Barac armatas ſtellarum acies opportuno auxilio mittens; illa quaſi ſilentio inuoluitur, hæc omnium plauſu commendatur. Quid precor, illuſtriùs Barac præſtitit, vt præ illius Victoria non tàm ſplendeat Ioſue Triumphus? Nempè quam victoriam Ioſue reportauit, Solem, ac Lunam à curſu retinuit ſuo, & compoſitam muſicè Vniuerſitatis methodum intempeſtiua

ua mora turbauit: *steteruntq; Sol, & Luna, donec vlcisce-retur se gens de inimicis suis.* Quem verò triumphum egit Barac, nihil à munere deflexit suo; continenti Stellæ cursu suam quæque stationem obseruantes processere: *De Cælo dimicatum est contra eos. Stellæ manentes in ordine, & cursu suo contra Sisaram pugnauerunt.* Illa verò Victoria omnium est commendanda præconijs, quæ nullam rebus vicissitudinem inducit: *dicitur Stellæ manentes in ordine, & cursu suo*, commentatur Abulensis, *ad differentiam facti sub Iosue: nam tunc de Cælo pugnatum est: non tamen fuerūt Stellæ in ordine, & cursu suo; sed tunc astra licèt pugnabāt, mouebantur.* Idcircò cùm Deus Orbem vendicare in libertatem, & Cacodæmonem illi nullo iure dominantem expellere conaretur, integrum humanæ naturæ, quam sibi adnexuit, ordinem reliquit; quin meliorem in locum traduxit, illustrem suæ disciplinæ facem hominibus præferens, seq; quem toties receperat Deus, Messiam edocens Dei ipsius Vnigenitum: Idq; infinita propemodùm prodigiorum vi manifestè comprobans; quæ quidèm prodigia edere, vni tantum fas esset Deo, & ad suam gratiā, beneuolentiamq; eos alliciens, qui eam amicè admodùm oblatam auidè arripere insisterent. Cùm enim rationis compos, suiq; arbitrij homo sit, illum conseruatis naturæ legibus sospitem voluit præstare Numen, si ad id voluntate, & meritis non molli brachio niteretur; non verò vi, aut iniectis animo catenis ad salutem trahere mortales, fuit vnquàm Deo consilium. At verò vt Diuinæ id menti constanter sedit, nulla potuit ratio opportuniùs inuestigari, quæ efficaciùs hominibus commendaret, aut in illis excitaret ardentiùs Diuini amoris incendium, quàm Deum in illorum gratiam hominem factum, Crucis subeuntem aras, quò illorum scelera piacularis hostia expiaret, & ad æternam felicitatem viam muniret, ac limina patefaceret, omnia in mortalium vtilitatem intueri.

Iosue 9.

Iudic. 5.

CCXV. Quin etiam magnum erat hæc ipsius mors incitamentum Martyribus ad patientiam, qua acerbissimos cruciatus æquissimo animo pertulere. Confessoribus ad

Christi mors Martyribus stimulos admouet, et sanctis hominibus incitamētū.

cæleſtem illam viuendi rationem, quā inſtitere qui omnes aſpiciētes in Authorem Fidei, & conſummatorem IESVM feliciſſimo exitu conatus ſaluberrimos coronarunt: quod quidèm non perleui adeò negotio præſtarent; ſi tanto eſſent deſtituti archetypo. Quod non fefellit Auguſtinum, cùm dixit: *Parum erat hortari Martyres verbo, niſi firmaret exemplo.* Quodq; non mediocriter Iobum typicè tantùm alebat, vt immenſum illud laborum pondus modeſtiſſimè toleraret. De quo ita in ſacra Pagina: *Teſta ſaniem radebat Iob.* Quid! an linteum, quo vlcera abſtergeret, Iobo defuiſſe credendum eſt? Quid tegula vtitur ad id muneris, quæ vnà cùm ſanie carnis fruſta haud dubiè proſcinderet? Non hæc quidèm paupertatis induſtria, ſed præcinentis animi conſilium: In omnem leuandi doloris occaſionem excubabat Iobus, vlceribuſq; ſolatium aliquod ſedulò indagabat, nullum verò præſentiùs ſibi ipſe ſubijciebat quàm illorum tabem teſta percurrere. Quæ quidèm, vt placet Diuo Gregorio, è creta compacta, & cocta igni Chriſti Aſſertoris Humanitatis typum gerebat: Quam mortalitatis argilla, & diuini amoris ardor acerbiſſimos cruciatus, ipſamq; mortem ſubire impulit. Hæc itaq; tegula vice ſpeculi, vel imaginis Iobo erat qua Chriſtum ſuomet depictum ſanguine dolentem intimis ſenſibus, qualem ſuſtinuerat lignum, intuebatur fortiſſimus Athleta. Ergo illam tenebat manu, & dolorem vlcerum ſolabatur, ita ſuos ad Chriſtum labores, vel potiùs Chriſtum ſuos ad cruciatus referebat: Demulcebat teſtâ illâ Chriſti typo hyantia ſanie vlcera, atq; in tenerrima effuſus verba, Imaginem illam, tanquam archetypum alloquebatur in hunc modum: Tu, Domine, ſuauiſſimum mihi exemplar: Tu vnicum laboribus meis præſidium, ac leuamen: à tuis mei doloribus torquere me blandè diſcunt: amæniſſimum eſt ad tui conſpectum dolere, ſi ſæuire auderent dolores, quos tibi totos addixiſti. Neſcit rigeſcere adamas, quem ſanguis agnilis intinxit. Quid enim mecum agi inclementer exiſtimem, qui nullum fecerim peccandi modum, ſi te actum in Crucem video, quē

Diui-

Diuinitas labe omni præſtat alienum? Quid tantillo ſanguine ſcelerum meorum ſordes abluere non effusè gaudeam, cùm te largo cruoris flumine manantem teneam, vt crimina aliena abſtergeres? Quos igitur olim Christi tantùm dolorum typus affectus in Iobo excitabat, eos obtinuit, modòq; obtinet in Martyribus eorum dolorum veritas: Cruciatuum enim, quos Seruator ſubijt, conſpectus, mirum quos animos Martyribus faciat, vt abalienatis ab omnis doloris sēſu animis in mortem ipſam ſtrenuè ruant. Quòd vt nobis liquidiùs conſtet, & vt rem propriori oratione proſequamur, ponamus factum, Chriſtum ſibi mortalitatem induiſſe, & hominibus diuinitatem ſuam ea fuiſſe ratione teſtatum, vt omnes illum verè Deum æſtimarent: Illos deindè edocuiſſe æternos ſceleratis cruciatus imminére, probis verò felicitatem ſempiternam. Et nullatenus id laboraſſe, vt nimirùm ſuo Orbi exemplo, nè latam inſtaret viam, voluptatibuſq; inſeruiret, ſuaſiſſet; Imò illum obtinentem antiquum, veteribus obtemperantem moribus reliquiſſe; eo ſcilicèt pacto, vt qui paupertate eſſent circumuenti, & duriſſimo egeſtatis telo perculſi, eúndem ſemper voluerent lapidem; & eâdem quærendi victus ſolicitudine vrgerētur; qui verò pæcunioſi, & fortunis omnibus eſſent affluentes, id tantùm curarent, quà ſcilicèt ratione opes augerent ſuas, & vitæ huius illecebris irretirentur, Quin laborum tolerantia alijs poſſent documento eſſe; & humanæ felicitatis contemptu alios edocerent, quàm paruo ducenda pretio. Quid, precor, vtriq; agerent, pauperes ſcilicèt, & diuites? Id in primis mihi habeo perſuaſiſſimum; Diuites ſuis ſe opibus nullatenùs abdicaturos, qui Chriſtum illis ſtudentem aſpicerent: Pauperes ſua ipſorum paupertate animis deſponſuros, qui Dei Filium, cùm poſſet diuitias, vel paupertatem amplecti, hanc negligentem, illis blandientem cernerent. Si igitur Parens humanæ ſalutis, primo ſuo aduentu, homines, vt docuimus, gratiæ ſuæ opibus cumulaturus erat; non verò fluxis, inanibuſq; diuitijs, non alitèr rectiùs fieri, aut potuit, aut debuit, cùm eò humana natura deuenerit pro-

cliui ad ſcelera ingenio, quã Chriſti exemplo erigi oportebat: Vndè hoc ipſum, quod factum à Deo cernimus, quiuis faciendum haud difficulter exiſtimauerit.

CCXVI Paucis, te, modò, Lector. Si qui olim mortales ætatem in Hiſpania agitabant, fortaſsè acciperent, Deum in Iudæa cæleſtem viam edocere mortales, illiſq; diuinam doctrinam impertire, quo animorum ſaluti poſt fata conſulerent,& ſuorum deindè corporum poſt vniuerſã hominũ reſurrectioné; Sed nullis homines diuitijs afficere, nec laboribus,aut vitæ illorum moleſtijs mederi nequè illos à morte vindicare; Se tamen id genus rerum immunem ſeruare, & magnos opum cumulos congerere, nil nobis, præter vnam paupertatem reliquum faciendo, nobis contemptum ſuadére,ſibi verò honorem aucupari;Deniq;cùm viam alteram verbo mõſtraret; ipſum aliam operé inſiſteret. Quis, quæsò, cuius hæc ad aures peruenirent, Patriam,Fortunas, Dignitatem, aut ſuam viuendi rationem, Coniugem,& liberos repudiaret, vt ad Dei cognitionem,& animi ſui ſalutem incumberet?Oppidò haud dubiè pauci huiuſmodi conſilium caperent, quidam enim id ludibrio ducerent, & riſu exciperent,vt actum eſt à magni nominis Philoſophis, qui Apoſtolum de Reſurrectione facientem verba acceperant. Nam quòd Deus fuerit homo factus, & quòd Princeps rerum opifex humanã ſibi naturam copulauerit, ſtultum mortalium pluribus viſum eſt, mente Doctoris gentium: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidèm ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis verò à Deo vocatis Iudæis, & Græcis Chriſtum Dei virtutem, atq;ſapientiam.* Alij voluptatibus ſuis immerſi, alij implicati laboribus (trahit enim ſua quemq;cura) ſibi nullum dicerent ſupereſſe tempus,quo præceptionibus hiſce audiendis darent operam; ſeq;prudentiùs operibus, quam verbis credere: quandoquidèm ſempiternam poterant beatitudinem adſpirare, quin laborum vi animam agerent, quin humanas res, & ſuperbos illarum faſtus deſpicatui haberent; quin macie, ac fame luridi, deformatiq;efficerentur, quin deniq; iniurias ſibi illa-

Corint 1.

illatas non ad ſatietatem vlciſcerentur. Etenim ipſe Dei Filius ſibi prælucebat exemplo. Verùm enim vero cùm ipſe Dei Vnigenitus, non tantùm mortalitatem ſubierit, verùm etiam diſciplinæ ſuæ prædicationi optima vitæ documenta adiunxerit; cùm fame laborauerit, cùm æquiſſimè illatas ſibi contumelias pertulerit; cùm mundani honoris faſtigium contempſerit, cùm infimam paupertatis conditionem adamauerit, cùm dolores, ac mortem ipſam fuerit perpeſſus; ac deniquè cùm ſermone nihil, quod non firmauerit exemplo, edocuerit; nemo quidèm ſcelere erit alienus, qui illius veſtigia inſequi non enixè ſtudeat. Ex quo non obſcurè elucet, nullam fuiſſe rationem, quæ opportuniorem ad generis humani libertatem, operam contuliſſet, quam quæ Numini placuit, mortem nimirùm oppetere, quô noſtram imbecillitatem exemplo fulciret ſuo.

CAPVT DECIMVM PRIMVM.

Rationis cùm Euangelica veritate Harmonia.

CCXVII Lex tua veritas: Dauidis ſunt ad Deum verba, Lex, inquit, lux, & via vitæ. Lucis vicè fungitur Chriſti Lex, quia Diuinæ rationis nititur fulcris. Via eſt prætoria ad vitam, quia ad ſempiternas delicias nos ducit. Chriſtus ſuos ad alumnos: *nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere.* Cauete, inquit, putetis me legem veniſſe abrogatum; Recreatum veni, non vt refigerem, vt perficerem, hùc acceſſi: Veni deniquè vt veſtræ legis vmbras meæ diſciplinæ radijs illuſtrarē: Veni, vt arcana quæq; quæ ad me attinebant, & legalibus inuolucris tegebantur, eruerem; vobis planè demonſtrans non prodigijs modò, ſed argumentis etiam veſtra è lege petitis, me promiſſum toties, receptumq; eſſe Meſſiam; Argumentis inquàm

Conceptus ex ratione. *Pſal. 118.* *Pſal. 6.* *Matth. 5.*

quàm vestra è lege petitis, & ab ijs, quæ vestri de me Prophetæ edocent; quoniam cælestis hæc vtriusq; testamenti Harmonia hìc etiam musicum concentum edit, imò hìc sublimiorem, ac suauiorem, cum totus rationi innitatur; nec poterat abesse ratio; vbi veritas continentèr præest. In vtriusq; Testamenti paginis sese mihi obuiam fert dulcisonus hic rationis concentus; & licèt non diligenti id egeat manu; occurret enim vel non quærenti; præcipuè tamen patescit hæc veritas in Prophetarum maximo, & in Euangelistarum acutissimo, hoc est, in Mose, & in Ioanne. Initium vterq; scriptis fecit vno, eodemq; verbo, Genesi Moses, Ioannes Euangelio: Ille: *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Hic *in principio erat verbum.* A Diuino Verbo felicissimum vterq; duxit initium: Verbi autẽ notio, ratio est, siuè consilium; ita enim redditur græcè: Quippè est Verbum essentialis (vt loquuntur Theologi) Diuinæ mentis actus; hic nempè fuit Moseos animus, & scribendi consilium: *In principio creauit.* Augustinus, & alij interpretantur: *In principio*, hoc est, *in Filio.* Quid tamen rei est, vt nouo Testamento initium Euangelistarum delicium, ac ocellus eadem posuerit ratione, qua veteri olim volumini præcipuum illud Prophetarum decus? Idẽ prorsùs ratione, qui alij omninò tempore? Quid ni? inquit è Purpuratis Patribus Hugo: adiunxitq; causam: *ideò sic incepit, vt ostenderet conuenientiam noui, & Veteris Testamenti.* Dictum pulchrè! Id fecére initium, & Prophetes, & Euangelista; Ille, quem ex Prophetis maiori Deus amicitiæ gradu affecerat: Hic, quem ex Euangelistis in teneriorem amoris curam adoptauerat Christus; Id, inquàm, fecére initium, vt rationis cum vno, & altero Testamento concentum hominibus aperirent: vtrumq; nempè in eandem veritatem concordissimè conspirabant, quia vtrumq; in eandem rationis harmoniam amicissimè fæderabantur. Idcircò vtrobiq; Verbum est idem, quia eadẽ vtrobiq, est ratio. *In principio creauit*, hoc est, *in Filio*: *In principio erat Verbum.* Secum igitùr attentè Iudæus voluat, (ni fortè oculis captus) si in ipso statim Euange-

Genes.1. Ioan.1.

lij

lij initio Diuinum nobis occurit Verbum, sibi etiam posse venire obuiàm in sui Testamenti principio; sui, inquàm, an nostri? nostri, quippè qui ipsi credidimus: sui, quia ipsorum è manibus ad nostras vsq; deuenit.

CCXVIII. Hoc amicum admodùm rationis cum Euangelica veritate fœdus omnium verè oculis exponit, Christum IESVM Vniuersitatis Dominum, nostræ legis Authorem, Dei Vnigenitum, Orbis Sospitatorem extitisse. Ad quod quidèm ponamus, necesse est, neminem alium, præter Deum, humanis potuisse sceleribus opis aliquid conferre, tùm proptêr hominis crimen, quod Diuinam læserit Maiestatem, tùm proptèr Dei honorem, quem nimirùm decebat, nè alij Redemptionis beneficium mundus debuisset, cùm enim humanæ libertatis facinus primam hominis molitionem præstantia longè relinquat; si è rebus creatis aliqua hanc in se Prouinciam reciperet, & mortales eximeret suis sceleribus, maiorem profectò ab illis, quam Deus ipse, gratiam iniret, & arctioribus sibi vinculis obstringeret, quòd pulchrum rerum ordinem intolerabili fœditate deformaret. Quandò vincula Christo Judæi iniecére, eos precatus est, vel potius iussit, nè quẽ discipulorum vinculis illigassent: *Si ergò me quæritis, sinite hos abire.* Cur à laborum societate illos arcet, qui possent illorum vim aliqua saltèm ex parte frangere? Nullos vel hic, quos sibi sánctimonia iunxerat, & amicitia, admisit socios, nè videlicèt aliquam in illos nostræ libertatis partem crederetur incubuisse; & tenerentur mortales partito amore excipere, quos in sui gratiam labores fuisse inter se partitos arbitrarentur. Ea etiam de causa sceleftos inter voluit animã agere, cum posset, modò vellet, probata inter sanctitudine Viros è vita cedere; Si enim hoc ageret, veniret forsitàn in plurimorum mentem probos illos Redemptionis pretium suis laboribus exoluisse, seq; faterentur illis non mediocritèr obstrictos, quod quidèm in eo, quod Deus gessit, euenit alitèr; Nam totum hoc Redemptionis beneficium vni Christo acceptum referunt mortales.

Hic cõcẽtus Christũ Messiã fuisse planè demonstrat.

Aequum erat, vt cui homines debebant creationẽ, deberẽt, et redẽptionem.

Ioan. 18.

CCXIX Comperto igitùr, perſpectoq; opus omninò eſſe, Deum noſtri redimendi curam geſſiſſe, & id recepiſſe in ſe ſe, ex vſu profectò fuit, hunc illius aduentũ multò antè tempore fuiſſe prædictum, & ipſam inſuper tempeſtatem, qua tanti beneficij merito hominum animos arctiſſimè deuinciret; nè fieret deceptioni locus, & haberẽt mortales gratias ijs, qui ſibi ſeruatorum honorem per sũmam impudentiam arrogarent: At verò Sacrorum Vatum prædictiones facem prætulerunt hominibus, vt ſuum verè Liberatorem agnoſcerent; quibus ità conſtitutis id Princeps omnium Argumentum ſit.

Oſtẽditur Chriſtũ eſſe Dei filium.

CCXX Aut Chriſtus IESVS Dei verè eſt Filius, & humanæ ſalutis author, quem Lex, & Prophetæ prænuntiarunt; Aut Deus Orbem in deceptionem adduxit: Quòd Deus Orbi imponeret, auditu eſt nefas, nè dùm dictu; Sũma enim eſt Veritas, & prima veritatis norma, quam dedecet doli vel ſpecies: Supereſt igitùr Chriſtum Dei eſſe filium, Meſſiam, ac promiſſum toties Liberatorem, quod argumento proximè ſequenti planiſſimè oſtendetur.

Chriſtus omnia egit ex oraculorum præſcripto.

CCXXI Supremus omniũ Dominus Chriſtus IESVS, ex quo ſuauiſſimæ matris viſceribus humanam eſt amplexus naturam, in id vſq; tempus, quo ſe ſe in Cælum glorioſiſſimè retulit, & Diuinum in terras amorem legauit; facta mirè compoſuit ad prædictionum exemplar, quale de Orbis Aſſertore effinxerant; ſiuè in mentem reuoces tempus, ac locum, quem ſuo bearet ortu; ſiuè Prodromum, qui viam ipſi muniret; ſiuè res mirè geſtas, ac vitæ integritatem, qua Orbi prodigio eſſet; ſiuè necis ſuæ incõmoda; ſiuè Anaſtaſeos gloriam, ſiuè in Cælum aſcenſum; ſiuè Diuini Spiritus expeditionem; ſiuè in Iudaicum populum animaduerſionem, ſiuè deniq; attentè reputes Ethnicæ nationis adoptionem. Cum hoc igitur, vti reuerà fuit, verùm habeat, affatimq; ſupra docuimus, qui credi vnquàm poteſt, Diuino contigiſſe permiſſu, vt omnia quæ de Dei Filio, atq; hominũ Soſpitatore prædicta olim fuerant, in homine examuſſim abſoluerentur, ſi hic alius, quàm prædicabat, eſſet? Fallacia enim ſigna neutiquam edidiſſet

diſſet Deus: At verò ſi quæcunq;in Seruatoris agnitionem deſtinauit, Chriſto mirum in modum congruunt: haud dubiè verus mortalium Redemptor, & Dei Vnigenitus eſt æſtimandus: aliàs nos dolo caperet Deus, qui omnia ſineret expleri in homine, qui hunc Redemptoris honorem audaciſſimè inuolaret; omnia, inquàm, quibus veluti coloribus venturum Meſſiam Sacri Vates depinxerunt. Quòd quidèm fieri nefas eſt, & implicat contradictionem; Inſito enim à natura lumini haud obſcurè refragatur, in Deo locum eſſe dolo, adſtruere; quid enim ſummâ veritate indigniùs quàm mendacium?

CCXXII Aliud ſe ſe nobis argumentum offert, quod hanc veritatem ſuadeat efficaciùs. Habet autem ſic. Vel Chriſtus Dei Vnigenitus eſt, & hominum verè Aſſertor: Vel, ſi hoc alienum à vero, Deo ipſe potentior extitit: Atqui creatum aliquid Diuinæ potentiæ viribus obſiſtere, aut præcellere, fieri nequaquàm poteſt, vt Natura ipſa vnâ cum Fide docet; Certum igitur, exploratumq; eſt Chriſtnm IESVM verè Orbis liberatorem extitiſſe, quod apertiùs ſequenti oratione patefiet.

Aut Chriſtus Deus eſt; aut ſi is non eſt, Deo fuit potentior.

CCXXIII Planiſſimum quidèm eſt Vaticinia humanarum mentium commenta minimè eſſe, ſed ab ipſo Numine afflata, inſtituta, ac detecta; cui videlicèt recluſa patent futurarum rerum arcana: Deindè de rebus multis poſteà ſeculis euenturis ſermonem habuere Prophetæ; atq; ideò diuino ſpiritu inſtincti. Is verò extitit præditionum ſcopus, qua nimirùm ratione Deus à Cacodæmonis ſeruitute, Vnigeniti ſui necis interuentu Orbem eriperet, atq; ſempiterna iucunditate fruiturum Cæleſtium ciuium choris adiungeret. Et nè in tanti Domini cognitione deceptionis aliquid paterentur mortales; multis ſuos per Vates ſignis illius Ortum, Vitam, ac mortem, & præclariſſima quęq; Orbi ipſius aduentu, euentura, ſpeciatim ſignificauit Deus; vt ſuum caſtiſſimè liberatorem mortales colerent. Quæ omnia Chriſtum ad vnguem abſoluiſſe, in propatulo omnibus eſt. Si verò nihil homine maius in Chriſto eluceſceret, qui poſſet omnia, & difficillima adamuſſim

Expēditur plenius ſuperior ratio.

ſim exprimere? aut qua Deus ratione conniueret,vt ſacris litteris, & vaticinationibus è voluntate vteretur,& ementiretur indicia,quę Meſſiæ agnitioni addixerat Deus? Cum præſertim earum rerum pleræq; alienæ eſſent poteſtatis, vt comprehendi, onerari alapis,verberibus accipi, excipi ſalibus, cruci affigi, perfodi telo, ac ea cruciatuum tempeſtate affici, quam Vates prædixerant, & deprehenſus eſt Chriſtus. Rem premo acriùs. Qui potuit in terris adhuc, quidquid in ea ætatula à Meſſia faciendum, prænuntiatum erat, tam graphicè abſoluere?

CCXXIV Qui Reges ad ſe ſe allicere ab Oriente, & muneribus coli liberaliſſimè? qui in Aegytum ſe fugæ è Iudea dare; & rurſus Iudæam ab Aegypto repetere? Qui, priuſquàm eſſet in lucem editus, tempus à Vatibus deſtinatum eligere, quo naſciturum Meſſiam præcinuerant? Quî deniq; omnia è ſententia illi accidere inuito Numine? Cùm nulla igitur ſiuè humana, ſiuè Angelica potentia ſit, quæ ſibi Diuina queat Vaticinia falsò adſcribere, aut ea valeat explere in ſe ſe, niſi è Diuinæ mentis placito, nemo non videt Deum Chriſto IESV id mandaſſe negotij, vt ſcilicèt Orbem vindicaret in libertatem; eumq; Dei Filium, & promiſſum, receptumq; à Lege, & Vatibus Meſſiam eſſe, in quem libertas noſtra incubuit.

Chriſti prodigia ipsū Deū prædicant.

CCXXV Tertia illa eſt ratio, quæ vulgò à Sanctis Patribus vſurpatur, & quâ vtitur Doctor Angelicus. Ea Chriſti prodigijs innititur. Quæ quidèm prodigia illius Diuinitatem luculenter ſuadent, tùm ſui dignitate, ac præſtantia; tùm præcipuè ratione, qua ea Seruator perpetrabat: vt à nobis tertiò iam capite ſignificatum eſt. Magnitudinem ſiuè prodigiorum præſtantiam mirati ſumus cùm Cæco Siloe viſum reſtituit: cùm Lazarum reuocauit ad vitam; cùm ſæuientes tempeſtates compoſuit: cùm Solem in defectionem coegit; cùm denique ægritudinum genus omne, ea, quæ ab humanitate promanabat, virtute, à laborantibus penitùs remouebat: Erat autem tanta huius virtutis vis; vt ſi quis quocumq; implicitus morbo veſtium limbum attigiſſet, conualeſceret oppidò ab ægritudine.

Intuiti

Intuiti per æquè sumus, quà illa edidit, rationem, quæ quidèm fecit etiam palam, quid homine maiùs illi inesse; siquidèm non precibus, sed imperio vtebatur, & tanquàm potestatem habens; re enim ipsa Deus est.

CCXXVI Non contemnendum afferunt nostræ Orationi robur duo aperta quidèm, testataq; argumenta. Alterum rem suadet: ideò videlicèt, quia Christus ea fecit prodigia, vt suam testaretur, comprobaretq; Diuinitatem: Alterum, ideò nimirùm, quia quæ vulgò eduntur in Christi Ecclesia miracula, implorata indigent Christi Assertoris ope. Vtrumq; autèm manifestè demonstrat Messiam ipsum, & Dei esse filium. Neque enim firmaret miraculis Deus, quod ille prædicabat, nosq; fide amplectimur, nisi arctiori, quam potest, cognatione Deo esset adiunctus, & verè Mortalium esset Reparator. Quem enim fugit, res mirè gestas diuinæ potentiæ esse; minimè autem ijs decoraret Deus, quidquid esset affine mendacio. Hæret profectò animus, & iure hæret, Vtrum mali dæmonis improbitas gentis huius infidelitati præstet, an cedat? Peruestigare studiosè voluit Cacodæmon, an Christus Dei verè esset Filius, & satis sibi duxit, si ab illo extorsisset miraculum: *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Ex prodigijs bonus quidèm logicus, sed malus Dæmon, Christi diuinitatem optimè inferri credidit; quam ex ijsdem Iudæi nõ modò non credunt, verùm obfirmatè negant, pernegantq; *In nomine Belzebuth eijcit dæmonia.* Quod Dęmon pro Diuinitate argumentum, in Diuinitatem Iudæi efformarunt: Cor enim sua obfirmatum caligine, neq; Dæmoni cedit improbitate.

Iudæi Dæmoni præstant improbitate.

Math. 4.

CCXXVII Quartam nobis rationem, quæ Christi Diuinitatem absoluit, Diuina latè Probitas suppeditat. Cum enim sit Deus summè bonus, amoreq; ijs respondeat, quos sui noscit amore teneri, minimè quidèm sineret, si Christus falsò Redemptoris munere apud mortales fungeretur, quòd tot præstanti sanctitate Viri, & virtutum omnium fastigio præditi sub illo mererentur, & perirent. Plerùnq; enim in Christianismo floruere Viri, qui Deum amabili timore

Non fineret Diuina Bonitas tot viros apprimè sanctos falli, si Christus non esset Messias.

more colerent, & totos se se illius obsequio conquisitissimè addicerent. Quemadmodùm fuere Apostoli, qui se ad Diuinę legis instituta omnimodè conformarunt; in quibus ea, quæ, & erga Deum, & apud homines obseruare cuiq; fas est, absolutissimè comprehenduntur; At verò in tanti ponderis re, nequaquàm sineret Numen, adduci homines in deceptionē: Post Apostolos, & Christi discipulos Christianæ disciplinæ Doctores, ea morum integritate, ea vitæ Sanctitudine; ac virtutū omnium splendore viguerunt, vt minor esset debita admiratione Orbis. Quapropter neutiquam credendū est, permisisse Deum capi dolo Paulum, Hieronymum, Augustinum, Basilium, & ingentem præstantissimorum Virorum vim; qui idcircò Christo nomen dedêre, quia à Deo fuisse missum agnouerant. Vt fieri itaquè nequit parari à Numine dolos, ita Christū IESVM Dei verè non esse Filium, fieri omninò non valet.

Infringitur obiectio.

CCXXVIII Quòd si quis dictis non acquieuerit, dicatq; plurimos Deum vnum, & agnoscere, & adorare; cùm tamen ipsi falsis, improbatisq; sint infecti dogmatibus, Vt Turcæ, Mauri, Iudæi, & Hæretici; & plerique omnes, qui vnum esse Deum planè fatentur, Diuinitatem verò in Christo venerari obnixè abnuunt: quos tamen eo implicari errore patitur Deus. Istæc argumentatio facili negotio illuditur; asserimusq; illos, qui falsis superstitionibus hærent, licèt vnum solummodò Deum colant, ideò non præsentem ab illo opē obtinere, vt luculentis sectis emergant, quia, quemadmodùm ad Romanos scripsit Apostolus, cùm Deum agnoscant, non vt Deum colunt; ita enim cupiditatibus suis obtemperant, vt effractis Rationis, naturalisq; Legis claustris, ita se se in omne vitiorum genus ingurgitant, vt ætatem agant, vel si Dei nullius ditioni essent obnoxij; Cùmq; plurima scelera pro sceleribus minimè ducant, diuinæ obstant beneficentiæ, nè veræ Fidei luce obductas densa caligine mentes impertiatur: Dei enim beneficium Fides est, quam ille confert, benignéq; inspirat: ad quam se animus ipse exornat propter eiusdem Fidei rationes, quæ diuina sunt testimonia ab ipso nobis videli-

delicèt attributa, vt eidem omninò credamus. Ea propter populo olim suo idem rerum Effector edixit: *Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: nè quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.*

CCXXIX. Quintam nobis rationem exhibet iniuria, quam Christus Deo inferret, si se pro Dei Filio, ac Orbis Assertore gereret, isq; non esset. Nullatenus enim Deus ferret, quod Filij sui honor cuipiam tribueretur, qui vtiq; is non esset: Læderetur enim grauissimè Numen, cum hac præcipuè afficeretur iniuria eo in populo, vbi ea Religione colebatur, quam suos per Vates edocuerat; seq; Vniuersitatis Authorem, ac Opificem etiam atq;etiam ostenderat. Hunc verò inter populum rem purè creatam Filij Dei titulum, ac honorem sibi impudenter vindicare, credi neutiquam potest conniuisse Deum, cùm in tantum sui sit honoris Zelotypus, vt Israeliticam gentem in supremũ excidium adduceret; quotiès sibi debitam Religionem ad Deum alium adulterata mente deflecteret. Hac de causa apertum, testatumq;est, Deum Christo IESV minimè esse fauturum, imò affecturum supplicio, ni verè esset ipsius Filius; nõ etiam illius Fidei Doctores ad summam euecturum dignitatem: Ierosolymam Vrbem, totiusq; Iudaici Regni molem non funditus euersurum ob necem illi crudelissimè irrogatam. Hinc ortum habuit Pauli sententia, cum de Christo ad Philippenses scripsit: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, non eodem, quo Parentem, honore haberi, furto credidit dandum esse: Tunc enim se furti alligaret, si non haberet Diuinitatem. *Non quasi rapinam habebat*, (commentatur Ambrosius) *æqualitatem cum Patre, quam in natura eius tanquam Deus, Dominus possidebat.*

Magnam Christus Deo iniuriam inferret, si sibi Diuinitatẽ falsò adscriberet.

CCXXX. Obstrepet fortasse quispiam: Commentitios Deos, ac Idola à summo adhuc Numine in terris ferri, quos homines religiosè colant. Imbelle hoc, ac sine ictu telum. Multum quippè discriminis intercedit inter Christi, ac Idolorum cultum. Maius subibat discrimen

Dissoluitur obiectio.

Diuinus honor, si Christo, modò Dei non esset filius, quàm si Idolis Numinis Religio tribueretur. Primùm, quia Christus ad suam homines pellexit Fidem, vbi Deus solùm agnoscebatur: sceleratiùs itaq; peccaret in Deum, qui illum populum, quàm qui cæteras Orbis nationes deditas Idololatriæ inanis Religionis tabe inquinaret. Hanc igitur ob rem, ni Christus IESVS filius Dei vere esset, suum decipi populum minimè sineret Deus; vt excipi à Dæmone permiserat dolis gentes eas quæ Deum vnum, nec nouerant; nec adorauerant. Quin etiam Diuino tantum permissu vigent Idololatræ; At verò Christum coli, & adorare etiam atq; etiam Deus mandat, ac planè iubet: *Dixit: & adorent eum omnes Angeli eius*. Ad hæc, qui idolis, Idolòrumq; cultui bellum indicunt, vt Euangelici sunt Oratores, multis Deus prodigijs illustrissimos reddit, quamuis eos immanissimè Tyrannis excruciet; ita nimirùm suo, nostrumq; omnium Præceptori Christo IESV assimiliorem effigiem in se transcribunt. Quòd quidèm non illis præstat, qui Christianæ legis institutis eunt obuiã: & debitæ Christo venerationi aduersantur. Quòd si adhuc patitur Idololatras, ideo fit, vt ad fædissimæ illorum superstitionis conspectum, nostræ Legis integritas nitidiùs emicet; vt planè euenit in candido colore nigro è regione opposito, ac in picturæ vmbris, quas temerè pictor non ducit; sed vt ab illarum contemptu maior arti dignitas accedat, & conquisitissimâ venustate prædetur faciliùs spectantium oculos.

Apostoli ab Officio descinere. CCXXXI. Non etiam contemnendum est nostre Fidei veritatis argumentum, quod Christi Apostoli, ac Discipuli officio defuerint suo, & debitam Magistro Fidem fefellerint, cùm Iudæi illum Ierosolymis Cruci affixerunt; si enim Christus penitus perijt, & intercidit, nec Victor surrexit, & sese Orbi æternum subduxit, qui ab illo comprehenso, qui ab illo crucifixo desciuit, citiùs ab ipso emortuo, ac sepulto deficeret, quin de eo in posterum laboraret. Ergo ijdem ipsi Apostoli totam in Iudæam dispersi cum sese eidem Christi Reipublicæ, ac conuentui aggregauerint, & post

& post habito amore patrio se in Orbem Vniuersum commiserint, vt Christianam Fidem, ac Legem hominibus euulgarent; atq; in illius propugnationem extremis cruciatibus vitam ipsam obiectarent, ineluctabili argumento est Dominum IESVM, postquam actus in Crucem, mortem oppetijt, & telluri mandatus est, gloriosam è tumulo duxisse vitam, atq; suos in vnum alumnos conuocasse, sedulum Pastorem oues suas, tenerrimum Parentem sua pignora, Magistru sapientissimũ auditores suos, quos nutantes in fide retinuit, se Deum, Messiam, ac Liberatorem Orbis apertè demonstrans in quo nostræ vertitur cardo fidei.

CCXXXII. Et huius forsitan lucis beneficio in illius Diuinitatis arcanum Thomas insinuauit sese. Bis ad Apostolos se contulit Christus cum priùs inter eos non inuenerit Thomam. Rursus, cum octo elapsis diebus eum in cænatione conuenit: *Post dies octo iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis.* Qui ad Domini pedes prouolutus Deum suum coluit, ac veneratus est: *Dominus meus, & Deus meus.* Quid hic in Christo Thomas Diuinum adeò agnouit, vt Deum fateretur suum? Christi nimirùm erga se indulgentiam. Qui cum illum semel adiuerit, & domo profugum intelligeret, non modò non ab incepto destitit, verum diligenti cura requisierit. Iterum erant, & Thomas cum eis; venit IESVS. Bis ad Thomam Christus, nunquàm ille ad Christum intendit iter: At anxia solicitudine perquirere, quem nulla de te cura pungat, imo quem fuga à te auertat, vt à Christo Thomam: *Non erat cum eis*, Diuinæ est beneficentiæ argùmentum: secundas demerendo alicui curas impendere, qui primum studium, vel cõtempsit, vel saltem non amauit? insistere quærendi laborem, quem scias ingrato à te corde abhorrere! Vt vsu venit in præsens Christo; maiùs hoc quidèm est, quàm quod possit præstari ab homine, qui nihil habeat homine maius: ex iterato accessu: *Iterum erant: venit IESVS*; Patuit Thomæ aditus ad Diuinitatis veritatem; sibiq; è vestigio suasit esse à Deo alium minimè posse, qui sibi impensè adeò studeret, cum ille pertinaci

Thomas bis à Christo quæritur.

Beneficentię Diuinę signum est fugientes prosequi.

tinaci animo effugeret. Vertit Thomas, nescio an peruicacitèr? Terga Christo: Christus ad Thomam familiares oculos conuertit! O præclarum! O suum Diuinitatis specimen: *Dominus meus, & Deus meus.* Diuinum æterni Parentis Verbum non Angelicam sibi, sed humanam adiunxit naturam: Cæteras inter huiusce rei causas (primis semper ad ipsius clementiam delatis) non abs re ea afferri valet, quam Paulus videtur innuere, cum Incarnationis arcanum expediјt: *Nusquam Angelos apprehendit: Semen Abrahæ apprehendit.* Cælestes illi Aulici Aeterni Regis conspectu continenter fruuntur: Homines à Dei obsequio, vel odio, vel ignoratione recedebant: Vt igitur Deum se esse fidem faceret, qui sibi naturam adnectebat, non qui aderant, sed qui aberant perquisiuit: *Semen Abrahæ apprehendit. Vt ostenderet.* Inquit doctissimus Theophilatus, *naturam hanc nostram refugientem, & longe à se abeuntem Dei Filium fuisse insectatum, & à fuga retraxisse;* Se à Deo humana natura, vel sceleris, vel inscitiæ vitio alienabat. Hoc habuit in consilio Deus, vt eam sibi arctissime copularet: solemne enim Dei est illum quærere, qui se ab illo contentiùs auerterit. Ex quo planè intellexit Nathanael Christum prædictum à Vatibus Messiam, ac Dei Filium vere esse. Christum adiuit Nathanael, quem ille excepit his verbis: *Cum esses sub ficu, vidi te.* Cũ à me abesses longiùs, te sum familiariùs intuitus. Quid adhæc Nathanael? Sapienter, inquit, *Rabbi tu es Filius Dei.* Hinc arguit diuinitatẽ? etiam. arguit, & sapienter arguit. Illum tanto Christus beneficio affecit, cùm se non ita officiosum Christo exhiberet; se in Christi gratiam acceptum reperit, cùm ingratum recessum amaret: At vero à Christo Nathanaelem amabilissimis oculorum laqueis allici, cùm solum ille recessum cogitaret, non est hominis tantum, Dei etiam est beneficium; quando simili certare officio mortales norunt? Diligere nesciunt, à quo se negligi intelligunt; eius sunt ingenij, vt tuam etiam in ijs quærendis sollicitudinem fugâ auersentur: Quòd si te aliquando conueniunt, rem suam agunt, quando ipsis nimirùm queas esse vtilitati: Numquã te

Ad Heb. 2.

Ioan. 1.

te deniq;casté quærunt. Id enim vel vnus præstat Christus; quod suã ante necẽ Nathanaeli; quod suã post Resurrectionẽ Discipulis contulit. Quã alienũ hoc humanis moribus? Sed quàm consonum Diuinæ indoli: Deũ meritò æstimes quem ita beneficum experiaris. Icc irco Christus eo in id conatu incũbuit, vt planum redderet, quis esset: *Tu es Filius Dei*.

CCXXXIII. Non mediocres ab eo ducit vires argumentum; quòd Baptista, cùm sanctimonia ad miraculum vsq; excelleret, & ad eum deuenerit existimationis gradum, vt Iudaici Regni Dynastæ Messiæ fastigium vltro ipsi detulerint; quod nunquam aliàs Vati cuipiam destinarunt. Cum deinde ingens Discipulorum vis ad ipsius gymnasia confluxerit, postquam tamen mortem occubuit, nemo extitit illius Sectatorum qui eius ageret partes; aut illius disciplinam hominibus per Orbem commendaret; Imò nec intra exiguos Iudeæ fines: Ita cecidit cum Præceptore disciplina, & discipulorum frequentia. Christus verò diuinâ, humanâq; naturâ ad eandem Hypostasin coeunte, Deus & homo est; ea propter postquam edidit in Cruce animum, elapso triduo, eum ad exanimum Corpus reuocauit; Et reuixit è tumulo gloriosissimè: atq; ita in officio potuit continere quotquot se in illius dederant disciplinam. Cumq; mortem subire non iterum eualeat: *Christus resurgens ex mortuis; iam non moritur*; ità neq, aduersariis quidquam in Ecclesiam licet. Quæ nequicquam conantibus prohibere, Tartaro, Tyrannide, Iudaismo perstat, perstabitq; Fide vsq; castissimâ: *Et portæ Inferi non præualebunt aduersus eam*.

Post Baptistæ mortem nemo illius disciplinam disseminauit.

CCXXXIV. Nec eneruis illa est ratio: quia videlicet, qui inanium Deorum cultui sunt addicti, ipsis naturæ legibus aduersantur. Hæc etenim docet vni tantùm Deo cultum, honorem, Religionemq; deberi, quæ tamen ipsi lapidibus, lignis, rebusq; alijs creatis per summum scelus attribuunt. Quod, vt docuimus, ingenito à natura Lumini oblatrat manifestè; hoc enim Deum rerum omnium effectorem esse vehementer persuadet; atq; ea de causa infinita virtute præditum: Deinde rem nullam creatam Diui-

Qui obtemperant idololatriæ naturæ legibus refragantur.

nitatis fastigium assequi, siquidem omnes sui sunt adeptæ principium, & causam. Quibus supremum rerum Arbitrum carere necesse est: Imò, vt est in confesso apud optimum quemq; Philosophum, qui barbaros idolorum cultus repudiarunt, & vnum Deum Vniuersitatis Opificem adorari æquum esse dixerunt, Rerum omnium Causa, Principium atq; arbiter Deus esse debet. Eam ob rem non effrænatam Ethnicorum licentiam, ac ineptas inaniũ Deorum superstitiones coercet, ac diruit. Quippè grauis adeò mentis caligo, & stultitia, qua immersi Ethnici commenticijs Numinibus Diuinitatem impertiuntur, seq; in omnẽ morum turpitudinem effusè dedunt, diuinæ lucis radios procul amouet, nè densam admodum cæcitatis dissipet nubem. In Iudæis verò probam egregiè vitam ducebant plurimi, & ad omnem morum suauitatem compositi; quibus Dei agnitionis splendor effulserat. His itaq; de causis credi neutiquam potest, Diuinæ id prouidentiæ curæ non fuisse, vt nimirum fallaces laqueos illuderent, & vitarent dolos. Hanc enim Numinis curam experti prolixè sunt Nicodemus, & Nathanael, Discipuliq; non pauci, qui sanctimoniæ studiis apprimè versati, & grato erga Deum offusi timore, in mortalium Liberatoris cognitionem deuenere. Hinc fiebat sæpissimè, vt si Iudaicus Populus ad Deorum cultum deflecteret, Deus acerbissima illis irrogaret supplicia, & saperet Populus suo periculo, damnataq; Idolorum superstitione ad saniorem se frugem reciperet, & rectam Fidei viam instaret: Quod simul atq; præstabant, iras Numen ponebat de repentè, & pristinam in Fidem accipiebat. Contra, quàm modò experiuntur. Tam longa enim annorum serie in illos Numen magis, magisq; excandescit, punitq; seuerissimè; non quòd Christum exceperint; sed quòd repudiauerint; non quòd coluerint, sed quòd non adorauerint, quòd ipsũ immisericorditer spoliauerint vita; & etiam nùm debitam illi Religionem non persoluant: hęc tanti causa supplicij: hoc ad diuturnã adeò iram incitamentum. Ergo si Christum induerent, & omnibus demereri officijs impensè curarent; quid hic doli inesse posset? inesset pro-

profectò, ni ita fieret. Hic omne vertitur perfidiæ pondus.

CCXXXV. Vltimum omnium argumentũ quod Christi diuinitatem, ac promissi Messiæ munus ad ipsum delatum omninò suadet, efficitur in hunc modum. Graue adeò piaculum, vt quidam Iudæi sustinent, Idolorum cultui minimè dant; quippè qui abhorrere vulgo ab ea insania dicuntur, & id quidem doctissimus Ribeira asserit, prædictum iam olim fuisse per Oseam; Induunt ergo se se in hæc supplicia ob illatam Christo acerbissimè necem. *Ob quod facinus auertit à te Deus oculos suos? ignoras? memento voces parentum tuorum: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Scripsit ad Danum Hieronymus. Si ea igitur de causa in Iudæos Numen desæuit, certum omnino est Christum verè Messiam extitisse. Nam si Dei odium concitasset in se se, pœnis Ille; Iudæi præmiis exciperentur. Insignis Tertulliani argumentum est, *Si propter illum acciderunt hæc supplicia* (arguit ille) *non potuit Creator vlcisci, nisi suum Christum, remuneraturus potiùs Iudæos, si aduersarium Domini sui peremissent.*

Iudæi non plectuntur ob idololatriã, sed ob illatam Christo necem.

Oseæ cap. 3.

Hieronym. epist 129.

Tertul. l. 3. cõtra Marcion c. 23.

CCXXXVI. Ex tot locupletium rationum momentis, si quidèm ratum, gratumq; Deus habuit Christum, Filium suum, & appellari, & haberi, & Orbis insuper Assertorem, illiusq; nominis gloriam, & Christianæ Ecclesiæ decus ad tantam euexit dignitatem: Ex his, inquam, rationum momentis planè intelligitur verè Dei Filium, & promissum Liberatorem esse. Aliàs nos in fraudem Deus illiceret, quod quàm sit à Deo alienum, nemo nescit: quippè qui summa est naturâ ipsâ Veritas. Vel Christus, qui rei creatæ conditionem non excederet, maiorem Deo potentiam præ se ferret, quod quidèm quantum à vero abeat, neminem fugit: quæ enim creatis in rebus diuinæ Potentiæ cõferri valet? vel etiam fallacem Christi disciplinam (Dei ponimus non esse Filium) innumeris firmaret prodigijs: Quippè quæ ab illo sunt edita, & à Deo sunt patrata miracula. Quòd sanè quàm è regione Veritatis Luci eat obuiam, non est difficile cuilibet intueri. Quæ videlicet argumenta Iudaicam disciplinam infringunt, euertunt, delent,

planeq; nudant erroribus immergi, & mendacijs: Et vnam Christi Religionem sanam, certam, ac salubrem esse.

CCXXXVII. Quam deinde rationem è summa Dei bonitate deduximus, rem, vt significauimus, impigrè gerit. Quia si in Christũ mortalium libertas nõ verè incumberet, nequaquàm sineret Numen, fallaciis implicari tot homines, qui totos se ad ipsius nutum, voluntatemq; conformarunt, eximia in diuinam Legem obseruantia, cùm ante Christi aduentum, quam Deus Iudaico populo iniunxerat; Tùm secundùm Christi accessum, quam Ethnico, Iudaicoq; populo in illius Ecclesiam recepto imposuerat. Verũenimuerò Mahometici dogmatis Sectatores pręcipua contemplatione telum hoc impetit. Quos idcirco Deus impiæ, ac flagitiosæ superstitioni obnoxios patitur, & addictos, cum ingens admodùm sit illorum vis, quia in nullum non scelus effusi diuinam à se clementiam penitùs auertũt. Si tamen ad hunc modum nobiscum ageret, qui Orthodoxam Fidem amplexi vitæ integritatem sectamur, voluptatum titillationes assiduis, ijsq; acerrimis ictibus debellantes, vt seruiat animo corpus, Probitati profectò suæ labem aspergeret. Vndè cum Deus, ac omnium Dominus nihil non bonum efficere valeat: Tutum omninò est, eam, quam sequimur, viam instare, secundo ad portum flumine haud dubié enauigabimus.

Suum alij honoré deferri, ægrè Deus patitur.

CCXXXVIII. Quintum nobis obtulit argumentum, qua Christus iniuria lacesseret diuinam iram, si sibi diuinos honores falsò adscriberet; Neq; enim vt id pateretur Deus, adduci posset vllo pacto: qui quidèm honoris sui ac dignitatis quàm maximè retinens est. Ad alia quæq; conniuebit faciliùs Deus; suum verò honorem libari; haud equidem tollerabit patientèr. Ferre nescit in cultu socios, neq; thure eodem sibi, & alij litari patitur. Non me fallit huiusmodi nonnunquàm scelera clausis veluti oculis dissimulare, ea nimirum sunt diuinæ mentis consilia. Sed quo protinùs studio enititur, quaq; ope contendit, vt debitus sibi honor persoluatur. Tres in Christum petitiones malus in solitudine dæmon fecit. Vnam, & alteram Christus sustinuit;

nuit; in tertiâ hostem disiecit, & repulit à sese: *Vade Satana*; Math. 4.
Cur primo, secundoq; impetu non audacem hostem amouit, si in tertio incepto irrito propulsandus? In hoc inuolabat audacissimus dæmon Diuinitatem, & sibi Vniuersitatis imperium cum adoratione arrogabat. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. Tantam verò audaciam, tamq; effrænem superbiam lõgius procedere minimè Deus patitur. Quòd si tãtoperè superbos in angelo spiritus damnauit Numen, quî probaret in homine? Si nullam pacis conditionem cum Lucifero Christus admisit, qua Deus ratione cum Christo iniret familiaritatem, ni arctissimo, hoc est, Filij gradu se Christus attingeret! acquiescit igitur Deus in honoribus, quos ad Christum venerabundi deferimus, suum enim ius, debitamq; illi Religionem persoluimus. Nihil illi adorationis beneficiario iure, sed nominibus omnibus debito tribuimus, quippè sacratur Diuinitati, quidquid sistimus Christi Personæ, quâ si careret, mirùm quo Deus studio rem præpediret? & sublatum sibi honorem curaret recipiendum. Enim verò ideò amat, nobisq; imperat diuinis Christum honoribus colere quia Diuinitatem in Christo agnoscimus: Argumentum hoc bellum quidem omnibus infert, qui Christum abnuunt, sed ijs in primis, qui inani superstitione fictilia colunt idola. Diuinæ iustitię ęquitas extremam omnium rationum suppeditabit; Cum enim ad huius pertineat munia, ex sceleribus æstimare supplicia, & ex crimine pænam metiri: Irrogatis Iudaicæ genti acerbioribus supplicijs, quibus post Orbem conditum in nulla alia scelera animaduersum fuisse vidimus, haud obscurè demonstratur, sceleratissima fuisse Iudęorum scelera, hoc est, Christo Dei Filio per summam immanitatem intulisse necem. Cæterum prædicta argumenta in vnam, eandemq, aciem explicata oppugnant, expugnant, prosternunt, & vltima clade afficiunt sectam quamlibet, vel disciplinam, quæ Christi velit se se Religioni opponere. Vincunt deinde, ac persuadent, Christum Dei esse Filium, eiusdem cum Patre naturæ, verum Orbis Sospitatorem, expectatum, Receptumq; in Lege Messiam.

O Fi-

CCXXXIX. O Fidem etiam, atq; etiam felicem! O auſpicatiſſimam ſemel atq; iterum Chriſtianæ Eccleſiæ diſciplinam! Quam tot, tamq; locupletiſſima rationum momenta tutantur: in quam irrito ſemper impetu & inuecta eſt, & (ſi quæ audebit) inuehetur in poſterum quæcunq, alia ſuperſtitio: illius nempè partes agit integerrimè Rationis cōcentus cum Veritate ſuauiſſimus: cui tot, tantaq; minimè malignè tribuunt teſtimonia Sacræ in primis Literæ; Sanctiſſimi dein' Vates; qui diuini Solis radijs illuſtrati præclara apprimè Chriſti Seruatoris ſigna mortalibus prætulere, euentu prædictionibus mirè reſpondente. Vt qui præſentiſſimo Numinis beneficio in tantæ felicitatis vberrima tēpora deuenimus, in eum ſcilicet Syllabum cooptati, cui ſibi maximè familiares adſcribit, Lætitijs omnibus circumfluentes, Regium Vatem canentem conceptis vocibus proſequamur: *Sicut audiuimus, ſic vidimus in Ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.* *Pſalm. 49.*

Si Chriſti Fides vera non eſſet, poſſent homines iure cum Deo agere iniuriarum.

CCXL. Firmis adeò, ſaniſq, teſtimonijs Veritati Principi Deo Catholica Fides innititur, ac Religio; Vt illuſtriſſima Eccleſiæ Lumina præſtantes doctrina Viri, huiuſmodi ſententiam tulerint. Si quis videlicet ſe deceptum cerneret in Chriſti Fide (quod nulli vnquam continget, quippè quæ in Deum primum Veritatis fontem incumbit) cum Deo poſſet merito expoſtulare. *Si Chriſti inſiſtens fidem, rerum Conditor Deus, alio à recta declinaui, tu me in hanc fraudem illexiſti.* Sed cum veritatis Archetypus Deus nullo vnquā tempore eualeat fidem fallere, quem latet Chriſtiana inſtituta firmiſſimo nixa fulcro, & Euāgelicæ innixa Legi, vera omninò eſſe, atq; ea tantummodo in poſterum perſtitura? Secundùm Doctores aſſerunt maiorum gentium Sapiētes, quòd ſi Chriſtiana Lex à uerò (quod fieri nequit) abhorreret, iure teneri Deum, qui illam caſtiſſimè obſeruarent Beatitatis ſuæ mercede remunerari: Siquidem obtemperabant Legi, quæ Rationi, Vaticinijs, Reuelationibus mirè erat conformis: Hæc enim ſigna ſacris in voluminibus Iſraelitico populo Deus edidit, quæ illum in veræ Fidei, Religioniſq; notitiam perducerent.

Teneretur Deus illius obſeruantibus felicitatem ſempiternā impertiri.

Quid

CCXLI. Quid verò certiùs aut firmiùs mortalium libertatis mysterio, quam Christus peperit, reperiri vnquam valet? quod sanè mysterium manifestè aperit, nudatq; contenta admodùm Testamenti Veteris tuba. Cui deindè musicè veluti consonat cælestis Euangelicæ disciplinæ concẽtus: Ita nimirùm in vnam, eandemq; Synoridem vtriusq; Testamenti pagina conspirat, vt nihil in vtraq; dissonum comprehendatur: Quòd cecinisse videtur Regius Psaltes: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum*: Quandoquidèm aperta adeò, testataq; sunt Fidei nostræ testimonia: Dauidem obfirmatos increpantem subsequi possumus: *Filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum*: Si enim Legis Euangelicæ credibilitas eam habet perspicuitatem, vt huc vsq; docuimus ex prophetica sacrorum Scriptorum harmonia; ex Christi miraculorum concentu; ex illius disciplinæ integritate; ex sapientissimorum hominum authoritate; Rectè indè deducitur, eos, qui apertissimæ veritati fidem non habent, quæsita de composito mendacia sibi prætexere, & vnam obstinationem remis, velisq; sequi: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum; vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos*. Minatur Iudæis Deus, internuncio Isaia. Feliciter nequit salutem assequi, qui Fidem respuit obfirmatè; Via enim, quæ ad tranquillitatem sempiternam ferat, Veritas est. Id se in terris eniti, vt videlicet testimonium suæ tribueret Veritati, Pilatum quondàm edocuit Christus, cuius Prætor veluti rudis, quid esset? interrogauit: *Quid est veritas?* Vix rem quæsierat, cum se subtraxit Christi aspectui, damnandum certè Iudicis factum! si, vt causam agnosceret, id inquirere necesse duxit, quid abijt parte inaudita! Christi licet consilium animaduertere, ea tempestate, qua de veritate sermonem habuit; *Ego in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam Veritati*. Non etiam prætermittenda ratio, in cuius gratiam se veritati testimonium adhibere Christus dixit. Agebat

Psalm. 92.

Psalm. 4.

Veritas felicitatis est via.

Ioan. 18.


tum

tum temporis de cælesti Regno Beatorum felicitati destinato: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Nitebatur deinde edocere viam, quæ ad cælestem Patriam ducit, Veritatem esse cuius munia, ac vices Christus fidelissimè obit, vt ipse author est: *Ego sum Veritas.* Quid igitur veritatem negligit discessu Pilatus? nihil ille de cælesti Patria cogitabat; quid itaq; laboraret de via doceri, quem nulla de meta perstrinxerat solicitudo: *Quia loquebatur Christus de veritate ordinante ad spirituale Regnum, ideò non curauit de illa veritate erudiri*, ait pulchrè Ioannes Cluniacensis. Magnum cum veritate commercium Cęlo intercedit: hoc metæ, cursûs illa sustinet vices, patria illud; hæc via est. Prætor diuinis verbis aures obstruit, cùm Veritatem insistunt patefacere, quia cum cælestem felicitatem perquirere non pensi habeat, superuacaneum ducit de cursu admoneri, & via instrui. Qui verô hanc sequi viam obfirmata cæcitatis suæ caligine negligit, nulla hunc pungit de salute cura. Cuius se Pilatus criminis alligauit, cum Veritatis disciplinam vel auditione accipere recusauit. Sed habet eiusdem consortes sceleris Iudæos: quos ille tum temporis conuenit quin aliquam de ipsa rationem auditoribus inculcaret. *Iterum exiuit ad Iudæos.* Non enim fas esse videbatur, vt qui se erant damnationi sua peruicacitate addicturi, acceptam veritatem iniquis auribus delibarent.

1.p.Quad. serm.14.



PARS



PARS SECVNDA VERITATIS HARMONICAE

CAPVT PRIMVM.

Cæcitatis Iudaicæ cum Veritate diuina Diaphonia siue dissonantia.

I. IN prima Harmonicę Veritatis parte Euangelicę legis certitudinem per otium fuimus contemplati. In hac secunda Iudaismi cæcitatem, quam hæc eadem veritas profligat, omnium oculis exponere pro virili contendam. Septem præcipuè numerantur errores, quibus inanis, & rancida Iudaismi superstitio deformatur. Omnes quidē lethales animis infligunt ictus, vtpotè qui diuinæ Fidei peruicaciter bellum indicunt. Primus legis Euangelicæ Veritatem obnixè pernegat; Secundus Mosaicas cæremonias post Aduentum Christi ad animorum salutem probas, opportunasq; iudicat. Tertius aduenisse Orbis Seruatorem abnuere impudenter pergit. Quartus Orbis libertatem ciuilem, corporeamq; fore affirmat. Quintus Messiæ diuinitatem tollit. Sextus Christum ad Crucem affixum sibi probro;

Concentus ex cęcitate Iudaica.

Septem præsertim errores Iudaismi deformant.

ignominiæq; duxit. Septimus salutem comparari posse credit duplici in fide; altera ad linguam prompta, clausa pectore altera. De his nobis præsertim agendum; quibus debellatis, haud magni negotij erit falsitatem infringere cæterorum, quibus cæca Iudæorum caligo hæret admodũ obstinatè.

II. Quòd ad primùm attinet errorem, is planè testimonio, cælestisq; harmoniæ concentu euertitur. Primum nobis testimonium prolixè offerunt Veteres Vaticinationes. Quibus mortalium libertatis arcanum sui Vnigeniti sanguine partam exhibuit Deus. Secundùm Seruatoris Vaticinia mirandis planè de rebus affluenter suppeditãt. Quæ quidem Vaticinia suis absoluta numeris memoria nostra his & oculis intuemur, & manibus ferè attingimus. Tertium res à Christo, illiusq; Discipulis mirè gestæ locupletissimè tribuunt, quibus huiusce mysterij fidem egregiè firmarunt; cum enim sola Dei potentia edere valeat miracula, illorum quodlibet absoluit planissimè veritatem, quam ab Euangelica disciplina docemur. Quartum euersi ab stirpe inanium Deorum cultus, & Christo induti populi largè præbent; quod quidem prodigium adeò excelluit, totq; prodigiorum compendium in sese continet, vt diuinam potentiam indicet minimè obscurè.

Idololatriæ euersio Christi Diuinitatẽ indicat.

III. Cum Moses Pharaoni dixisset, vt Dei populum manumitteret; reddidit obstinatè Tyrannus, se Deum, quem diceret Moses, nescire: *Quis est Dominus? nescio Dominum*. Posteà tamen cum totas copias Rubri maris obrutas fluctibus adspiceret, quas certè copias Idololatræ compleuerant, sapuit tandem serò, & Deum illicò omnes agnouere: *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis.* Nulla antea Dei cognitio ad Regem peruenerat: *nescio Dominum*, & oppidò totæ ipsæ acies Deum agnoscunt? *Dominus enim pugnat pro eis.* Haud immeritò. Se in extremum adductos supplicium, Deo vindice intuebantur illi Idolorum cultores. Nihil verò diuinam apertiùs Maiestatem denudat, quã barbaræ Idolorum superstitiones vltimo damnatæ excidio. Pugnam capessere in Idololatras, eosq; penitùs euertere,

Exodi 5.

non

non capax eximiæ admodum gloriæ Moſeos Virtus, hæc Diuina tantum potentia meret præconia. Idcirco cæleſtem ciuem miſit Numen, qui celebrem illam Nabuchodonoſoris arborem ſuccideret: *Et ecce vigil, & Sanctus de Cælo deſcendit*. Vt verò ingenſq; Statuæ moles proſterneretur; ipſis Dei viribus occultis licèt, res indiguit. Qui enim Lapis ſtatuam afflixit ad terram; Deum ipſum hominem factum referebat; eſt maximi Hieronymi ſententia: *Hic Lapis eſt Chriſtus Virgo de Virgine ſine humano opere natus*. Magnitudine præcellebat ſtatuam arbor, vt conſtat ex Daniele. Plus tamen exegit virium illius, quam huius ruina. Rex enim, quos arbori honores non tribuit, diuinos decreuit ſtatuæ: *cadentes adorate ſtatuam*. Latos quidem ramos arbor explicuit: Sed ſolam ſtatuam adorari ſancitum eſt. Exercuit in magnitudinem arbos; verum ante ſtatuam Idololatriæ Scelus patratum eſt. Illi igitur proſternendæ ſatis ſuperq; eſt Angeli virtus: Ad hanc debellandam humanitatem induiſſe Deum, ſuaſq; cum illa conferre vires peropus fuit. Arborem quamtumuis latiſſimam deijcere ſufficit Angelus; qui ad euertendam Idololatriam nullo operæ pretio incumbet, proprium id Chriſti eſt munuſq; vel typice, vt olim, vel reapſe vt modo. Dan. 4.

IV. Quintum nec ipſum contemnendum Iudaicę gentis improbatio, ac irrogatum ſeruatoris neci vlciſcendæ, puniendæq; illorum peruicacitati ſupplicium ampliſſimè profectò cedit. Cuius quidem ſupplicij ratio, quantum populum iſtum Deus auerſetur, oſtendit. Sextum abſolutiſſima Euangelicæ diſciplinæ perfectio teſtatiſſimum edit. Quæ eos quoquo verſum diffundit ſplendores, vt aliamquamq; ſectam cimmerijs damnet tenebris, & in lucem extrahat illarum errores, ac fallacias. Septimum idque firmatum ſanguine inuictiſſimi tribuunt Martyres, qui omnem haud dubiè numerandi rationem exhauriunt; quorum plurimi eximiæ ſanctimoniæ ac præſtantis ſapientiæ laude floruere: Lætiſſimo quidem, ne dum impauido vultu acerbiſſimos cruciatus, mortemq; ipſam ſubire, ne fierent Chriſtianæ Fidei deſertores; quod ſanè nullo prorſus

modo egissent si Fidei, cui asserendæ vitam sacrabant, certissimam cognitionem non obtinerent. Cum vero est, tantisq; testimonijs res firmetur, quis non arguendum sentiat, & plectendum, qui fidem illi non adiungit. Priusquam Christus cœlestem in Patriam se penetrauerit, suos incredulitatis discipulos insimulauit, quia scilicet fidem plurimis non habuere, qui illius Resurrectionem ante id
Marci. 16. tempus oculati testes nuntiarant: *Quia his, qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderunt*. Non illos asperè excepisse inquit Euangelicus Scriptor, quod non sibi, sed quod multis suam Resurrectionem testantibus non crediderint. Plurimis enim in Resurrectionis testimonium amicè conspirantibus, incredulitas purgari poterat nullo pacto. Octauum suggerit ratio ipsa, quæ sua vi prodit veritatem. Paùlo supra demonstratum est, interrogantem de Veritate Pilatum: *Quid est veritas?* de illa voluisse responsum accipere: Verebatur fortasse, ne si illi aures daret, dedisset oppido manus. Synagogam Isaia internuncio, alloquitur Deus, illiq, enuntiat, intenturam ad Christum præceptorem suum oculos, illumq; auribus accepturam, cum ille à tergo monitis, præceptionibusq; ipsam prosequatur: *erunt oculi tui videntes præceptorem tuum; & aures tuæ audient Verbum post tergum monentis*. Secum ipsa pugnare vatis sententia videtur. Si enim suismet oculis Præceptorem suum intuetur Synagoga, quî auscultare consilijs à tergo potest? Profecta sunt hæc à Veritate consilia; hæc autem tantum vis, ac roboris nanciscuntur, vt ne illi fasces summittat Synagoga; se se e vestigio det in fugam. non veretur Christi aspectum, Christi voces perhorrescit: ij enim sunt nerui veritatis suæ rationi, vt si vacuas illi aures præbeat Synagoga, haud dubiè victoriam cedat non inuita.

V. Rem etiam nostram impigrè agunt suo Hebræi magistri testimonio tum qui ante Christi ortum, tum qui post Virgineum partum floruere. Nec minori ducendum pretio, quod exhibuere Sybillæ. Aquo profecto dimicat maioris nominis Philosophorum, ac Theologorum authoritas:

tas: quæ quidem Sybillæ nullis verborum inuolucris, quin potius aperta, dilucidaq; oratione de humani generis libertatis arcano prænunciarunt. Omnia hæc testimonia Euangelicam Legem tufantur; asserunt, & firmant; quorum nullo aliarum, quæpiam stabilitur. Tametsi enim vaticinijs fruantur Iudæi, ea qua nos, integritate, tamen densæ caliginis veli causa, quod illorum corda obducit, impotes planè sunt, qui se se in vera, & penitissima illorum sensa insinuent; Itaq; ijsdem hærent sedibus, parumq; interest seu ea habeant, seu careant.

VI. A primis excitatam initijs, rebus mirè gestis Synagogam fuisse haud diffiteor; illisq; ad seruatoris vsque aduentum perstitisse; quem tamen synagoga non modò ea, quâ æquum erat, Religione non excepit, sed negauit, onerauitq; conuitijs. Ideo Deus suum alio patrocinium traduxit; eamq; cælesti hæreditate abdicauit. Suumq; etiam negauit populum, qui suum etiam illum Deum negauerat & quo in ea vsq; tempora Iudæos fouerat patrocinio, iratus tandem amouit: nullo exinde miraculo, nulloq; Propheta ad solatium gentis adhibito; Rem olim prædixerat Psalmographus: *Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, et nos non cognoscet amplius.*

Synagoga prodigijs olim floruit.

Psalm. 73.

VII. Superstitiosos idolorum cultus delere, Ethnicos ad rectam fidem traducere vna potuit Euangelica lex; quid enim præter Christi IESV nomen Ethnicos ritus, & barbaros cultus profligauit? quam certè laudem, ac lauream nulla è cæteris Religio sibi merito potest adscribere. Rem iam olim attigerat Tertullianus; *Cui veritas cognita sine Deo? Cui Deus sine Christo?* Quin etiam expressa in Victoria est, quam de superstitioso Golia tulit Dauid. Quinq; se lapidibus obarmauit Pastor in certamen, ad quod gigantem ingentem mole Corporis, sed animi superbia ingentiorem fidentissimè prouocabat. Sed qui fortasse volitantia hostium tela innoxio ictu exciperet, vnius iactu lapidis sua mole celerius tractus in terram cecidit exanimis. Verùm quis tantæ virtutis est lapis, qui carneam turrim deiecit? Ambrosium accipe: *Legimus in scripturis lapidis*

Tertull. in Apolog.

Christus non armis, Verbo orbem superauit.

Serm. 88.

dis vocabulo Christum figuraliter designari: Igitur cum lapide Golias percutitur, Christi virtute prosternitur. Incertam potiùs, exploratámq; Victoriam, quam in prælium procedebat Dauid, quid enim? non caderet Idololatra? Si Christi in se virtutem lapis imbiberat, quam secundo Rotatu iaculauit in hostem Dauid. Nullus est Ethnicæ superstitionis Gigas, qui ad Christi conspectum, vel etiam typice, animum non despondeat, desperataq; victoria, & & pertimescat, & experiatur exitium, quod vero Ethnici tandem aliquando saperent, & Christum induerent, quis nescit Christianæ Religionis fuisse beneficium? Quippe cæteræ armorum vi eam, quà latent, terrarum longitudinem sunt adeptæ; At hęc Christi tantummodò verbo se se in mortalium animos suauissime penetrauit. Nec latuit acutissimum Ioannem arcanum, cum gladij acie suæ Orbem ditioni subijciens intuitus est Diuinum Verbum; educebatur autem ab ore gladius: *Et de ore eius procedit gladius ex vtraq; parte acutus, vt in ipso percutiat gentes.* Non manu, inquit, gladium præferre; sed ore; Diuini scilicet Verbi virtutem gladius præseferebat, quemadmodum ait Apostolus: *Viuus enim est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* At vero quando subactum Orbem in suam Christus Fidem accipit, non manuum quidem, verum oris suppetijs vtitur, nō roboris opem, sed sermonis impendit suauitatem. Eos Christus in suam adsciuit societatem, qui piscatoria arte victitabant, vt hominum redderet piscatores: *Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum: at illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Difficilem sane modum! si in eiusdem artis vsum euocantur à seruatore; quid arma abijciunt? *Relictis retibus.* Si munus, cur simul arma non retinent? Multum inter Dei, hominumq; expiscandi rationem discriminis intercedit; non ferreis eget hamis: nec lineis opus est retibus: Solius enim sermonis satis est iactus, quò mortalium mentes ad sese suauissimè pertrahat; non ferri, armorumq, vi, sed lingua, verborumq; virtute Orbem Vniuersum Christus deuincit. Ad quòd allusisse videtur Basilius Seleuciæ Epi-

Apocal 19. *Ad Hebræos 4.* *Matth 4.*

Episcopus. *Petrus populum vniuersum lingua cepit, Phamphilia deinde occupata est: Macedonia vastata; accurrit Thracia: Græcia cum sua eloquentia capta est: Roma suppresso diademate, crucis prædicationem exosculata est; Ordine densissimo ciuitates spontè concesserunt in prædam Apostolorum.* Orat. 30.
Auspicatus Moses Gad Iacob filio felicitatem, victurum, dixit, Leonis more; tantumq; obsecundaturam felicitatem, vt esset sua in tribu Doctorem adepturus: *Quasi leo requieuit, cepitq; brachium, & verticem. Et vidit principatum suum, quod in parte sua Doctor esset repositus.* Deuter. 33. Tota homini dexteritas, vincendiq; felicitas ex eo videlicet continget, quod præsit suæ genti præceptor: & quid ad militis, armorumq; strepitus Doctoris literarumq; otium? quid ad calamum gladius? quo victoria vtriq; comparatur? Typum res gerebat industriæ, qua de terris acturus Triumphum, labentibus exindè annis Christus erat, quem tamen verborum suauitate ageret, non armorum feritate extorqueret: *Subiectis sibi Regnis* (ea est explanatio Glossæ, quam vulgatam appellant) *& gentibus potentia Christi apparuit, non armorum terrore; sed virtute doctrinæ.* In quo quidem sibi tantum adscribendam Victoriam vmbratili etiam pugna rerum conditor declarauit. Verbis rem agere, & sibi obnoxium Orbem sermonis virtute reddere; ea est Christo propria vincendi ratio; Vni dumtaxat Christo tam feliciter vincere contingit; quia vni tantum accidit tam suauiter homines ad Fidem traducere.

VIII. Tametsi Ethnicarum nationum resipiscentia, & cooptatio à Iudaici populi improbatione promanauerit, vti docet Apostolus; quippè vt suam in gentes Fidem lōgè, latèq; disseminaret, operæ fuit pretium, permisisse Christum, in graue adeo scelus incidisse Iudæos, vt in illius supplicium, vetus amicitiæ fædus rescinderet Deus, illosq; omnino improbaret, quod ni fieret, non mortalium Redemptor mortem oppeteret; nec Apostoli hominibus possent suæ libertatis, quam Christus sua morte pepererat, vexilla cominus attollere; ex quo dilucidè admodū se prodit Amor, quo Christus Ecclesiam est prosequutus, quam Ex Iudęorum damnatione in Ethnicos manauit salus.

scili-

ſcilicet delectu maximò ex Ethnica gente collegit: ſiquidem non in magno poſuit diſcrimine veterem ſynagogam, quam ſibi adoptauerat in ſponſam, repudiare, vt æternis amoris, & gratiæ vinculis ſibi Eccleſiam arctiſſimè iungeret. Planum deinde fit, quantum apud Deum inuidiæ ſibi conflauerit ſynagoga, quam ſeuerè adeo plectit, vt Eccleſiam ipſi repudiatæ ſuffecerit in ſponſam. Quo ita nimirum alienę felicitatis inuidia infeliciter rumperetur eæ sūt minæ, quas Moſes Dei nomine illi indixerat *ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus; & in gente ſtulta irritabo illos*: grauiſſimum coquo, inquit Deus, in rebellem hunc populum, in obfirmatam ſynagogam ſupplicium: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſq; ad inferni nouiſſima*.

Deuter. 32.

Certum fixumq; eſt animo illum penitus delere, remq; acerrimis inuidiæ ſtimulis committam: *Ad æmulationem eos adducam in non gentem, in gentem inſipientem, in iram eos mittam*. Scripſit gentium Doctor. Meum latè nomen, qua totus patet Orbis, in Ethnicas nationes diffuſum, eximiaq; Religione exceptum veſtris ipſi oculis vſurpabitis, & me de genu ſalutantes populos, illorumq; Reges, me religiosè admodum colentes videbitis, quæ quidem exobici populi felicitas acerbiori vobis ſupplicio erit neque enim eis tantum dolorem affert (exponit Theodoretus) nec ſeruitus, nec diſperſio, nec Templi deſolatio, quantum gentium in Deum Religio, earumq; claritas. Majorem ex Chriſtiani populi felicitate, (quem fallit inuidiæ ingenium?) quam ſuis ab infortunijs dolorem haurit Iudæus.

Ad Rom. 10.

Synagogæ criminidāda eſt ipſius improbatio.

IX. Quis tamen ne credat, illi Chriſtum immerito miſiſſe nuncium; nullum enim non voluit lapidem, vt illam in officio fideq; contineret: Illa, illa mali tanti ſibi cauſa fuit, hoc ſibimet damnum ipſa intriuit, quæ datam Deo Fidem ſummam per impudentiam fefellit. E duobus illis eiuſdem parentis filijs, de quibus Lucas, minor natu, cui nimia fortunarum profuſio, Prodigo nomen indidit, Ethnicum populum exprimebat; natu major Iudaicum primum Dei genitum, & cui beneficiariū adoptionis jus attribue-

rat

rat, haud ineptè referebat. Is igitur ſimul atq; agnouit, minoris fratris, hoc eſt, Ethnici populi conuerſionem ad Fidem, Deum lætitijs omnibus excipere, acri doloris morſu perſtrictum ſe ſe in domum conferre noluiſſe, ait Lucas; quamtumuis id pater etiam, atq; etiam precibus laboraret: *Et nolebat introire. Pater ergo cæpit rogare illum*. Vbi duo liceat admonere; primum tenacem huiuſce populi voluntatem: *nolebat*: Alterum mitiſſimum Parentis aduerſus ingratiſſimum filium amorem, ac beneuolentiam: *cæpit rogare*. Quòd ad primum attinet; non ideo videlicet Iſraeliticus populus intra Orthodoxe Eccleſiæ limina non recipitur (quæ eſt huius parentis domus) quòd illi Pater aditu interdicat, ſed quod obſtinata mente ipſe abnuat; non arcet à complexu pater; ſed amabiliſſimum filius odit ſinum. Non deeſt ille Amori; ſed ſuppetit huic peruicacitas, quem vt obſtinatam exuat mentem, aſſiduis precibus fatigat parenſq; cæpit rogare. Et in alterum incidimus, quod proparente animaduertendum monuimus. Non inquit Lucas: *Rogauit*: ſed ait: *cæpit rogare*; cæpit, nec cæptis iam inde precibus modò ſuperſedet, rogauit quidem olim, nunc etiam rogare inſiſtit, offerebat olim beneficium precibus, quibus etiam modo ſollicitat, qui accipiant. Verùm quæ committuntur ingratis beneficia, amittuntur, noluit Diuina vti clementia Iudaicus Populus, imo abutens beneuolentia, nec olim ingredi, nec modo ſapere per ſummam curat obſtinationem. Totam igitur in ſe culpam hanc conferat, Chriſtianæ ſcilicet Eccleſiæ; hoc eſt, Dei domus, foribus excludi; non enim Parentis muneri defuit Deus, qui illum familiariſſimis verbis ad amplexus inuitat; ſed nulli ſalutem curæ habet Populus, qui excæcatæ mentis caliginem amat, & Parentem abnuit conuenire: *Nolebat introire*. Inanes Synagogæ vmbras, veriſſimis Eccleſiæ radijs præferens impudenter.

Luc. 15.

X. Iam vero Euangelicæ legis integritati nulla iure ſuperſtitio componi poteſt; tum in ijs, quæ credenda docet, tum in illis, quæ facienda imperat, vel conſulit. E cælo lapſam, & à Deo mortalibus latam ipſius integritas planè

Chriſtiana Religio omnes alias præſtantia relinquit.

demonſtrat. Sectam quamq; aliam Victrix ſemper oppugnat; fallacemq; atq; iniquam denudat, quin illam aliarũ vlla iure valeat inſimulare. Quod certe tam veriſſime habet, vt nulla alia ab aduerſarijs nota illi inuratur, quam quod humanas videatur vires excedere. Et id habuere in cauſa illius deſertores, quo tantum conſcirent facinus, nimirum quia cum amarent voluptatum illecebris ſeſe effusè dedere, arctam illius viam ſe pati non poſſe mentiti ſunt. Vineæ illi conductores, cum animum induxiſſent heri filium redditus repetentem interimere, extulerunt è vinea pedem: *Eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Quòd militarem ad ſcelus viam, & non reconditum vineæ anfractum elegere? erat videlicet Vinea Chriſtianę Eccleſię typus: At ea eſt Orthodoxæ Religionis integritas, vt ſe mortales ab illa amoueant, quò dedantur liberius vitijs.

Martyrij laus in ſola Chriſti Eccleſia floret.

XI. Martyrij dignitas & teſtimonium in Euangelica dumtaxat lege elucet; ibiq; in ſummo, quàm poteſt, faſtigio; vt capite quinto primæ partis docuimus. Martyres aliquot, eoſq; illuſtriſſimos ante ſeruatoris aduentum in Iudæis efflornuiſſe, non eo inficias. Sed cum Chriſtum non exceperit ſynagoga; Imo reiecerit, & præfractè negauerit, eaq; perſtiterit obſtinatione, eo vſq; vt illum in crucem egerit, & factum etiamnum velit; Iniuria profecto Martyrum nomine ij afficiuntur, qui tantæ addicti perfidiæ & contumaciæ mortem ſubeunt. Siquidem non id præſtant in Diuinæ Veritatis gratiam. Malum potius Dæmonem ſummo hoc obſequio demerentur cuius ad voluntatem, nutumq; deſeruiunt; idq; eo amplius, quo impudentius aliam verbo tenus Religionem profitentur, ab illa, quam reapſe corde amplectuntur; Chriſto verba, Iudaiſmo corda tribuentes, cum & verba, & corda, Chriſto, Chriſtiq; legi tenerentur libentiſſimè exhibere.

XII. Si ex ijs igitur teſtimonijs Euangelicæ legis veritatem quodlibet ineluctabiliter comprobat, & à Deo hominibus exhibitam illius innixam præſidio, vnius, & alterius teſtamenti Vaticinijs conſonam plane demonſtrat, quantum illi roboris ab omnibus in vnum collectis prouenict,

niet,

niet, cum rem absoluat sua cuiusq; virtus, vti reuera est, summa integritas, eximiaq; sanctitudo ipsius Præceptoris, ac mortalium Vindicis; Augustissimæ Virginis MARIAE, hominum Principis Dei parentis. Sacramentis deinde tamquam saluberrimis obarmata pharmacis opē, Christianorum morbis, ac vulneribus præsentissimam fert Ecclesia; quibus eos in robustam animi valetudinem restituit, & in sempiternam Beatitatem adoptat.

XIII. Has credit testificationes se Iudæus, aut eludere; aut effugere; quippe, inquit, se sancita legis, quam Deus in Sina monte per Mosen tulit, graphice obseruare, & obtemperare his omnibus, quę sibi per legem sunt iniūcta rectasq; Dei vias constanter instare, & suas ad illum preces continenter intendere; Cum vero nihil Deo antiquius sit, quam misereri mortalium, fieri non posse, vt illum Deus suo destituat patrocinio; Sed quam facili negotio deijcitur hac spe Iudæus. Lex enim, & legis Sacramenta à Deo sunt destinata, vt humanæ libertatis, ac Redemptionis Mysterio proluderent; Illudq; sacrificium referrent typicè, quod Christus ad Crucem affixus AEterno parenti voluentibus annis erat immolaturus; Quo quidem, vt verum est, expleto, perijt typicum. Vnde Iudæus, qui verum non amplectitur, & colit religiosè, grauissimo Deum scelere ad vlciscendam obstinationem lacessit; siquidem cum apertissimis certè indicijs suam illi legem patefecerit, nec acquieuit legi, nec coluit Assertorem. *Si non credideritis, non permanebitis*, minatur suis Isaias. *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*: edixit ijsdem seruator: Cælestæ illis Regnum (hoc est sacrarum literarum verus intellectus, qui per Christum paratur) explicuit ablatum iri, illisq; impertiendum, qui sibi inde decerperent commoda, & fide, & cultu Christum hominum Liberatorem prosequentes; Quem ideo Iudæi non inueniunt omnem licet conatum in quærendo adhibeant, quia non, vt decet, inuestigant.

Præcluduntur Iudęorū effugia.

Isaia 7.

Matth. 18.

XIV. *Qui quærit, inuenit* monet Christus. At Iudæos: *quæretis me, & non inuenietis*. Alteri alteram apponamus

Matth. 7. *Ioan 7.*

 sen-

Christum non Iudæi inueniunt, quia secus quā decet, quærunt.

sententiam: *Qui quærit, inuenit?* Quid ergo quærunt Iudæi, & non inueniunt? Si quærendi labori non parcunt, cur inueniendi felicitatem non assequuntur? quærunt videlicet, non eo tamen pacto, quo se quæri Christus efflagitat. Toto aberrant cælo, quia rationem non tenent, qua se Christus inueniri amat. Quì inuenient, si Christum quærunt, vbi non est? futurum sperant, qui pridem adest: in sacris scriptis venturum inuestigant, quem illa aduenisse testantur. Non itaq; voti compotes fiunt, quia alienis insistunt vijs: Perdunt in quærendo operam, quia vt perditi homines quærunt, perditionis instant viam, nullis Christi tritam vestigijs, atq;ideo nullo operæ pretio fatigantur. Tot annos Christum inquirunt; sed frustra; quia tot sæcula sceleratos effugit Christus. Vehementem Herodis curam fefellit exitus, cum tamen Christum ille perquireret; quid causæ? Rogas? Angelum accipe; Cùm Iosepho in mandatis dedit, vt sese oppidò reciperet in AEgyptum: *Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Non verâ nixus est viâ, quâ Christum quærebat, vt perderet. ita quærentem merito fugit: *Fuge in AEgyptum*: Posthabita Israele amauit AEgyptum, quia non vitæ, sed mortis viam sequebatur Herodes, vt reperiret. Hac etiam de causa Israelem deinceps semper effugit; & Israelitas promissa laboris mercede non excipit, quia deflectunt à via, qua ipsum quæri diligenter opportet. Suspiria quidem intendunt ad Messiam, sed quæ imprudentiæ damnes: clamoribus ipsum solicitant: sed quos arguas inscitiæ: Cælestes igitur fores quatiunt; sed nescit cælum insanis quassibus, aut insipientibus vocibus patescere.

Matth. 2.

Matth. 25.

Insipiētum vocibus obseratur cæli ostium.

XV. *Pulsanti aperietur*: Ex Christi oraculis depromptum monitum. Sed quinq; illæ Virgines, quas licet Virginitas commendaret, damnabat mentis inconstantia (meminit de ijs Matthæus) pulsarunt fores, vocem intendere, imo nec clamoribus temperârunt. tantùm abfuit, vt enixè clamantibus pateret aditus, vt acrius obsecrare tur: *clausa est ianua, nescio vos*; quid igitur? Promissis non manet Christus? Si pulsanti aperiendum recipit, quî deluditur

tur spes Virginum. Quis accidisse merito non fateatur? Imprudentes stultæq; mentis erant, quæ cælestia pulsabant limina. At vero iure reijcitur, qui stulte pulsat. Suis nō vult subscribi postulatis, qui stulta postulat. Quid vero dignius cauillis, risuq; excipi, quàm si concessa iam efflagites? stultissimè ergo Iudæi peccant, qui Messiæ aduentum assiduis precibus, clamoribusq; solicitant, quem iam aduenisse certo est certius. Idcirco tenacioribus repagulis cæli illis fores occluduntur, quas perfringere posse se precibus sperabant. clamant incassum; quia vociferantur imprudenter; & quia nullatenùs sapiunt prorsus nesciuntur: *Nescio vos*: Non Christi agnoscunt legem, eos ea de causa nescit lator legis.

XVI. Nemo nescit Iudaicum populum, quam legem olim in Sina monte illi præscripsit Numen, in nostra vsq; tempora retinere; quâ tamen infeliciter pereunt; quia promissum toties eadem in lege Redemptorem non meritis honoribus sunt prosequuti. Se in Mosis lege fuisse promissum, non semel Seruator asseruit, cum Iudæos alloqueretur: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim locutus est.* & alibi: *Si non Venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Compertum rursum est, Orthodoxam Ecclesiam vnicam Christi sponsam illam semper legem seruauisse, in præsensq; seruare, quod ad naturalia, moraliaq; (quod aiunt) præcepta attinet; Nam Cæremoniæ, legalesq; ritus antiquati omnino sunt. Huius legis, vt diximus, beneficio, & Christum agnoscimus, & colimus, ea enim in illius nos cognitionem rectissime deduxit, & sempiternæ felicitatis portu tutissime exponit. Quâ quidem ex Seruatoris adito doctrinâ referta est Euangelica narratio. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet &c.*

Christum lex Mosis præmōstrauit.

Ioan. 5.

Ioan. 15.

Ioan. 11.

XVII. Omne Iudæis nocumentum inde videlicet profluxit, quòd pingui (quod aiunt) Minerua legis sanctiones interpretantur, & Moseos vultum inspiciant velo, quod oculorum frangit aciem, legis nucleo interposito, & rudes tantum characteres, qui mortem pariunt, Iudæorum con-

Iudæi primam legis faciem tātùm intueātur.

spectui

ſpectui exhibente. Contrà, Chriſtianis emolumentum inde ſcilicet promanauit, quod altè hauriant legis medullas, & penitiſſima ſenſa enucleent, quin radiantem Moſis faciem, & Chriſti lucæ apprimè micantem, aut perhorreſcat intuitus, aut aciem velamen deterreat. Rimantur itaq; legis arcana ad ſeruatoris Chriſti ſplendorẽ, qui vita & Author, & Parens eſt; Hunc præſertim collimat ſcopum tota noui Teſtamenti diſciplina: nempe, quo perſuadeat, demonſtretq; mortalibus legem, legiſq; ſpiritalia fuiſſe, & fuiſſe in Chriſto, muſice admodum abſoluta. Vt Vetus teſtimonium id tantum enixè laborabat, quo nimirum Dei liberatoris aduentum, & noſtræ libertatis beneficium, quâ Orbem afficere ſtudebat Deus, mortalibus exponeret, commendaretq; Habet ergo hinc ortum Iudaici populi infelicitas, & diſperſio, & Ruina, & exitium. Eodem pariter manat fonte obfirmata infidelitatis tenacitas, Vniuerſæq; Iudaiſmi ineptiæ, quas ex cæleſti teſtamenti vtriuſq; contentu ſtrenuê debellauimus.

CAPVT SECVNDVM.

Prophetica cum gratiæ legis receptione Harmonia.

Concentus ex Gratiæ lege.

XVIII. SEcundus Iudaiſmi error contendit ſolam Moſis legem eſſe ſaluti poſſe: quippè inquiunt, ſibi in Sina monte à Deo fuiſſe latam, Mosè interprete, & illi iuſſos perpetuò obtemperare. At verò ex Diuino ſacrarum literarum concentu minimè obſcurè pateſcit, Moſaicas prorſus ſanctiones conſenuiſſe, ſimulatq; gratiæ lex in Orbe emicuit, & hanc vnam animis poſſe ſalutem impertiri. Moſeos lex Chriſtianam tantùm adumbrabat: illius verò ſacra Sacrificium dumtaxat referebant, quod Chriſtus in ſalutaris ligni aris pro hominum libertate AEterno parenti ritè obtulit. Et vt veriſſimum eſt, periJſſe vmbram, vbi Veritas ſui lucem diffudit. Ita ſceleratiſſimum

tissimum est vmbram, sacraq; in imagine tantum amplecti; & lucem, sacrorumq; Veritatem negligere: à Christi lege, Crucisq; sacro amouere fidem, & Mosis præceptis, effectisq; situ ritibus illam adhibere. quo conditus tumulo fuisset Moses, homines prorsus latuisse testatur Sacra Pagina: *Et non cognouit homo Sepulchrum eius*. Si patebat omnibus hospitij aditus: quid fugit omnes tumuli cognitio? Veteris typum legis ferebat præ se Moses; Docere igitur Israeliticum Populum studuit Numen, voluentibus annis, ita legem abrogandam fuisse, vt obliuionis tenebris obrueretur, & nulla ad posteros illius memoria dimanaret. Quòd Moses expressit in obitu, retulerat etiam in Vita. Vix legis tabulas Dei digito exaratas Moses acceperat, cū ad montis radicem in frusta commotus disrupit: *Proiecit de manu, & confregit ad radicem montis*. Alteras sua ipsius manu retinuit, & intra arcam condidit. Quid in illas inuehitur, & has religiosè admodum seruat? Primæ veterem legem; nouam alteræ figurabant. Veterem, quia breui duraturam confregit: Nouam, quia æternum perstituram, seruat. *Iratus Moses*, Inquit Augustinus, *videtur tabulas Testimonij, digito Dei scriptas collisisse, atq; fregisse: magno tamen mysterio figurata est ratio Testamenti noui, quoniam vetus fuerat abolendum, & constituendum Nouum*.

Deut. 34.

Mosis nescitur Sepulchrum, vt peritura illius lex ostēderetur.

Exod. 32.

q. 144. in Exod.

19 Vtemur vtriusq; Testamenti suppetijs, Vtrumq; enim miro inter se consensu id nobis mirificè probat. Vetus Malachia interprete. *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra*. Quasi diceret. Vestris in sacrificijs minimè acquiesco, quā enim Sanxi legem, non ea, vt creditis, sacra imperat; Sed gratissimo illi proludit sacrificio, quo me Christus aris litatus crucis humano infensum generi propitiabit. Idem apud Isaiam exposuit. *Non offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi: Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram: iniqui sunt cætus vestri*: Kalendas *vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea*. Amòs quoque interprete populo inquit suo: *Si obtuleris mihi holocaustomata, & munera vestra non suscipiam*: Accinit Dauidis

Malach. 1.

Lyra:

Lyra: *Si esuriero non dicam tibi: Meus est enim Orbis Terræ, & plenitudo eius: nunquid manducabo carnes Taurorum, aut sanguinem Hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis.*

20 Non eâ Deus laborat paupertate, aut ita mortalibus rebus immergitur, vt qui in illius gratiam animantes cædunt, illum effusè demereantur. Legis sacra illius sacrificij contemplatione placebant, quod suo potissimum capite humana excipiens scelera Dei Filius illi gratissimè immolaret; quemadmodum Christi Intesignanus edocuit, cum illũ indicauit hominibus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* Multis ante annis, quam scriptam legem hominibus Deus imponeret, Litari Numini animantes vidimus; quas post ingẽtem Orbis cataclysmum Nœmus Deo mactauit. Mire placuit Numini Sacrũ, & maximam ex illius odore voluptatem cepisse testatur Sacra Pagina. Enim vero si Deus Spiritus est, ab omni correctione mortali alienus, &, vt Deus est corporis expers, quo posset hac odoris affici titillatione; quì credi potest, ex animantium Sacris odore fuisse perfusum, & illius suauitate egregiè captum? Compertum planè, liquidoq; perspectum est, non illum fuisse odorem, qui Deum tam arctè alliceret; Sed suauissimum illud per illum quidem odorem adumbratum Vnigeniti sui sacrificium, quod totus ad illius voluntatem, nutumq; confirmatus mira obtemperandi alacritate ad Crucis aras affixus verus legis gratiæ Nœmus pro mortalium salute voluentibus annis offerret. Post scriptam vero legem Iudæis iniunctam quid consilij Mosi fuit, vt cum populi vellet scelera abluere, illũ detracto ex Sacris, Arisq; sanguine asperserit? Præuidebat videlicet Moses expianda humani generis crimina illo sanguine, quem suo é corpore Christus IESVS affluenter profunderet, vt multis explicuit Apostolus in ea, quam dedit ad Hæbreos, epistola, nulla, inquiens, populi scelera in lege deleri sine sanguine: Et legis sanguinem Christi prolusisse sanguini, alteramq; victimam fuisse ab altera adumbratam.

Dan. 20.

Senes. 8.

Mirè Deo placuit Nœmi sacrũ et cur?

21 Paulo nobis altius, suisq; à primordijs ordienda res est, ab ipsó scilicet rerum initio. Hominum protoparentum

diuinus

diuinus ille Protoplastes studiosissime effinxit: & in volupatis locum, quem huic muneri destinauerat, omnibus refertum illecebris, & blandientis naturæ aurâ iucundissimũ amicê intulit: Somno blandè affecit; costam abstulit, formauit Heuam; quam illi in matrimonium dedit; vt omnis inde viuentium multitudo proflueret. Hæc ne Deum egisse temere credendum est? Nobis potius viuis expressam coloribus nostræ libertatis mysterij imaginem, iam inde ab ipsa prima rerum molitione depingere studuit Deus. Vt alter Adamus Christus se se fælicius in Orbem erat editurus: vt sanctus, vt perfectus, vt cælestis victurus inter mortales erat? vt agendus in Crucem; vt mortis somno premendus; vt hianti ab ictu latere se se totum effundendi sanguini erat facturus potestatem; quo formaret, quo vitam tribueret, quo sanctitudinem largiretur dulcissimæ sibi sponsæ Ecclesiæ Orthodoxæ veræ viuentium parenti, illorum nimirum, qui veram ac felicem vitã assequuntur meritorum pretio, cuius nos Christus hæredes scripsit suo sanguine; quod in ipso expletum seruatore gratulabundi intuemur. Si vero in dictorum fide quis hæreat; Mihi, velim, incredulus hic, & obfirmatus exponat, quid sibi velit hæc Dei in homine effingendo accurata operositas? Cum nullus præsertim etiãnum hominum extitisset, qui hunc Dei laborem, ac facinus vel videret, vel penderet, quæ tamen sacro nudauit historiographo, vt literis consignaret, & in primo sacrarum literarum vestibulo, tanquam conchyliato peristromate, exornaret veterem narrationem.

Adami molitio nostræ libertatis mysterio prolusit.

XXII. Exeat igitur synagoga quibus irretitur fallacijs: & in se attente inspiciat omni vacua perturbatione: nihil profecto subibit, quod maiori voluptate deuinciat tum intellectum, tum voluntatem, quam penitissimum Redemptoris arcanum. Anima illa satis sua sanctitudine nota à Deo acceperat in mandatis, vt suum illi dicaret cor: *Pone me, vt signaculum super cor tuum*: Se, inquit illa, suo iam dudum corde Deum excepisse concinnatum veluti è myrrha fasciculum: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Non fasciculum dicit lectissimis distinctum

Nihil æque hominum capit animos, quam Redemptionis Mysterium.

Cant. 8.

Cant. 1.

floribus; cum diuinus Amasius flos sit è cęlesti topiario intercestũ transcriptus solitudinem: *Ego flos campi.* Sed myrrhæum vocat fasciculum; gerebat enim Mirrha Typum Crucis, ac cruciatuum, quibus nostram ab Aeterno Parente Christus libertatem emit. E doloribus, quos ipse pertulit, contexuit, & concinnauit anima fasciculum: In Caluariæ Monte è Crucis ligno dolauit hastile: in horto purpureas decerpsit rosas, quæ è maximo animi angore pullularunt: In Annæ, & Caiphæ domibus funes accepit, quibus illas innecteret, In columna liuida à vibicibus lilia collegit, quas dira inusserant verbera, Sed quid cum corde fasciculo? Manibus aptius, & odorandi potentiæ blanditur. Qui è floribus, ij quidem corporis sensus aucupantur; & satis ad hos pro scena manus. Qui verò animi prædantur affectus, ij exigunt pectoris sedem, vt verò indicaret Sponso, quàm grato furto mentem, mentisq; facultates Redemptionis, Christianæq; Crucis mysterium deprædetur, totam pectoris sedem illi libentissimè sacrat. Et quidem ea inest virtus Seruatoris Cruci, vt ferream licet naturam ad sese ducat suauissimè. Ceciderat forte in fluuium securis ferrum: Rogatus Eliseus opem; quod ferrũ hamaret, lignũ misit: sponte truncum sequutum est ferrum: *Præcidit lignum, & misit illuc, natauitq; ferrum, & ait tolle.* quæ magnetica inerat ligno virtus, vt tam facili ductu ferrum alliceret? Crucis lignum ab illo graphice exprimebatur. quod verò ingeniũ erit ita ferrum, ac ferreum, vt Crucem non procliui animo prosequatur? quod pectus ita omni exutum humanitate, vt Redemptionis mysteria non amplectatur auidissimè? Nullum, credo, nisi ea quæ Israeliticum populum peruicacitas obfirmauerit. Crucis inquam ac humanę libertatis mysterium, quis non vehementer amabit? In quo quidem legis Euangelicæ cardo prorsus vertitur. In quo quam amico inter se fœdere vtrumq; respondeat Testamentum, minimè obscurè elucescit: ex quo vt penitissimis veteris Testimonij medullis nouum vsq; latuerit, haud difficulter cognosci potest. Haud paulo etiam manifestius inde intelligitur veteres literas diuino hoc fœtu grauidas semper extitisse:

Cant. 2.

4. Reg. 6.

vt subindicasse videtur Regius psaltes. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Psal. 39.
Idem docere insistit Apostolus, cum de Matrimonij sanctitate suos erudijt: *Magnum Sacramentum ego autem diço in Christo, & Ecclesia.* Ephes. 5.

XXIII. Quo vtriusq; Paginæ concentus pleniùs hauriatur, nō absre erit differere in veteri Testamēto, in mādatis dedisse Deum Mosi, vt scilicet quando cum Iudaico populo fædus iceret (id erat fędus, quod populus Deū vt suū coleret, Deus vero populū in suū adoptaret) fęderis librum, & obstrictū fædere populū sacrorum sanguine aspergeret, cōceptis verbis hæc edicens: *Hic est sanguis Testamēti, quē mādauit ad vos Deus.* Accuratè deinde cōtēplemur, vt matura iam tēpestate qua magnū illud consiliū (quod nobis omnimodè aperuerat) exequi destinauerat Numen, mortē scilicet pro mortaliū salute subire, Contēplemur, inquā, vt manibus sit amplexus calicē, Aeternoq; parenti grates habens, atq; illum in suum ipsius sanguinem traducens Discipulis propinauerit his verbis. *Accipite, & bibite; Hic est calix sāguinis mei noui, & æterni testamēti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Rem si, vt diximus accuratè perpenderimus momento perleui assequemur, hunc noui, & æterni fæderis, ac Testamenti, quod percussit cum mortalibus Deus, sanguinem esse, quem adumbrabat Sacrorum Veteris Testamenti sanguis (quod in Monte Sina Mosis manu, suo Deus populo impertiuit) quem inter pretibus Prophetis promisit, ac recepit populo Numen: Fidei deniq; Mysterium; in quo tota comprehenditur Fides; & quod omnem latè amplectitur. Ecquis igitur vsquam est præfracto adeo, asperoq; ingenio, qui Deum videat factum hominem, qui cęlestem hanc sacrarum literarum harmoniam intueatur, & in se acerrimè non desæuiat? Quis caucaseis licet rupibus pertinacior, si Deum extremà vitæ luce, cum eam hominum saluti esset immolaturus, sibi dicentem accipiat: Hic, hic Dei hominis sanguis est, quem tot vt impendentes scelestis capitibus Aeterni Parentis iras propitiem, prodigus omnino porgo effundere: meo, meo,

Sanguis veteris testamēti noui sanguinē id est, Christi adumbrabat.

Exod. 24.

inquam, sanguine pristinam Dei amicitiam emo Mortalibus, & meæ beatitudinis hæredes non inuitus scribo: nec pænitet pretij, mortales ne facite illius iacturam: hoc mei amoris pignus, vestræ obliuionis stimulum, exilij leuamen spem felicitatis tutam licet sub nube supremo mortalis vitæ die relinquo; Quis, inquam, caucaseis licet rupibus pertinacior, non eam animo imbibit teneritudinem, vt vel ipsa ab amore vita elangueat, vel ipse præ ardore à vita desciscat. Intimis infixum sensibus, & penitissimis indutum medullis hærebat telum hoc illustrissimo illi gentium Doctori, qui præ animi ardore vix sui compos græcam Philosophiam hoc vno Christianæ Fidei Mysterio lacessebat. *Ego*
1. Corint. 2. *fratres iudicaui me inter vos nihil aliud scire, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum.*

Animantium sacra parui Deus fecit.

XXIV. Nunquã profecto Deus carnalia animantiũ sacrificia vllo duxit pretio. Quod quidem ita habet verissimè, vt si redierimus in memoriam principij, & institutionis sacrorum, quæ Deus sua in lege iniunxit populo; occurret protinus menti Deum, priusquam populus in monte Horeb, fœdum, ac pessimum Idololatriæ facinus consciscceret, suam Mosi dedisse legem, quam ille indiceret populo; In qua certè lege Decalogi dumtaxat præcepta, ea nimirum quæ vulgò diuinæ legis præcepta appellamus, præscribebantur. In huius planè legis obsequio, & obseruantia, nullâ iniunctâ Sacrorum Religione, omne sibi debitum officiũ collocauerat Numen: Ruptis post modum legis â Vate tabulis, eo quod populus cælestes honores vitulo exhibuerit Sacrorum ritus instituit Deus. Rudis, Rebellisq; populi imbecillitati animantium sacris consuluit: Sapientis, obnoxijq; hoc est, Christiani populi virtuti his spiritalem nucleum continentibus sacris prospexit. Hunc videtur sensũ obtinere Ezechielis Oraculũ *eo: quod iudicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & Sabbata mea violassent & post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent*: addit è vestigio Vates: *Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne, quod apperit vuluam propter delicta sua.*

Ezech. 20.

Ea

XXV. Ea Deus præcepta non bona dicit, non ideo, quia praua, à Deo enim, à quo nihil non bonum, lata sunt: Sed vt inanem ducimus medicinam, quæ laborantem in rectam valitudinem non restituit, ita inanis æstimatur lex illa, quæ ad sempiternam beatitatem non munit viam. Quod vero lex ex se vitam non impertiri dicatur, id est in causa; quia nullus æternam salutem adspirare potest, qui Orbis seruatorem non fide, & Religione excipiat. Seruator autem occlusas Cœli fores suo erat sanguine reclusurus. Prisca etiam lex, si Euangelicæ conferatur, non bona meritò noncupatur: *lex enim non potuit ad perfectum ducere*. Perficere enim sola potest Euangelij, virtus.

XXVI. Talmudisticæ disciplinæ Doctores, quemadmodum author est Galatinus, eandem, quam nos, doctrinam tradunt: Inquiunt enim Messiæ aduentu prisca Legis sacra expiratura, quibus præstantissimum, incruentumque eiusdem Messiæ corporis, ac sanguinis sacrificium erat sufficiendum. Rabbi Ioai, qui multis ante Christum annis in viuis fuit, illa Numerorum verba exponens: *oblationem meam panis mei* disertis inquit verbis: Messiæ temporibus omnis intercidet Sacrorum multitudo, verùm panis, ac vini Sacrificium nullo temporum limite circumscribetur. Idem conceptis verbis adeundem Numerorum locum asseruit Rabbi Phinees Iaii filius. *Rabbi Ioay.* *Rabbi Phinees.*

XXVII. Latet neminem, simul atq; Veritas & Christi Euangelium Orbi illuxit, omnem vmbram Rituum, & Sacrorum multitudinem, cęterasq; Mosaicæ Legis figuras à Sacrosancta Ecclesia omnino euanuisse; Suo nimirum munere, hæc omnia fuere defuncta, & explerunt vicem, cui illa destinauerat Deus, vt perducta ad summum testudine ligneum abijciatur fulcimentum. In quorum feliciter locũ Euangelicæ Legis Sacramenta, ac ritus suffecta sunt: *Ne memineris priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua*. Inquit Deus, Isaia interprete, & Ieremia internuncio: *Ecce dies venient, & non dicetur vltra: viuit Dominus, qui eduxit Israel de terra Aegypti*. Qui vero dies hi sunt, nisi quos in præsens in nostri assertoris aduentu nostra

Veteris Legis Sacra materiere, vbi Euangeliũ illuxit.

Isai. 2 ?.

Ierem. 16.

ſtra minores felicitate amplectimur? quibus planè diebus noſtrum omnium memoriam fugit, vt Aegyptiaca ſeruitute oppreſſum in libertatem populum vindicauerit Numen; vt Maris Rubri vada, vndis àlatere in colles clementer aſſurgentibus, ſuperſtiti greſſu ſuperauerit Iudaica multitudo: vt prodigijs maximis ſolitudinem Deus impleuerit, & promiſſam tellurem illuſtrauerit: ſed toti effuſi in gratias Deum laudibus enixè proſequimur, & lætitijs omnibus indulgemus; quæ enim, Deum immortalem in nos ſunt cõgeſta beneficia! Nobis noſtræ eſt mortalitatis nube obtectus: Nobis ſæuiente temporis inclementia Bethlemico in tugurio eſt natus: Nobis acerbiſſimos cruciatus, ipſamq; mortem ſubijt: nobis ſurrexit: nobis Cœlum tandem cõſcendit: quibus ita præclarè admodum, clementerq; geſtis ſempiternam hominum libertatem cõparauit. Quod Ieremias ſequentibus deinceps verbis expoſuit: *Sed viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aquilonis, & de vniuerſis terris, ad quas eieci eos: & reducam eos in terram ſuã: quam dedi Patribus eorum: Ecce ego mittam piſcatores multos, Dicit Dominus, & piſcabuntur eos*. Veræ cultores Fidei hi veri ſunt filij Iſrael: teterrimum ſeculi huius chaos Babylonem jure dixeris: à quo Deus eligit, & eripit quotquot ſibi in delicias optat: eoſq; in maiorum Patriam ducit; hoc eſt, in terram illam, vbi nullum mortis Imperium, vdi longè, latèq; patent vitæ regna, quam promiſerunt Patriarchæ, prænunciarunt Prophetæ, & indicarunt Apoſtoli, qui fidelium parentes, à Chriſtoq; piſcatores extiterunt; Quod in Orthodoxa Eccleſiâ latè per Orbem diffuſa nulli non obuium.

Suam Legem ſcripſit Chriſtus in hominũ cordibus animis notis.

XXVIII Extra omnem controuerſiam, & nulla agitãdum lite eſt; Refigendam veterem legem, vbi ſoſpitator Orbis ſuo illum aduentu fortunaret: aliam deinde legem ab ipſo afferendam, & ferendam mortalibus, quæ Moſis ſanctiones præſtantia longè relinquerent. Quemadmodum apud Ieremiam receperat Deus: *Dabo Legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. Duo nobis hoc loci edixit Numen: primum, nouum cum Iſraele, &

Ierem. 31.

Iuda

Iuda fœdus icturum, quod longè aliud ab illo esset, quod cum illorum parentibus percusserat, cum excusso seruitutis iugo illos ab Aegypto eduxit: alterum deinde, figendam nouam hāc Legem intimis populi visceribus, & corde pœnitus consignandam. Quod idem est, ac si diceret, in Messię aduentu nouam fœderis rationem initurum suo cū populo, & illius in cordibus plenam amore Legem exaraturum, quam grandioribus Fidei characteribus, & charitatis flagrantissimæ notis in animorum medullis venustissime scripsit Christus, cum induit humanitatem, & mortem in hominum gratiam, ac salutem oppetijt, Christi enim lex tota innititur amori.

XXIX. Accurata etiam animaduersione opus illis Ieremiæ verbis: *Dabo legem meam in visceribus eorum*. Moseos sancita describi in tabulas imperauit Numen; Christianam verò legem cordis, & animi commissurum se chartis pollicetur: *In corde eorum scribam eam*. Cuius rei ea est ratio: Temporis obnoxia iniurijs senio conficienda erāt Mosis præcepta; Contra, Christi lex, mundi æmula diuturnitati nullo vnquam tempore abroganda; mandentur igitur tabulis Mosis iussa, vtpote quæ infrusta potuere disrumpi; At Christi lex adamantino calamo animis nunquā perituris inscribatur; cum enim animus ære sit perennior, & interitus vires eludat, cui aptius committeretur lex, quę nullo temporum decursu consenesceret? Gratiæ planissimè lex! nouæ certè præceptiones, quæ veterum sanctionū venustatem obscurarunt: vt iam dudum, Mose interprete, significauerat Deus: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi, qui autem verba eius, quæ loquetur nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam*. In quo certè loco (qui Messiæ aduentum attingit) planum facit, noua ab illo orbem instruendum esse disciplina, & recentibus homines legibus moderādos. Atq; ita inter Talmudisticos Magistros vulgo cōuenit, Messię legē primas tantum esse laturā Mosaicæ, quantum Christus præstat Mosi. Obuium id cuiq; est in explanationibus ad Eccle-

Euāgelica lex cordis tabulis cōsignanda.

Ecclesiasten : quod apud Isaiam ita etiam prædixit Numen. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Hanc vero Legem Euangelium esse apertissimè constat; quippe quod à Ierosolymis in Orbem vniuersum dissemi-narunt Apostoli, & Christi discipuli, hanc primum felicitatem Israelitico Regno omnibus ex inde terrarum plagis minimè auare patientes : Quod quam longe aliud a vero esset, si quis Mosaicis præceptionibus vellet adscribere, nemo non videt; quippe hæ in Sina monte ortum habuere, vnde Ierosolymam perductæ sunt; & præfixa ibi meta tenuere omnino cursum. Contra, Christi Euangelium, si quæ sunt extra anni, solisq; vias, felicissimè terras peragrauit, vt omnibus fidem faceret, eam esse Christi Legem seculo superuicturam, & nullum aut locum, aut populum repudiare, imo omnes inuitare enixè ad salutem. Die illa auspicatissima, qua se circūfusis vndequaq; radijs in Christi alumnos Diuinus amor largè admodum effudit, & Christianæ Legi dicendæ initium factum est, confluxisse Ierosolymam ex omni hominum genere, quod vbiq; terrarum
Luc. 17. est, testatur Lucas: *ex omni natione, quæ sub Cælo est.* Quid totus in Vrbem confluxit Orbis? Promulgabatur videlicet lex, quidquid vsquam est hominum, obtentura quibus Euangelicæ disciplinæ sementem mandarunt Apostoli.
Isai. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Præcinuit Isaias, quod in Paraphrasi Chaldaica exponitur in hunc modum. Recentem auidè doctrinam maxima voluptate perfusi arripietis à Iusti, idest, Messiæ electis: aquas disciplinam, quæ est Christi Euangelium, interprætatur: fontes vero, quos Christus sibi secreuit, Apostolos, ac Discipulos extitisse, qui illius disciplinam in Orbem vniuersum commisere imbueruntq; Lege mortales, quæ è Sion, tanquam ex carceribus emissa ipsis, quæis Orbis, finibus continetur. *De Sion exhibit lex.*

Refelluntur Iudæi, qui inquiūt posse Mosis Legem cū Christiana compati.

XXX. Ex quo ingens Iudæorum error prorsus refellitur. Hi enim inquiunt, posse vtramq; Legem æquè vigere; & veluti diuiso inter se Imperio, posse, & Christi disciplinam, & Mosis sancita regnare. Quod planè est alienum

num à vero: quemadmodum Isaiæ Oraculum demonstrat: *De Sion exibit lex*: non ibi perstituram, sed profecturam inde affirmat. Mosaicæ enim sanctiones cœremoniales in Sina ortum, cursum in Sion tenuere: Ast vbi hæ commorantur, nullam trahit moram Christi lex: apprimè dissident inter se. Quid enim gratissimis nouæ Legis radijs, & Christi disciplinæ cum inanibus priscæ legis vmbris, Rancidaq; superstitione fœderis intercedat? Huiusmodi etiam argumentatione strenuè admodum infringitur alter Iudæorum error, qui, inquiunt, parui esse momenti, Christi Legem fateri verbis, modo affixæ sint cordi Mosis sanctiones: quod quàm vero pugnet, haud difficulter patet, si enim ab eodem loco Christiana Mosaicam Legem excludit, qui eodem in homine patietur? Quin lex non cordis tantummodo penetrale exigit, amat etiam linguæ Theatrum; si enim solis in verbis lex hæret, dicas potius simulationem; Si corde tantum retinetur, non est è iustitiæ munere, sed damnationis argumentum. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem*. Fallitur itaq; egregiè, qui alteram legem verbis coli, alteram posse corde teneri arbitratur. Rom. 10.

Lex e corde, et ore versari debet.

XXXI. Strenuè à nobis Iosue militat, qui habebat à Numine in mandatis, vt diuinam Legem continenter versaret labris: *Volumen Legis non recedat de ore tuo*. Quid? non acquiesceret Numen, si illius è corde numquam excideret? ægrè quidem. Lex enim quamdiu proba, & integra ita debet sui amore pectus implere, vt resudet in verbis affluenter, si enim hæc illius præsidio destituuntur, nihil solo in corde emolumenti affert: *Ore autem confessio fit ad salutem*. Moseos igitur lex cum iam in superstitionem deflexerit, nullum aut cordis, aut oris locum caste quidem occupabit. Ex prophetarum deinde Oraculis, & Hebræorum Magistrorum explanationibus dilucidè admodum cognoscitur, post quam humanæ salutis author Orbem sui aduentus compotem fecit, nefas prorsus esse sacra, veteresque solemnitates peragere, quibus Iudæi refricabant Prodigiorum memoriam, quæ Deus in sui populi gratiam Ios. 1.

 per-

perpetrat, abrogata funditus exinde esse, quæ Deus de cibis præcepta tulerat: sed omnia nouam tum rerum, tum verborum faciem indutura, quemadmodum ait Angelicus Doctor; vt inaudita, longèq; antiquis præstantia fuere, quę suo Deus populo clementer admodum contulit. Id ipsum Hebræi interpretes non ineptè aperiunt ex explanatione loci illius: *Dominus soluit compeditos*: Vbi fatentur ingenuè, in seruatoris aduentu nulla cauendum Lege esse de carnium delectu, alijsue id genus rebus: eademq; mortales potestate vsuros, qua Noemi temporibus victitabant, per id enim temporis ijs quisq; carnibus indulgebat, quas condiebat voluntas.

Dei immutabilitas nō obstat, quo minus legē Mosis rejecerit, et tulerit Euāgelicam.

XXXII. Nec magnæ est molis, quod de hacce re opponitur debellare. Opponitur autem Deum, cum nullam subeat vicissitudinem, eam quam sanxit Legem, quo mortalium animos sibi arctius deuinciret, eamdem omnino, & nulli obnoxiam mutationi retinere æquum esse: illam etenim, illiusq; sanctiones æternas idcircò dixit, quibus obtēperare in perpetuum iussit mortalibus, Sanctum nimirum haberent Sabbathum; tenerent Circumcisionem; festas Paschatum ferias religiosè peragerent, neq; alias præterirent in terra illa felicissima, quam non vulgaribus à Deo obstricti beneficijs comparabant: æternum deindè abstinerent cibis, cæterisq; quibus Lege interdicebantur. Non magnæ, inquam, hoc est molis, facili enim declinatur responso. Licet enim Deus suapte natura omnem rerum vicem effugiat; & nihil in illum liceat mutationi; tamen vt cęteris varietatem infert. ita mortalium res, prout ipsis expedire noscit, alio, atq; alio flectit. Hinc in ipso nascentis Orbis exordio iniunxit hominibus Legem, vt arborum videlicet fructu terræq; herbis, parabili quidem victu ad implenda naturæ desideria defungerentur post Vniuersam terrarum eluuionem, vt non nihil cupediæ hominum auctæ concederet, terræ animantes, aëris volucres, maris pisces, in apparatissimas epulas tribuit, tota famulante hominum voluptati natura, vt Dei voluntati famulantius homines inseruirent.

Haud

XXXIII. Haud secus itaq; quamuis scriptam Legem Deus populo in perpetuum irrogauerit, in id vsq; tempus, quo mortalium vindex nouam illis legem impertiretur, seruatam voluit; cumq; eiusce temporis spatium ad mille, & quingentos annos prorogaretur, non immerito prolixũ adeo spatium æternum nuncupauit vulgare enim, ac solemne est in Sacris Litteris, quod diuturnum est, æternum vocitare. Sub manum ipso in populo argumentum est. Cum enim Deus promissam tellurem illi committeret, illamq; æternum minoribus daturum, Fidem suam obstrinxerit Patriarchis; mille tantum, & quingentos annos hanc obtinuit felicitatem; in quo sanè temporum interuallo non semel sunt illa eiecti; Iam vero ab Assertoris nece numquam in posterum recipiendam amisere. Vnde planissimũ fit non semper præcisè æternum, aut fine carere, quidquid perpetuum dicit Sacra Pagina; sed quo suę consuleret Fidei, satis fuit, quam rem perpetuam dixit, bene longo temporis interuallo perstitisse. Quam in rem exempla passim obuia sacris in voluminibus.

XXXIV. Et licet expirauerit, quidquid, ad ritus, iudiciaq; attinebat; quidquid tamen morum integritati consulebat, vt certe erant Decalogi decem præcepta, id antiquam retinuit vim, nihjlq; prisci iuris amisit, sunt enim ingenitæ à natura leges, quas vnquam deserere nefas est. Ea propter laturus Legem Deus magno est vsus discrimine hasce inter res. Præcepta enim, quę in Decalago (quod appellant) continentur, lapideis tabulis exarare præcepit Angelis; & quòd nulla vnquam diuturnitate obscuranda, in Testamenti arca diligenter iussit adseruari, qui quidem locus cœteris præstabat sanctimonia, & Sacra Sedes erat, qua diuina prodibant oracula; & vbi familiarius adesse præseferebat Numen: quo nimirum illorum perpetuitatem denotaret, & illorum obseruantiam à mortalibus exigere se se perpetuò ostenderet; eodem planè consilio virgam eodẽ loci imperauit apponi, vt ibi minaretur virga supplicium negligentibus, vbi lex diligenti Religione seruabatur. Quę verò ad ceremonias, Iudiciaq; attinebant, vt erant minoris

Mosis pręcepta, quæ ad Decalogum pertinent, etiãnum perseuerant.

momenti, & nouæ Legis promulgatione peritura, non Arcæ Adytis sunt excepta, sed interituris animantium pellibus descripta foris retinebantur.

Quomodo colendũ est Sabbathũ. XXXV. Certum quidem est, Decalogi præceptis cautum esse, vt maxima Sabbatho adhiberetur Veneratio; quæ sanè præcepta non imus inficias; esse perpetua; Verum etiã planum est Rituum Religionem morum hic disciplinæ adiungi. Quod moribus consulit, sanctissimè diem septimum peragere nos monet, id est, immortales persoluere Numini gratias, qui nos omnes è nihilo duxit ad hanc lucem, & maioribus in dies beneficijs auget. Cæremoniæ hanc destinabant diem ad id muneris. Itaq; morum disciplina, quæ diem hanc Numinis cultui sacrare imperat, ea quidẽ perpetua est. Rituum Religio, quæ hanc præcise lucem his addicebat officijs, ea quidem euanuit, quæ etiam ruina inuoluit alias priscæ Legis figuras, rem ita Orthodoxa Ecclesia optimè constituente. Enimuero Apostoli attento animo perpendentes, vt Summus Opifex Deus Vniuersam Orbis molem intra diem sextum excitauerit, septimo vero die tanti laboris onus veluti leuandi animi causa deposuerit, eumq; sibi sacrum voluerit, quo mortales quotidianis curis valere iussis diuinis tantum laudibus studerent; Dein vt conditor idem immortali circumfusus gloria surrexerit Victor è tumulo; vt sex priores dies sex mundi ætates retulerint; Sabbathum vero septimam expresserit, in qua sempiterna felicitas exprimebatur, qua bonorum animi cœlesti in Patria perfruuntur: vt Christi resurrectio spes fuerit, & prolusio Resurrectionis gloriosæ, & absolutæ Beatitudinis, quam Sancti ijdem octaua in ætate erant obtenturi; hæc, inquam, attento animo Apostoli perpendentes iure planè optimo instituere, vt Sanctus haberetur ille dies, quo die Triumphum egerat à morte Christus, & immortali indutus splendore se rursum Cœlo restituerat. Cuncta mirè oculis subijcit non ignota Ambrosij sententia: *Sicut spei nostræ octaua perfectio est, ita octaua summa Virtutum est.*

D. Ambros. in Ps. 118.

XXXVI. Quidquid deniq; magnum, præclarumue veteri contigit Synagogæ, id omne prolusit his rebus, quæ in

noua

noua Christi Lege euentura sperabantur. Eaq; extitit ratio vt affirmat Maldonatus, cur Christus, cum Iudæis dixerit, idcirco illos Fidem sibi non habere, quia illam Mosi abrogabant, qui quidem Moses multis de Christo egerat, *De me enim ille scripsit* non priuatum aliquem locum designauerit, quo sermonem de illo haberet Moses. Locutum, quidem, ait, sed quibus in locis, tacet: merito nullum indicat, quia nullus non nisi illum indicabat. Ioan. 5. P. Maldon. 161.

XXXVII. Præcipua strictim perstringamus. Agnus ille, quem in Aegypto Iudæi immolarunt, cuius sanguine oblitæ Israelitarum fores cœlestes iras, totā penitus euertentes Aegyptum, à se impunè declinarunt, adumbrabat apprimè Sacrificium, quod mitissimus IESVS ad Crucem affixus æterno Parenti obtulit, quo veri Israelitæ (ij profectò sunt, qui Deum vere intuentur, & Redemptionis mysterium Religiosè venerantur) impendentem sceleribus necem superstites effugerent.

Agnus, quē in Aegipto immolarūt Hebræi, Christi sacrificiū referebat.

XXXIIII. Cum Israelitæ sicco rubri maris vndas traiecere vestigio, Pharaoni indignantibus fluctibus toto cum exercitu submerso superstites, spiritalem animi ablutionē, quæ fit per vitales Baptismi aquas, haud ineptè expressere; in his enim lustralibus aquis rectæ Fidei professores Diuinam ineunt familiaritatem, & salutis viam aggrediuntur; saluberrimis Baptismi fluctibus (omnem collocante operam Christi sanguine) illorum scelera, Cacodæmonis, totiusq; Tartari potestatem inuoluentibus.

Maris rubri traiectus, Baptismatis aquas expressit.

XXXIX. Quam iniere viam per auia, inuiaq; solitudinis in promissam Tellurem Hebræi, prænuncia illius erat, in quam se se dant veri huiusce seculi peregrini, ij nimirum, qui ad Christi vestigia imitanda toto incumbunt pectore; & obfirmato ad asperrima quæq; tolleranda animo Cælestem tantum Ierosolymam adspirant promissam vere tellurem, vbi voti tandem aliquando compotes facti acquiescunt in illa pacis Visione (eam habet notionem Ierosolymæ nomen) hac illi in felicissima illa Beatorum Patria, nulla offusi caligine, Aeterni Numinis conspectu, beátè admodum perfruuntur.

Israelitarū in Ierosolimā iter nostrū in Cęlum designabat.

Manna

Mãna Eucharistiæ typus.

XXXX. Manna;quo Deus conquisitissimo veluti epulo suum persolitudinem populum excepit, obscurum minimè typum Christi corporis, sanguinisq; Sacramenti præferebat, quod Orbis Assertor hominibus optimè meritus extremo penè vitæ articulo sui amoris pignus pergratissimum reliquit, quo mentem, quoad in carcere mortis huius retenti vitam duxerimus, reficere, & planè possimus confirmare. Quàm dilucidè Regius Vates rem aperuit, cum cœlestis, & Angelici panis nomine Manna decorauit. Siquidem Manna nec cœlestis,nec Angelicus panis extitit; quem enim latet, non eâ esse Angelos naturâ, quæ mortali egeat victu? obuersabatur igitur Dauidis menti Diuinus animorum panis Christus IESVS, vnigenitus Dei Filius, cuius beatissimo in conspectu cœlestes Aulici suam collocant felicitatem, qui è patrio sinu in castissimos Virginis amplexus deuolauit, cuius in vtero nostram sibi induit mortalitatem, seq; panis, & vini tectum specie animorum vitæ, spiritualiq; saluti consecrauit: vt dominus idem, & conditor explicuit. Quod iam olim Manna idem adũbrabat, nunquam enim aduersa Hebræi vsi sunt valetudine, quamdiu huiusmodi epulo indulserunt. Cecinit in hunc modum Dauid: *eduxit eos cum argento, & auro, & nõ erat in tribubus eorum infirmus*. Id tamen Iudæos velim monitos, Manna videlicet ad quadragesimum annum maioribus fuisse suis impertitum: At sui Corporis Sacramentum pollicetur Christus, recipitq; affuturum nobis, *vsq;ad consummationem seculi* figuram nempe Eucharistiæ Manna gerebat: illud euanuit; hæc vero perstat; Illud, vtpote quod temporis decursui obnoxium; hæc, quippe nullam temporum subitura vicissitudinem,& solo, quo Orbis,claudenda termino.

Non laborabant Hebræi, qui Manna vescebantur.

Psal. 104.

Fons è lapide emicans Christum adũbrabat.

XXXXI. Illa etiam larga aquarum scaturigo,quæ è lapide affluenter adeo emicuit,vt ardentem populi sitim non modo sedaret, sed quodammodo etiam lenocinaretur, Christum liberatorem haud inuenustè adumbrauit, qui ad infelicem seculi huius fundum transmisit, quem disciplinâ suâ subigeret, atq; excoleret; & inexhaustam voluptatum

sitim

ſitim in ſui cultoribus diuinæ gratiæ flumine ad plenum extingueret, & profluentes felicitatis æternæ votis largiſſimè fontes eorum in cordibus eliceret. Non fefellit id Paulum; *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra; Petra autem erat Chriſtus.* Fuſus ex ære ſerpens ligno in deſerto affixus, & ſublimi in loco conſtitutus; cuius ad aſpectum quotquot venenoſis ſerpentū morſibus laborabāt, integram reuocabant valetudinem, expreſſit graphicè ſeruatorem, qui ſalutari ligno ſuffixus in montis vertice collocatus inuitabat ad vitam, quotquot ſuos ad illum oculos conuerterent, quemadmodum nos ipſe docuit: *Sicut Moiſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari opportet Filiū hominis, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat; ſed habeat vitam æternam.* Cur vero Chriſtus ſui prænuncium ſerpentem optauerit, ea eſt ratio; vt nobis ſcilicet ſuaderet, nihil ſe omnino prætermiſiſſe, ſed mortem, & id genus mortem, Crucis nimirum ſubijſſe ſceleſtis vndiq; ſtipatum (id enim præmonſtratum eſt à ſerpente) quo nos à ſempiterna calamitate redimeret. Agedum, tecum mihi res eſto Iudeæ? Vbi tum temporis Teſtimonij Arca? cui illam cōparandæ ſalutis cauſa intueri non iuſſit Numen? quandoquidem ibi Moſeos decreta adſeruabantur? Quid opis eſt in ſerpente ad leuandos ſerpentum morſus? mordet te forſitan conſcientia ſcelerum? & ne tibi ipſi bellum inferre videaris, obſtinatè taces. Da mihi pauliſper operam; Idcirco ad ſerpentem ſalutis candidati obtutum iubentur intendere, quia Crucifixum ſoſpitatorem ſerpens ligno ſuſpenſus denotabat; At vero nullus gratiæ vitam aſſequitur, qui in Moſeos lege ſpem collouerit ſuam; ſed qui ſalutare Crucis lignum, in quo ingemiſcente naturâ humanæ libertatis Author pependit, totis oculis fuerit amplexus, is videlicet venenatos Tartarei ſerpentis morſus effugiet, & integram animi ſanitatem recipiet: nullum mortales debent Moſi de valetudine beneficium; totum referant Chriſto acceptum æquum eſt. Agite, & tandem aliquando intelligite, qui veſtram vni Moſi addicitis credulitatem, quem ille ſerpentem extulit in deſerto, Chriſti ſpei noſtræ, & ſalu-

Serpens in deſerto euectus Chriſtum Cruciaffixū exprimebat.

Ioan. 3.

Christus est Sacrarũ Literarum clauis.

& salutis Parentis gessisse typum.

XXXXII. Quod si veterum Rabbinorum trita admodum doctrina fuit, comparasse clauem, quâ se in intima sacrarum literarum arcana penetraret, quisquis illius metaphoras, similia, parabolas, cogitatione comprehenderet; certum etiam omnino est, & minime alienum Euangelica Veritate, sacrorum voluminum clauem Christum IESVM. Dei Vnigenitum, & Mundi Redemptorem esse: Enimuerò suo in Orbem aduẽtu apertum egregiè se se præbuit intellectus Vaticinationum, figurarum metaphorarum, ac veteris Testamenti similium, nempe omnia noui Testamẽti mysterijs musicè admodum concinebant. Huius disciplinæ magistrum adeptus est Ioannes Cęlestem Aulicum. Obortis effusè lachrymis, sensibus Ioannes dolebat intimis; & acerrimi fletus id causæ erat; nullus vsquam mortalium erat, qui refertum mysteriis librum, sed signatum strenuè sufficeret aperire. Iuit Angelus obuiam dolori, & lachsymis; Leonemq; obtulit, qui prouinciam istam subiret: *Ecce vicit Leo de Tribu Iuda, radix David aperire librum, & soluere septem signacula eius*: *Leo autem, inquit* Hieronymus, *de tribu Iuda Dominus IESVS Christus est, qui soluit signacula libri; non proprie vnius, vt multi putant Psalmorum David. sed omnium scripturarum, quæ vno sunt scripta Spiritu Sancto, propterea vnus liber appellantur*. Vt apertum, testatumq; est sacra in Pagina humanæ Redẽptionis Authorem nouam esse mortalibus Legem laturum, quo illos eximeret à criminum sordibus, & æterna exciperet felicitate: Ita exploratum ad liquidum est, planeq; compertum ex ipsis sacris literis, Christum IESVM verum esse Messiam, ac humanæ libertatis Assertorem, qui nobis gratiæ Legem impertiuit, quâ sanctitudini, & saluti mortalium consultum apprimè est. Perspectum deinde est Mosaicæ Legis vmbras ad nitidissimos Euangelij radios euanuisse; vt liquidò constat ex vno, & altero Testimonio ex veteri, quia eo temporis articulo, quo Sinam montẽ superauit Moses, vt Legem acciperet à Numine, spissa subito nebula intendit se Cœlo, effusaq, eum caligine circumsepsit

Apocalip 5. D. Hieron. in Isai. c. 29.

sepsit

sepsit: *Ingressus est nebulam* contra, quæ in Thabore nubes apparuit, vnde æterni Parentis emersit vox, quæ Apostolos oppidò edocuit, suo iam Orbem vnigenito frui, & mortem postmodum subiturum, vt profectò subijt, diffusis circumquaq; radijs mirandum in modum fulsisse testatur Math. *Math 7.* *Nubes lucida obumbrauit eos; & vox de nube: Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite.* Nihil lucis inter Sinæ tenebras; inter Thaboris lucem tenebrarum nihil? quid tantum creauit discriminis? In Sinâ aderat Moses, qui legem ferebat veterem nouæ prænunciam: In Thabore præerat Christus, qui legem figebat nouam explentem Veteris. Ideò è montibus alter offusus vndiq; tenebris intuentium oculos, & animos horrore submouerat, alter ambientibus blandè radijs omnium mentes ad sui contemplationem perduxerat; quid enim? ad eximium Euangelij splendorem subdititia Legis nebula non deficeret? defecit quidem, & diu exigit res, vt illæ etiam vmbræ deficiant, quæ Iudæorum obfirmatas mẽtes etiam num obducunt: faciles præbeant adytus Thaboris luci, siquidem euanuit Sinæ nebula. Sed fatum (si verbo licet vti) Iudæorum tenax! quò illustrioribus veritatis radijs circumfunduntur, eò intentioribus caliginis tenebris obcæcantur. Inexhausta gloriæ suæ ornatum suppelectili, sedentem internitenti natiuis gemmis solio Deũ semel aspexit Isaias; Vix dũ ea felicitate frui licuit, cũ spissius repente fumus Templum occupauit: *Et domus impleta est fumo*. *Isai. 6.* Intempestiuè effusum templo fumum quis æstimabit? sed diuino id cecidit consilio: Vt nimirum obdurata Iudæorum peruicacitas monstraretur, qui cùm apertissima luce Christum Dominum nostræ libertatis vindicem sacræ litteræ exponant, se se illi in iniquissimam caliginem immergunt: *Postquam terra repleta est gloria Domini*, inquit hoc loci Hieronymus, *Iudæorum templum impletum est ignorantiæ tenebris, & caligine, & fumo, qui noxius est oculis.*

CAPVT TERTIVM.

Iacob Vaticinij cum Christi Aduentu Harmonia.

Concentus ex Iacob vaticinio.

XXXXIII. DVplicem Iudaiſmi errorẽ nullo vnquam nomine excuſandos radicitus, ni me fallit animi, debellauimus, quorum alter Euangelicæ veritati labem aſpergebat, & pernegabat obſtinatè. Alter Moſaicas Sanctiones probas etiamnùm, & æternæ ſaluti minimè aduerſas affirmabat. Cum id planè tot argumentis è cęleſti Sacrorum librorum armonia petitis vehementér obſtrepat. Tertius verò error cauſa apertiùs cadit, & ſceleratiùs peccat; Ait enim: non adhuc Redemptorem Orbis aduenisse; Sed venturum; & ſuæ facturum dictionis, quidquid rerum vbiq; eſt: ad quod adulterino ſenſu præcipua Prophetarum eloquia deflectit, & præpoſtera alienaq; explanatione corrumpit ab ea, quæ tot annorum decurſu ipſos inter Iudæorum Magiſtros excepta eſt. In quo planè grauiſſimum ſcelus incurrunt, & Deum, atq; homines non vulgaritèr lædunt; quoduiſq; ſupplicium illorum ſcelere minùs erit; quippè qui prauo animi affectu, & quæſita ignoratione ſcelus admittunt, tametſi præcipuum huiuſce criminis pondus non in vulgus indoctum penitùs incumbat, qui literas fermè non attingit, nec ſacris in libris verſatur vllo pacto; imò nec ſuæ crudelitatis, ac fidei rationem noſcit afferre; ſed in eos prorſus conferendum eſt, qui aliquã ſtudijs nauarunt operam, & immodicos ſcientiæ cauſa gerunt animos, tantoq; alienæ ſalutis incommodo docendi Prouinciam ſuſcipiunt

Iudæi imperiti, et rudes non verum attingere ſtudent.

XXXXIV. Ab illiteratis ſcire ſanè velim, qua adducantur ratione, vt fidem legi adiungant ſuam, quam tot Viri Doctrinæ laude, ac perſpecta morum innocentia apprimè egregij, iam inde ab anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo

ſimo improbarunt; hominis vnius, alteriuſuè ſuo è genere, diſciplinæ obtemperantes, cum nihil aliud de lege explorauerint, niſi quod per ſummam imprudentiam indoctè, obtusè, & ſtupidè illius verbis inhæreant, quibus probam legem eſſe affirmat. Quem vnquam intellectum rudi adeò tarditati natura addixit, qui ſi aliquid ponderis, aut vtilitatis in dubitationem adducatur, non verum prorſus attingere ſumma ope nitatur? aut omni contendat ſtudio rem aſſequi, quam curat, & credere, & proſequi? cuius in primis improbitatis, vel potiùs ſtoliditatis comperti habentur Iudęi, qui analphabeti, & nullo vſi literarum commercio maximi rem momenti, vt certè eſt cuiuſq; ſalus, non ad liquidũ explorare laborant. Vno, vel altero innititur argumento vnaquæq; opinio, intimo videlicet vno, extimo altero. Illud è ratione promanat. Hoc Doctorum authoritati incumbit. quod igitur argumentum valet opinionem tegere, à qua, & ratio deſciſcit, & authoritas? vel qui eleuabit delictum, qui in ſalutis negotio totum ſe commiſerit indocti cuiuſdã arbitrio, nec ſequi inſtiterit tot preſtanti ſapientia Viros, diuino afflatos Numine, qui maturè admodum, tum ſuæ, tum alienæ ſaluti conſulunt. Rem perdidiſſe ſuam, de Prodigo teſtatur Lucas: *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam*, non fortunarum modò fecit iacturam, præcipuum intellectus traxit damnũ: *Diſſipauit ſubſtantiam, ideſt, intellectum*, exponit hoc loco Titus Boſtrenſis. minus, quod opes, maius, quod mentem perdiderit, nocumentum cæpit; acrius itaq; præmebatur inſcitia, quam inopia. Sed quæ tantum Prodigo cauſa peperit infortunium? Videtur ſubindicaſſe Lucas: *Adhæſit vni Ciuium Regionis*. Illius totum ſe addixit vnius imperijs, à quibus, nec latum pedem recedebat: qui quidem herus inter haræ ſordes omni exutus ciuilitate, maximam quibus cum agebat à brutis ſimilitudinem forſan didicerat: Hinc præcipuè ea damna in Prodigum profluxère quæ eadem de cauſa Iudæos peræquè premũt. Miſerum in primis Facinus! dolendam vehementèr Iudæorum ſortem! qui ſceleris a maioribus ſuis patrati ſuppliciũ volentes, videnteſq; obſtinata in ſe mente transfundunt: *Sanguis eius ſuper nos, & ſu-*

Luc. 15.

Prodigum acriùs premebat inſcitia, quã inopia.

Math. 27

& super filios nostros. Sed qui damnari pergit, non alia graditur. Si cæcus, se cæco viæ ducem præbeat in certum vterq; exitium ruunt: Ea est æternæ Veritatis sententia: *Si cæcus cæ-*
Matth. 15. *cum ducat, nonne ambo in foueam cadunt?* Qua sententia Iudæos Christus perstrinxit, *cæci*, inquit, *sunt, & duces cæcorũ.* Qui cum captus oculis sit, cęci alterius audeat gressum regere, nimij insimulabitur supercilij: Qui verò si cæcitate laboret, cæcum conducat alterum, cuius vestigia insistat, maioris damnabitur stoliditatis, quam caliginis: vt quisque est lumine destitutus, ita oculatum ducem inquirit; Quid ergo Iudæi omni mentis orbati lumine obnixè illorum disciplinam amplectuntur, qui cæca obsessi caligine in auia, & dirupta abeunt præcipites? sponte sui amantes exitij dicas. oculos in ducem eligit, qui casum studet declinare; se amat præcipitem dare, qui ductũ negligit oculorum; vel iniquiori consilio suppetitijs vtitur cæcitatis. In certam itaq; ruinam trahuntur, quia & ducti, & duces, luce spoliati, via, vel potius cœlo aberrant. Ad hos modò stultè doctos, hos cæcos, inquam, cæcorum duces, qui illos edocent religionem, orationis aciem conuertam. Dicant, amabo. Si verum æstimandum est, vti sane est, non posse Iudæos inter abrogari fidem; imò eodem, quo sacræ literę, habendum esse honoris gradu, quidquid de sacrorum librorum explanatione tradit, decernitq; Talmud, cùm præstantiores Talmudisticæ disciplinæ magistri sententiam tulerint suam, & calculis omnibus decreuerint, sacræ paginæ locos, ac Vaticinia, quę in nostrã sententiam adducimus, omnia esse assertori Christo abscribenda, quæ in ipso, haud dubiè sunt absoluta; quæ illos imprudens audacia occupat, vt tot, tamq; pręclara testimonia abnuant, & maiorum placita euertant, recentibus expositionibus præpostero flexu quæsitis, & tritis nunquã antea effugijs vaticinationum argumenta vitantibus? Sed imbelle est, quidquid est opis in effugijs. Qui enim sacræ Paginæ arcana iniquo explanant sensu, perleui momento capiuntur, eiusdem authoritate ad plenum explorata neq; hanc quisquam deinceps audet impetere. Petitionem in Christum fecit malus dæmon; petiuit è sacris voluminibus

Facile refellitur, qui Sacrã Paginam iniquo sẽsu interpretatur.

telum,

telum, quod in irritum cecidit, quia illo præpostere vſus eſt dæmon: *Quia ſcriptum eſt quia Angelis ſuis Deus mãdauit de te*: Hoſtilem Chriſtus repreſſit impetum tectus clypeo mire fideli, id eſt, alio ſacræ ſcripturæ teſtimonio legitimo acceptum intellectu: *Scriptum eſt; non tentabis Dominum Deum tuum*. Deſpondit animos dæmon; diſperataq; victoria telum abiecit. Cur non impetum recenti alio authoritatis præſidio innouauit? Nempè ſacrum Teſtimoniũ, quod rectè exponitur, facilè aliud iniqué perceptum deuincit: at verò quod probè expeditur, refelli neſcit: arenam decedit dęmon: At Iudæi deplorata iam ſpe victoriæ, perſtant animo etiam nùm obſtinato! Inſanam pròfecto voluntatis tenacitatem! & peruerſam intellectus caliginem! quę ad rationis imperium impenſius obfirmatur; & ad veritatis lucẽ obcæcatur hebetiùs. Math 4

XXXXV. Nullum tetriùs, aut indigniùs facinus Iudęi admittunt, quam diuturno admodum voto Orbis liberatorem expectare, quem dudum aduenisse certum eſt. Sed longe illud peius ea ſpe teneri, elapſis, tot annorum ſæculis, ex quo multis oraculis præmonſtrauerat Numen, legandum in Orbem Meſſiam. Quæ profectò ſpes multis, ijſq; firmiſſimis ſacrarum literarum argumentis è regione aduerſatur: quæ planiſſimè argumenta concludunt effluxiſſe tempeſtatem, qua terras dæmonum obſequio addictas ad Numinis religionem ſuo Meſſias erat aduentu traducturus, quod potiores obtinet, è Iacob petitur Vaticinio, & Iudæ faſcium vacatione. Vaticinij verba, vt sũt in editione, quam dicimus vulgatam, habent huiuſmodi: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium*. Iacob Vaticinium.

XXXXVI. Septuaginta interpretum editio, qui annis ante Chriſtum tercentum floruere, Ptolomæi Philadelphi Aegypti Regis temporibus, legit in hunc modum: *Non deficiet Princeps ex Iuda, & dux ex fæmoribus eius, donec veniant repoſita ei, & ipſe expectatio gentium*. Chaldaica Paraphaſis magna Hebræos inter dignitate, quam Rabbi Ionathas Vſielis filius, annis ante Virginis partum quinquaginta Septuaginta interpretum lectio. Paraphraſis Chaldaica.

ta confecit, explicat in hæc verba: *Non auferetur habens principatum à domo Iuda, neq; scriba a filijs filiorum eius, donec veniat Messias, cuius est Regnum, & ei obedient Populi:* Chaldaicam editionem Onchelos, qui, vti vulgo credunt Hebræi, Vespasiani ex filia, & Titi Imperatoris ex sorore nepos fuit, tanto cultu afficiunt, vt nulli illius sententiæ ire obuiam quisquam audeat, ex cuius Pantateuco elementarij pueri prima literarum rudimenta ediscunt; Vnde etiam lectiones decerpunt, quæ per Synagogas singulis quibusq; sabbatis Iudæorum vulgo traduntur. Hæc ergo ad hũc modum: *Non præteribit actor, vel factor potestatis, siue dominij Regis de domo Iuda, & scriba filijs filiorũ eius vsq; in seculum, quousq; veniat Messias, cuius est Regnum, & ei obedient, seu congregabunt se populi siue Nationes gentium.*

XXXXVII. Cum igitur haud aliter res habuerit, quã vt pollicebatur huiusmodi Vaticiniũ Vulgata Orthodoxæ Ecclesiæ ab editione interpretatum, & à tribus eximiæ adeò Hebræos inter authoritatis Paraphrasibus explanatum, quæ tantum temporis spatium Christi aduentum præuertere, Iudæ videlicet sceptrum, simul atq; Messias aduenisset, prorsus defuturum; Siquidem cum Iudaici Regni habenas obtineret Herodes Ascalonita Ethnicis natus parentibus, ac deesset ex Tribu Iuda, qui Reipublicæ clauo assideret, natus in lucem est mortalium libertatis vindex Christus IESVS, ex quo facile intelligitur, Christum Messiam esse quem suo in vaticinio promiserat.

XXXXVIII. Quod liquidiùs patefit ex veteri Talmudistarum Doctorum disciplina, quæ prædictionẽ hanc Messiæ perpetuo adscribit: Constat ex Genesi ad illa verba: D*onec veniat Silò*: vbi Talmudistæ: Donec veniat Silo, idest, Messias; ad quem sese populi aggregabunt, ipse enim æqua
Mich. 4. examinis lãce Mortalium opera librabit: Cecinit id Miche-
Isai. 11 as: *Iudicabit inter populos multos.* Assentitur Isaias, *Iudicabit inter pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Adstipulatur explanatio Hebræa super Ieremiæ Threnodia ad illa verba: *Elongatus est à me consolator.* Ad quæ expositio Hebraica: quo nomine appellandus Messias? qui è Rabbi Se-

bi Sela familia sunt, reddidere : Silo audit, vt est in Genesi: donec veniat Silo, qui est Messi as,

Vera Vaticinij enarratio.

XXXXIX. Maximo omnium digna est plausu illa huius vaticinij enodatio, & quæ quidquid poterat, inesse dubij, prorsus delet. Constitutum, ait, fuisse a Deo in Assertoris aduentus signum, Iudaici Imperij ruinam. Quasi Iudæos in hæc verba alloqueretur Numen. In ea vsq; tempora, quibus mortalium salutis causa humanam Redemptor naturam induet, Iudæi, (qui ita a Iudæ Tribu cognominati sunt) Imperium, Regiosq; Imperij fasces retinebunt; Vbi verò Messias aduenerit, amittent omnia in posterum; & vel ipse ab illis Liberator abscedet; præcipuamq; Ecclesiæ suæ partem ex Ethnico Populo construet. Non aliter, quam si funale cereum summa in turri accenderet, & Iudaicum Populum alloqueretur, non illud extinguendum lumen, donec adueniret, qui Orbem à dæmonis tyrannidè vindicaret; si elapsis mille, & octingentis annis defecisset funalis lumen & nullam ampliùs lucem progigneret, omnes quidem, modo tenebrici non essent, adesse Messię aduentui destinatum tempus, faterentur. Summum ergo Turris fastigium Iudæa extitit. Funale, quod in signum iussit prælucere, Iudaicum Regnum fuit, in quod illud extulit, & seruauit; vt apertè Dauid: *Paraui lucernam Christo meo.* Miris haud dubiè radijs Psal. 131. ad vsq; seruatoris aduentum eluxit: Verum vbi sceleratissimas illi manus intulere, & Diuino Soli necis tenebras ausi sunt offundere, extinctum omne est Imperij decus, & in tanti scęleris pænam omnimodam ruinam traxit. Quis itaq; audet adstruere, non adhuc sortitam fuisse euentum Iacob Vaticinationem? Is, credo, cuius menti nulla affulserit lux, & perpetua teneatur obstinatione. *Velamen positum est super cor eorum*: Inquit Apostolus, ardens huiusce populi lucerna, additq; *Cum autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Obductam menti caliginem ęxcutiet, cum resipiscere inceperit; Rem firmant, quæ sese tenebræ intenderunt Cœlo, cum Christus supremum mortalis vitæ actũ in Cruce egit; Animaduertit enim Mathæus trium horarum spatio permansisse tenebras, *à sexta hora vsq; ad horam nonam.* Si Math. 27.

terris

Iudæi aliquando resipiscent. terris incubuere vſq;ad hòram nonam;Reuixit igitur in reliquum diei tempus Iudæis lux, quod quidem argumento eſt,futurum tandem aliquando, vt conualeſcant à cæcitate:Ita Origines,qui verbis Apoſtoli innititur:*Quia cum plenitudo gentium intrauerit, tunc Iſrael ſaluus fiet.* Poſtquam enim ſeſe Ethnici Romanæ Fidei prorſus addixerint, ſe illi etiam adiunget Iudæus;Verum id quidem ſerò,flexo iam in veſperam die, hoc eſt, ad extremum illum diem, quo die vniuerſi Mortales in iudicium vocabuntur. Quippè tum temporis rerum nudata facie ſeſe prodent inanes adeò ſpes, quibus tenentur Iudæi, quibus ſexta etiam num imminet,longo adhuc à nona interuallo.Incubant admodùm tenebræ;nihil affulget lucis, cùm dudum Orbi illuxerit huius parens IESVS Nazarenus receptus in lege Meſſias.

Ad Rom.a

Iudæi refelli nequeunt ob mētis peruicacitatem.

L. Hanc planè veritatem teſtatisſimam nullatenùs Iudæi queunt effugere; ſed latebras quærunt,& ſanum ſacrarum literarum ſenſum corrumpunt; quos quidem refellere nempè obfirmatos, aerē eſt verberare, & potius eſſet iniuriam inferre, quam habere honorem veritati. Quin etiam nullius eſt momenti aſſerere,tanta annorum intercapedine, quot à Iacob interitu ad Redemptoris vſq; aduentum effluxere, Seruatorem nō aduenisſe,priuſquam deficeret Regnum à Iuda,ſed cum primus Rex externus,qui extitit Herodes, Imperij frænos moderaretur.Facilè enim reſpondemus: Iudæorum Regnum in Iudæ Tribu comprehendi, vt ſupra monuimus,quod dubitationem obtentam,aliaſq;omnino dirimit.Quod ſi ſtrictè de Regno,ac Iudæ ſceptro rem exponamus, locutum fuiſſe Vatem humano more non penitus diſplicebit adſtruere; non enim magnis in rationibus ad calculos exiliter ſingula reuocare ſolemus.Et cum ſatis compertum liquidoq; perſpectum habeamus,dudum iam acceſſiſſe humanæ ſalutis Authorem,Chriſtum IESVM, videlicet,primo,quia omnes in ipſo expletas Vaticinationes intuemur: deinde quòd Dominus idem,ac Seruator ita explicuerit: tertiò, quia rem innumeris prodigijs firmauerit: quarto, quòd Aeternus parens ſuum illi in Baptiſmo, ac Transfiguratione dederit teſtimonium; quid precor, loci reli-

reliquum sit dubijs? nedùm ineptissimis, nulliusq; ponderis.

LI. Cum verissimum itaq; habeat sacrari hanc authoritatem Messiæ, vt Sacrosancta Ecclesia semper obtinuit, ante, postq; Redemptoris aduentum. Attingamus subtilius quæ sunt in illa potiora. Primodùm omnium verbum, *Silo*, cuius hæc est notio, *qui mittendus est*, deducitur, vt est in nostra editione, à *Saloh*, eius est significatus, *mittere*, atq; ita antonomasticòs Christus dicebatur: *Qui mittendus à Deo est.* Cum enim Prophetas plurimos Deus legauerit, qui Orbem de Messiæ aduentu edocerent, minimè consonum rationi videbatur, quòd illorum quispiam illustri hoc nomine, nempè à *Deo missus*, decoraretur, hoc instinctus Numine Ioannes, hac affecit explanatione Natatoria Siloe: *Vade in Natatoria Siloe, quod interpretatur Missus*: Quasi humano generi consuleret (quod captus ille oculis exprimebat) vt, si amaret lucem, & se vellet eximere cæcitate, à Christo Domino opem rogaret, quem Deus Sacram mortalium saluti Anchoram, ac præsidium è Cælo miserat. Ioan. 19.

LII. Eam Numen Mosi Prouinciam commisit, vt se videlicet conferret in AEgyptum, indeq; populum tyrannidis seruitute miserè pressum assereret: onus laborauit deponere; id enixè a Deo efflagitans *Mitte, quem Missurus es.* Ecquem? dic, amabo, Moses? Hoc tibi imponit muneris. Minime; inquit Moses. Non tanti sum, vt tanti nominis omen implere valeam. Messiæ aptissimè, iniquissimè Mosi adscribetur. Mitte igitur, Domine, qui tantam valeat vicem subire, & tanti nominis onus queat strenuè sustinere: Mitte, quem missurus est ante omnium seculorum memoriam mortalium saluti destinatum, Christū nempe IESVM. Ex quo acriùs refellitur Iudæorum error, qui temporariū Regem, ac ciuilem Dominum Messiam sibi credunt aduenturum; Cum enim infimis Deum precibus rogaret Moses, vt tandem in terras Vnigenitum suum expediret, quando id negotij à Deo illi iniungebatur, vt populum vindicaret ab Aegyptiaca seruitute, Mosis petitionem non curæ videtur habuisse; quin oppidò mandata exequeretur, præcepit

Moses à Deo efflagitat, vt mittat, qui liberatoris prouinciā perfectè expleat.

Exod. 4.

Populum Pharaonis seruitute absoluere sufficit Moses: at sceleribus solus Christus.

arctissimè. Cur accuratissimas Mosis preces negligit Deus? Cur æquissimis votis non obsecundat? Nempè, id vnum per id temporis curabat Numen, vt á Pharaonis imperio in libertatem populum restitueret, non vero vt à scelerum seruitute eximeret, illius studebat libertati temporariæ; nō spiritali: At vero excutere Pharaonis iugum Moses sufficeret; populum verò culpæ imperio expedire id vnus Christus exequetur. Hinc sibi persuasum Hebræi habeant, Christum non ciuiles Principis functiones obiturum, sed spiritales tantum ac diuinas, quod decet hominem Deum. Politicum Imperium obtinebit rectè Moses sua cum Virga; Diuinum, ac spiritale Christum exigit sua cum Cruce, quo de Demone triumphum agat. Ea propter non Messias est legatus, cum in preces fusus est Moses, sed multis post annorum interuallis, cùm opportunius Diuinæ sapientiæ cōsilijs visum est; vti reapse aduenit, nosq; mali dæmonis seruitute suæ Crucis interuentu absoluit.

Siloh pacis vbertatem designat, quam Christus attulit terris.

Zach. 9.

Significat mulieris filium.

LIII. Quod si nomen *Siloh* ijs exaretur characteribus, quibus in præsenti apud Hebræos, pacis vbertatē designat, quam Christus mortalibus largissimè impertiuit: quemadmodùm prædixit Zacharias: *loquetur pacem gentibus*. Cui accinit Isaias multis in locis: Mulieris etiam filium, Siloh, significat: in quo plane sensu, vti author est Galatinus, Hebræi Christi assertoris conceptum in castissimo Virginis vtero agnouerunt; idq; diuini Spiritus virtute. quasi diceret: Muliere vtiq; natus; nullius verò ope Viri erit Messias: è fœmina quidem nascetur, nam augustissimam Virginem obtinebit parentem; nullius ope Viri, quia præstantissimū post creatarum rerum molitionem opus, vt est Christi conceptus, à Principe omnium artifice diuino scilicet Spiritu effici oportebat.

LIV. Admonitu etiā dignissimum est, quod vbi apud nostram Vulgatam legitur: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est*, apertè Paraphrasis chaldaica: *Donec ueniat Messias*: Septuaginta verò interpretati sūt: *Donec ueniant reposita ei*. Idest, donec eximia illa diuinæ clementiæ beneficia; quæ in Messię aduentu orbem mirifi-

cè

cè exornabunt, illi conferantur; quæ Catholicos inter Doctores germana est explanatio; ex omnibus itaq; editionibus, & ex Catholicis maiorum gentium Doctoribus haud dubiè assequimur, hanc Vaticinationem Christo manifestè adscribi, cuius profectò viuendi rationi, atq; operibus, cæterorum Vatum eloquia cõcordissimè responderunt; & à quouis alio erunt vehementèr aliena. Error etiam est minimè concoquendus illam addicere, aut Sauli, qui pristinos mores regnandi insolentia, & improbitate fædauit: aut Nabuchodonosori, qui Etnicis ritibus, ac superstitionibus inseruiuit; & Dei populum iniquè est insectatus; aut Vespasiano ijsdem de causis; aut Herodi Idololatræ, & immani feritate Regi, cuius breui perijt Imperium; & quorum nullus suum in Dauidem genus referret; qui poterant, si sacris litteris fides habenda est, vt prorsus est, ad Messiæ fastigium euehi? De quo non semel supra docuimus, ducturum à Dauide genus, & Angelus functus ad Virginem legatione: *Dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius*. Nec alij iure cuipiam valet accomodari, vt stultè nituntur Iudæi, cum sentiant elapsum iam dudum tempus Seruatoris aduentui præscriptum, quippè qui nobilissimum mysterium in Christi cruciatibus, ac nece comprehensum nullatenus assequuntur. *Luc. 2.*

LV. Nec Catholicam veritatem, quam sartam, ac tectam tot, ijsq; ineluctabilibus argumentis præstitimus, brachio, vel leui infringit, quod asserat vaticinatio: Sceptrum à Iuda non desciturum, aut illius è genere Ducem, Doctorem, aut Latorem legis, donec Messias Orbi sese conferret, cùm tamen in Babylonica seruitute defecerint a Iuda Regij fasces quos Iudæ Regnatoribus Nabuchodonosor extorsit: Machabæi deinde, quos penes Iudaicæ Reipub. arbitrium fuit, non è Iuda, sed à Leui virili serie genus trahebant suum; nullius, inquam, est ponderis huiusmodi argumentatio, nam, vt ex alijs Vaticinijs, & christianæ Religionis perfectione primum Iudæorum errorem refellimus, ex ijs etiam planissimum fit, hanc Iacob prædictionem in Christo fuisse absolutam. Et quidem, vt verum habeat Vaticinium, satis id est, quod Iudæ Tribus Principatum semper *Infringitur Iudæorum obiectio.* *Varij Vaticinij sensus.*

 obti-

obtinuerit, siuè cũ castra locanda essent, siué cum Rubrum Mare superandum fuit,siuè cum SacraDeo essent facienda; Vel quia Iudæ Tribus Reges postea creauerit;Vel quia domui Sanhedrim,cui præcipuum ius;Iudices ferè omnes tribuerit;postquam decem Tribus deletę omnino sunt in seruitute, quam imposuit ipsis Salmanasar. Vel quia Machabæi fæminea erant cognatione adiuncti Iuda:quæ explanatio minimè est contemnenda, sceptrum enim, & Iuda Ducem Prophetes nominauit, cum nihil esset, in quo cæteris Tribus illa præstaret, & vt consona veritati esset Vaticinatio,satisfuit vt annis postea quadringentis in Reges Iuda ortos sceptrum concesserit; & concilium Sanhedrim adnexos cognatione Iuda Iudices ferè omnes obtinuerit. Verũ enim verò sanior Vaticinij expositio est huiusmodi. Iudeos omnes designat in Iuda; quos Princeps Tribus cognomine suo affecit. Inquit itaq;Iacob. Iudaicum capessent Imperiũ eiusdem gentis Reges;obtinebunt quidem in promissa tellure ciuiles Reipub. functiones,donec humana mortalitate indutus terris Messias appareat; quod vbi præstiterit, ruet omninò in posterum Imperij decus, ac Reipub. Iudaicæ gloria; vt profectò in Seruatoris aduentu contigit, & fide est solutum Vaticinium miserando Regni exitio.Item Iudęi ipsi secũdum huius Vaticinij veritatem dedere.Illis in probri loco obiectabat Pilatus, quod ipsis suadentibus illorũ Regem Crucis damnaret. Magna illi contentione. *Non habemus,inquiunt,Regem,nisi Cæsarem.* Si dicto manent, à quo iniquum credant abhorrere; necesse est; suorum enim Antistitum,ac Sacerdotum præcipuè verba sunt: argumentum cõstruo cum Augustino ad hunc modum: Ethnicus, & non Iudæus Cæsar erat: Regem ergo non suum Iudæi habent: Aduenit igitur Messias, & absoluta est Iacob Vaticinatio. Vnde quod obfirmatè negare pergebant,vel nolentes fatétur. Ac tandem nè sibi fumos Iudæi vendant, reuocent in memoriam quid egerit Abrahamus, neq; enim id temerè, cum Ancillam Agar è domo proscripsit sua; præbiturus Viaticum exuli non capiti imposuit, sed humeris: *Surrexit itaq. Abraham mane, & tollens panem, & utrem aquę imposuit*

Iudęi,dum Cęsarem Regẽ suum appellarũt aduenisse Messiã testati sunt.

Ioan. 19.

Genes. 21.

fuit scapula eius : quo nimirum significaret Synagogam simul atq; à Deo repudiaretur, defecturam capite, quod diademate exornaret; sed solos habituram humeros, quos oneri subijceret: non imperantis, sed obtemperantis vicem subituram; non deniq; apparatissimo Reginæ in morem comitatu incessuram deinceps, sed vili ancillæ habitu omniũ despicatui opportunam obijciendam.

CAPVT QVARTVM

Danielis oraculi cum Christi veritate Harmonia.

LVI. IN Iudæorum caliginem sententiam etiam fert Danielis Vaticinatio, de septuaginta videlicet Hebdomadibus. Vaticinij verba habent huiusmodi: *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte, ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem vsq; ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erũt & ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius Populus, qui eum negaturus est: Et Ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit Populus cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio: Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadæ deficiet hostia, & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & vsq; ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.* His Vaticinij verbis, mirè conuenit Paraphrasis Chaldaica, quæ illud de Messia disertis exponit verbis. In qua planè prædictione tanta tamq; manifesta Assertoris Christi indicia mundo exhibet, & sola in illius fide salutem

Concentus ex Danielis oraculo.

Daniel. 9.

posse

posse comparari demonstrat; vt vnum hoc oraculum hanc veritatem suadere mortalibus posset, si affectâ animi ægritudine explicitî illam secum accuratè volutarint: In rem erit præcipua illius momenta diligentèr expendere.

Daniel à Deo postulat, vt Babylonicæ seruituti finem imponat.

LVII. Id omnium primum sit, elapsis annis septuaginta, quos Deus Babylonicæ seruituti addixerat, assiduam ad Deum præcationem intendit Daniel, corporis maceratione, & continentibus lacrymis ab illo eblandiri laborans vt imponeret tandem Populi exilio finem, & promissam præstaret fidem, qua se obstrinxerat, effluxo septuaginta annorum spatio populum seruitute expedire. Amauit Deus Danielis votum, ad quem Cælestem ex ephebis aulicum Gabrielem legauit, qui præsentem Vaticinationem eidem aperiret; Certioremq; illum faceret de beneficio, quod præstantia longe relinqueret illud, quod accuratissimis precibus contendebat à Numine: Exactis videlicet hebdomadibus septuaginta in septuaginta annorum gratiam, quos populus agitauerat in seruitute, mittendum à se in Orbem diuinum Assertorem, quem per tot seculorum decursum mortalium libertati tot destinauerat promissis, cuius interposita nece iras Numen poneret, & in sempiternæ vitæ spé erigerentur mortales. Diuini enim est moris maiora præstare, quam promittere. Dederat in promissis Simeoni se factum in terris hominem, illius aspectum subiturum, priusquã fato Senex occumberet: *Responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, priusquam videret Christum Domini*: At recens editus in lucem Dominus non sub aspectum modo, sed in illius etiam venit amplexus: *Accepit eum in ulnas suas*, quòd si vnquam apud aliquem, apud Iudeos maximè decumanos suæ liberalitatis fluctus effudit, quos ita indulgentèr amabat, vt cuiuspiam rei precationi multarum largitione responderet; & illorum in præcando auaritiem donandi munificentia anteuerteret. Suscripsit in præsens Danielis precibus, quibus Populi libertatem contendebat: cumulauit maiori beneficio, pollicitus Messiæ aduentum, qui populi scelera deprecaretur, & animorum libertatem reduceret: quem sanè Liberatorem habebant per

Deus maiora præstare, quam promittere solet.

id

id temporis in ſpe, in quam etiam hodie incubant, ſed mirum, quam ſtultè? Pergratum quondam faciebant Numini, ſpe hac ſuauiſſima teneri: qua modo niti iniquiſſimum eſt, tunc enim rectè, venturum nempè ſperabant; improbè hodie, quem enim dudum aduenisse certum eſt, etiamnùm ſperant: Verùm acerbiſſimum ideo ſupplicium illis irrogatur, quia fallaci pendent expectatione.

LVIII. Expendendum deinde eſt, Vatem ſermonem intendere ad temporis articulum, quo Chriſtus in terras erat venturus; quem Sanctum ſanctorum nuncupat; exponitq; inhibendum ſceleribus curſum, & muniendam Sanctimoniæ viam, fruiturum ſempiterna iuſtitia Orbem, & abſoluēda, quæ de illo Oracula literis erant conſignata: ad vſq; deinde illius aduentum hebdomadas vndeſeptuaginta exigendas, morte poſtmodum afficiendum Meſſiam; & Dei populum non eſſe æſtimandum, qui illum obſtinatè eſſet repudiaturus: Redigendã ad cineres Vrbem ſuo cum templo à milite, & imperatore, qui inſtructis illam copijs erat petiturus; & finem bello impoſituram perpetuam in poſterum euerſionem. In dimidio tandem extremæ hebdomadæ ſacra omnia miſſa facienda.

LIX. An poterat quicquam de Seruatoris aduentu apertiùs excogitari? Totum hoc, quantum eſt Oraculum, ſiuè aſpectu primo, ſiuè medullitùs inſpiciatur, momentis omnibus ad trutinam vocatis, Fidei noſtræ veritatem mirũ quam dilucidè patefaciat, quin faciat dubitationi locum. Inquit, poſt illatam Chriſto mortem, inferendam penitùs euerſionem Vrbi, & Templo. an abijt id vnguem à verò? imò quam verum habuerit ſuo ipſi ſunt periculo experti. Si rem non ita candidè Vates explanaret, poſſent, quãtumuis ęgrè, Oraculi vim perfidi ſubterfugere; dicerent enim fortaſſis, inexpletam adhuc hebdomadarum rationem, illaſq; ſua è voluntate interpretarentur. Sed cùm rem tamquam in tabella ſpectandam exhibuerit Prophetes, palamq; edixerit, depopulandam funditùs Vrbem ſimul atq; in Crucē Meſſiam rapuiſſent; quo nomine culpam deprecabuntur, qui in ſacris literis verſati prępoſtero illas ſenſu interpretãtur?

quo id enucleatius teneamus, præcipua Vaticinij capita ad examen ſubtiliùs vocare non ingratum erit operæ pretium.

Idem Angelus, et ad Danielem, et ad Virginē legatus eſt.

LX. Quod primum noſtræ ſeruit cauſæ, & attento voluendum animo, illud eſt, quod idem videlicet Angelus, qui Vati arcanum quondam nudauit, lætiſſimo Virginem nuncio affecit, cum illud exequi inſtituit Numen. *Gabriel*, inquit Daniel, *quem videram in uiſioue*, & Lucas: *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem.* Vtroq; idem munere fungatur Gabriel, idem myſterium Danieli aperiat in vaticinio; & idem myſterij effectum Virgini exponat in Euangelio, quo dicendi anſam Iudæis demat, alium eſſe, quem Angelus Vati promiſerat, & alium, quem Virgini profeſſus erat; Siquidem Angelus ipſe, qui fidem olim promiſſo obligauerat, illam modo re ipſa liberat; quam quidem minimè ſolueret, ſi cum aliū polliceretur, alium nunciaret. Id enim eſſet mendacij dedecus incurrere, cum donum promiſſis minimè fidelitèr reſponderet. Vt verò liquidiùs cōſtet eundem prorſus eſſe, qui è caſtiſſima Virgine humanam duxit naturam, & qui Danieli promiſſus ab Angelo eſt, componamus teſtimonij vtriuſq; harmoniam, veritatis concentum hauriemus. Chriſtum apud Danielem Sanctorum Sanctum cognominauit Angelus: *Vngatur Sanctus Sanctorum.* Apud Lucam cæleſtis ipſe legatus per antonomaſiā (quod aiunt) Sanctum dixit: *Et quod naſcetur ex te ſanctum uocabitur Filius Dei.* Et quidem bellè: *Filius Dei.* Quippè verbum illud, *Sanctum*, nullo arctatum limite vni tātum Meſſiæ adſcribi valet. Ipſi enim, qui Deus eſt, ingenita natura ipſa eſt ſanctitudo; & qua homo, vberiori à Deo gratia eſt impertitus, quam quidquid eſt rerum creaturarum, Imò quantacumq; hæ perfruuntur, illius debetur meritis. Rem comprobat inditum Chriſto Ducis nomen: *Chriſtus Dux.* Quod Meſſiæ tantummodo poteſt attribui. Vbi aduerte animum, Hebraica in Pagina pro verbis, *Chriſtus Dux*, alia huiuſmodi reperiri: *Chriſtus Princeps.* Ex quo nec de Cyro, nec de Hircano, aut quouis alio poteſt Vaticinium explicari; niſi de vno Orbis liberatore (quemadmodum in Talmudi-

Daniel. 9. Luc. 1. Daniel 9. Luc. 1.

mudifticis libris fatentur veteres Rabbini) qui pro mortalium salute acerbiffimos pertulit cruciatus, quod Cyro, cæterifq; aptari nullo pacto valet; illi enim duces quidèm, fed omnibus vitiorum fordibus fuere immerfi; Chriftus verò dux fuit, fanctitudini apprimè deditus.

LXI. Infringitur etiam ex fanctimonia, quam Vaticiniũ ad Chriftum defert: *Vngatur Sanctus Sanctorum*; execrabile Iudæorum conuitium, quo obfirmatè contendunt, Chriftum multis obftrictum fceleribus in crucem fuiffe raptum; cum clamet Propheta: mortem quidem fubiturum Chriftum: *occidetur Chriftus*, verùm fanctiffimè obiturum, vtpotè qui fefe in mortem daret, quò arctiffimis fcelerum vinculis mortales tandem leuaret; quò effufos criminum curfus cohiberet; & integros, ac fanos mores in Orbem induceret. At vero fcelera Regnis fuis, id eft, mundo detrudere, Diuinæ eft tantummodò fanctimoniæ facinus, quæ in Chrifto Domino emicabat. Eum iterùm hic idem Angelus fanctum dixit, quando Iofephum admonuit, Dei effe filium, qui fanctiffimo Virginis vtero, quam habebat in matrimonio, commorabatur. *Quod enim in eu natum eft, de Spiritu fancto eft.* Aft vnde dictis Angelus adftruxit fidem? *Ipfe enim*, inquit, *faluum faciet populum fuum à peccatis eorum.* Commendauit sãctimoniam ex falute, quam pareret, & fanctum perfuafit, quem futurum nouerat Seruatorem; propriam Chrifti virtutem ex aliëna falute æftimauit; è fcelerum enim probris quempiam foluet, non nifi ille qui nullo fe fcelere alligauerit. Agedum tandem aliquando Iudæi, amplectiminor ingenuè victi, quod obfirmatè pergitis abnuere.

Refellitur Iudæorum in Chriftũ conuitium.

Math. 1.

LXII. Humanam Chriftus exemit labem, quemadmodũ ait Daniel: A Chrifti enim fanguine folui tantum poterant, quæ homines fcelerum debita conflauerant. Sui fanguinis Sacrificio tanto exiuimus onere, quo tanquam præfenti, probataq; pecunia Aeterno Parenti fecit fatis; pro primo præcipuè Protoparentis fcelere noxia in minores tabe transfufo. Ita criminum leuatos pondere in cæleftem Ierofolymæ viam feliciffime inducit; Hæc enim vera illa eft

Chrifti sãguine fcelerum onere exiuimus.

Patria, quam terrestris primâ tantum delineatione expressit. Tertio: adducendam esse in Orbem iustitiam sempiternam, In qua Hebraici Doctores Messiam venerantur; exponuntq; veram esse Sanctimoniam, quæ Dei beneuolentiâ, & gratia paratur, quam suis Assertor gestis nobis promeruit, vt pote qui sanctitudinis nostræ, & iustitiæ author, & causa est. De qua quidèm sanctimonia meminit Psalmus septuagesimus primus, qui totus Christo dicatur: *Orietur*, inquit, *in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*. alij in sempiterna iustitia legẽ Euangelicam interpretantur; ait è Purpuratis Senatoribus Hugo, sempiternam dicit: *ad differentiam iustitiæ Legalis cui successit alia*; nempe vt illam à Mosaica iustitia discriminaret, quæ temporaria potuit antiquari: Euangelica vero instituta nullis temporum obnoxia viribus ipsam æmulatur æternitatem, suffectum est Euangeliũ consenescenti Moseos legi, & vberrimo quidèm fænore: illam enim iustitiam attulit Euangelium, quæ homines apprimè iustos reddit; cum hac virtute fuerit destituta legalis. Ita abrogata Mosis sancita, simul atq; irrogatum fuit Euangelium, maximo mortalium commodo, expletis videlicet Vaticinijs.

Psal. 71.

LXIII. In Vaticinia incidimus, quę quarto expendenda monuimus. Omnes enim Prophetæ hoc præcipuè institutum seruarunt, vt scilicet de mysterio huiusmodi prædicerent, & omnia, quæ prædocerent, oracula expleta in Christo fuissent, vt sane sunt, quemadmodum Dominus idem, ac Seruator edixit. *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*. Quinto: septuaginta hebdomodum fine nece Christũ afficiendum præmonuerat apertè Dauid, Isaias, & pleriq; omnes Prophetæ. Sexto: non suum deinceps futurum populum, qui eum erat neglecturus; infligeretur populi id supplicij tanti sceleris gratia: quod expertus perbene est, cum Deũ hominem nullo humanitatis genere excipiens acerbissimam in mortem, in inuidiosissimũ Crucis patibulũ animo improbissimo rapuit: hinc peruicaci obdurauit tenacitate, & iure excidit beneficiario, quo vt Dei populus vbiq; æstimabatur; vt erat in

Luc. 18.

Oseæ

Oseæ vaticinijs: *Voca nomen eius: non populus meus*. quomodo igitur cognominandus? vtrumq; feret animus; modò illum ne Dei populum nominemus; huius enim nobilissimi nominis iacturam fecit ob rancidam superstitioné, cui adhæret obstinatè. Cum eò stoliditatis deuenit Iudaicus Populus, vt vitulo diuinos honores decreuerit in solitudine, illum Mosis populum appellauit Numen: *peccauit populus tuus*. & quare non etiam Dei? quia se se in superstitionem induerat; & gloriam nominis delicti amisit probro. *Peccauit populus tuus: quasi dicat non meus*, commentatur glossa interlinearis: Imo in eam inuidiã, ac contemptum adductus est Israeliticus populus; vt illum demittat Numen, & homines habeant despicatui: Nullius tegitur patrocinio, quia nullius animum demeretur: illum ad Mosem Deus, Moses ad Deum iterum deferebat. Mosis esse, contendebat Numen: Contrà, Numinis esse, certabat Moses: paruo adeò pretio æstimabatur, vt vel nullo pretio illum sibi, aut Deus, aut Moses amauerit retinere. Proludebat quodammodo hic contemptus despectui maximo, cui nostra memoria damnatos cernimus Israelitas: Siquidem nihili á Deo factos intuemur; quia priores a Deo desciuerunt, ab hominibus irrisionibus, & cachinnis excipiuntur, quia nulli à Deo habitos curæ agnoscunt: inflictum æquissimè pro meritis supplicium! æquum enim est, vt in omniũ incidat inuidiam populus ille, qui se ita ingratum Deo exhibuit, vt postquam egerit in Crucem Deum, illum negauerit pertinaciter. *Non erit populus eius, populus qui eum negaturus est*. Dicturum credebam Angelum: Non erit populus eius, populus, qui rapturus illum in Crucem est. Sed longè alia Angelo mens: Non erit, inquit, populus eius, qui eum negaturus est: nempe non ita acerbè Christũ pungit ad supplicium, & interitum duci suum per populũ, vt ab ipso dolet repudiari. Ideò ad irrogatam necem conniuet, & ad vindicandum apostasion exardescit: ea potest huiusce rei causa esse: quia cum affixerunt ad crucem, Messiam vere esse haud obscurè significarunt. hocce enim supplicium subiturum prædicabant Vaticinia. At verò cum il-

Osea 3. Iudæi Dei populi nomen ob tenacitatem amiserunt.

Exod. 32.

Dan. 9.

lum negarunt impudenter, contenderunt non esse Messiam Iudæis promissum totiès, vt iratum mortalium sceleribus Deum propitiaret. at Christum acrius vrit, Messię munere abdicari, quam vitæ spoliari lumine. Excandescit vehementius, si Seruatoris fastigio depellas, quam si impellas ad Crucem. Ea propter Angelus Iudaico populo indixit supplicium, non quia Christum occisuro: *Occidetur Christus*, sed quia negaturo; *qui eum negaturus est*. In sempiternam felicitatem, & feliciſſimum Dei consortium exceptus est Dimas, non eiusdem consors fortunæ, licet eorundem compertus scelerum, imò æternis addictus ignibus, & inamabili dæmonum conuictui Gestas fuit. Quid tam dispari exitu funguntur fato, qui Christo aderant nostræ libertatis prætium exoluenti? Christum negauit Gestas: *Si tu es Christus, salua temetipsum, & nos*. Illum Dimas verè Messiám, & credidit, & coluit. *Domine memento mei*. ad hunc quippè modum postulationis verba explicuit Carthusianus. *Iam enim credidit Latro Iesũ esse Regẽ Messiã*. Enim verò Deum adeò tangit hoc illi munus ire inficias, vt supplicij acerbitate iram è vestigio euomat in sceleratum.

Christum acrius pungit Messiæ munere abdicari, quã spoliari vita.

Luc. 23.

LXIV. Septimo: Ierosolymam Vrbem, illiusq, templum ab exercitu, ac duce quodam delenda; & bello modum perpetuam euersionem posituram: quas etiam minas Iudæis intentabat Euangelicus Vates. *Opus vestrum succendetur, & non erit qui extinguat*. Octauo: extrema dimidiatæ hebdomadę plurimos cũ Deo fædus firmaturos, quod expletum est, cum se Christo adiunxit Hebraica Ecclesia, quę maxima sanctimoniæ laude effloruit, vt pote quæ ab ipso Seruatore electa fuit, & edocta; & cui ad Redemptionis Mysterium præcipuum erat ius. Nono: extremæ etiam hebdomadis medio sacrificia omnia desideranda: quod Christi morte absolutum est. illius enim prænuncia erant legis antiquæ Sacra: & annis posteà quadraginta Templi, & Vrbis excidio penitùs expletum est; quippe nullum inde Sacrificij genus immolatum est Numini. Decimo: Templi exitium in posterum semper perstiturum: quod tã verum est, vt quod veriſſimum: numerantur enim anni circiter

Isai. 11.

ter mille,& sexcenti,ex quo illud ruina oppressit,quin Romani Imperatores, quantumuis pro viribus contenderent in summa Imperij fortuna, possent in Iudæorum gratiā ex integro construere. Nec in Mosis Tabernaculo, nec in Salomonis Templo subsellia olim extructa sunt, quibus leuandi Sacrorum laboris causa paulisper Sacerdotes insiderent; vt constat ex sacris libris. In Christiana tamen Ecclesia Sedes minime paucas Ioannes vidit,quibus supremi Regis purpurati magna pro dignitate sedebant. *In circuitu eius Sedilia viginti quatuor; seniores sedentes.* quid igitur in causa est, ne Synagoga eum obtineret honorem, quem nacta Ecclesia est? Vt palam Iudæis fieret, Synagogam, illiusq; sacra peritura, Ecclesiam verò, sacrasq; illius cæremonias nullo vnquam temporum spatio circunscribenda. *Exod. 26.* *3. Reg 6.* *Apoca l. 4.*

LXV. Sed reuertatur oratio ad tria illa, quæ in prædictione præcipue diximus expendenda, dudum res exigit. Tertio itaq; ait Propheta, quæcunq; hic fuerat vaticinatus, elapsis septuaginta, quas dixerat, hebdomadis euentura, ad quod differere è re erit,duplicem esse rationem,quibus sacra Pagina hebdomadas vsa est enumerare. Primo hebdomadem ex diebus componit, vt apparet ex Leuitico. Et est quotidiana ratio numerandi, qua sacri vtuntur libri. Patet etiam ex genesi: Imple, inquit, Labamus ad Iacob: *Hebdomadam dierum, & hebdomada transacta, Rachel duxit vxorem.* Deinde hebdomadem ex annis construit:quod videre est in Leuitico. *Numerabis quoq; tibi septem hebdomadas annorum idest septies septem quæ simul faciunt quadraginta nouem.* Cum igitur Danielis hebdomadæ diebus constare nequeant, vix enim totum hebdomadarum spatium annum,& alterius dimidium compleret compertum deinde est elapso septuaginta annorum interuallo, quibus Babylonicæ Tyrannidi obnoxij Israelitæ vitam duxerunt; non obrutā fuisse exitio Ierosolymam; nec illatam Templo ruinam de qua agit Vaticinium. Imo paulo post à Babylonica seruitute, à nouis cæpit iterum fundamentis Templum,ac Ciuitas excitari: quin etiam nō Sacris est modus impositus, vt futurum prædicebat Vaticinium, Apponitur duplex ratio numerandi hebdomadas. *Leuit 23.* *Gen. 29.* *Leuit. 25*

nium; quia cæpta fieri ex integro fuere; vt meminit Esdræ Liber primus. Hinc perspectum liquido fit, debere quamq; Danielis hebdomadam confici ex septennio; & collectus omnium numerus annos explet quadringentos, & nonaginta: qui subductis rectè calculis annorum triúm, & dimidij decursu ab Assertoris morte clauduntur.

Quo tempore Angelus Danieli apparuit. Daniel. 9.

LXVI. Indubitatum prorsus est, apertum fuisse ab Angelo Danieli mysterium, cum Darius Regnandi Prouinciam inijt: vt videntur innuere Oraculi verba: *Ab exordio precum tuarum egressus est Sermo*. Darius verò non duos prorsus annos Imperij clauum tenuit. Cum itaq; annis quatuor centum, & octoginta Templum hoc permanserit, vt memoriæ prodit Iosephus, donec æquatum solo à Vespasiano Imperatore fuit; & annis sex supra quadraginta illi extruendo insignem operam nauarint Iudæi, quemadmodum ipsi apud Ioannem fatentur in Euangelica historia; si annos duos, ac dimidium adnumeres, quibus Darius tractauit Imperij fasces, & suffectus in illius locum est Cyrus, qui Iudaicum populum manumisit; annos implebunt duo de triginta, & dimidium supra quingentos. & cum à Christi morte ad vsq; Templi euersionem anni effluxerint quadraginta duo; si ex quingentis viginti octo, & dimidio, octo & dimidium supra triginta subtrahas, Reliqui fient anni quatuorcentum, & nonaginta elapsis tribus annis, ac dimidio; postquam Christus mortem occubuit: vt ipsa Vaticinatio exponit: *In medio hebdomadis deficiet hostia*, quod Seruatoris nece absolutum est, siquidem omnibus illa Sacris finem imposuit: vt Liberator idem suffixus Cruci indicauit. *Consũmatum est*. Quasi diceret: supremam libertatis humanæ operi manũ addidi, ad vnguem absolui quidquid suis de me oraculis prædixerant Vates. ita Doctissimus Mendonza locũ explicat. *Tota de me scriptura completa est*.

Ioan. 2.

Dan 9.

Ioan. 19.

P Mend. Tom. 1. in 1. Reg anot. 1. Proem. sect 2. n. 36.

Hebdomadarum triplex diuisio per Danielem.

LXVII. Septuaginta hasce hebdomadas dissecuit Daniel tripliciter. Primò septem enumerauit: sexaginta duas deinde: postremo vnam: qui numerus, vt patet oculis, septuaginta absoluit. Primæ septem hebdomadæ, quæ in annos vnde quinquaginta explicantur, tres illos amplectitur,

qui Darium extinctum, & initiatum Imperio Cyrum tulere; deinde sex,& quadraginta quibus summum ad fastigiũ perducta est templi moles. Hebdomades verò sexaginta in annos quatuorcentum triginta quatuor expediuntur, qui annorum numerus effluxit, ex quo suis templum est numeris absolutum in id vsq; tempus, cum Iordanis aquis aspersus est Orbis Assertor, annum agebat ætatis suæ trigesimũ: qua tempestate suæ lucis radios aggressus est terris explicare,cùm prædicatione, tùm rebus post hominum memoriam præclarissimis. Vltima deniq; hebdomada,quã diligenti cura ob prodigiorum magnitudinem, quæ continebat, Angelus duxit ab alijs secernendam, septennium complectitur, quod à Christi Baptismate ad annos tres, & dimidium elapsum est, postquam humanæ salutis contemplatione mortem subijt saluberrimo ligno affixus. In quo planè temporis spatio latè Ierosolymis ipsius Euangelium disseminatum est.

LXVIII. Ex quo ita explorata ad plenum Danielis prædictio fit,& tanto robore nostras agit partes, vt is tantũ ibit inficias; quem ad veritatem frontem perfricare non pudeat. Adeoq; hæc numerandi ratio Doctores inter non patitur in dubitationem adduci, Doctores autem? Ipsum etiam inter populum; vt quibus temporibus Diuinus Sol humana mortalitate obductus Orbi affulsit, ob plurimas huiusce Vaticinij expositiones, & magnam inde natam spem nihil frequentioribus omnium sermonibus vsurparetur.. Euangelica nos edocet narratio, ingressos Ierosolymam Magos diligenti peruestigatione de Messia recens nato quæsijsse Doctos,ac Legis peritos adsciuit in Concilium Herodes; quid de re sentirent, iubet exponere; nulla illi correpti admiratione, quod eo temporis natus fuerit, destinatam supremi Regis cunabulis Bethlemicam Vrbem apertè edocuere,vt erat in Oraculis. Quod si non adesse tempestatem intellexissent, haud dubie Rem patefacerent. Hoc habuit Herodes in Consilio, vt in tenellos quos insõns adhuc ætatula criminis suspicione eximebat, infestissimo animo desæuierit; quos inter (quod ius non violat

Prædicta Hebdoma. dum expeditio non patitur in dubiũ vocari.

Re-

Regnandi ambitio ?) suum ipsius filium è medio sustulit, quo sibi firmaret Regnum. Id etiam in causa fuit, vt Doctores, ac Ierosolymorum Rabbini eam ad Baptistam legationem expedierint, rogandi videlicet gratia, an ipse Messias esset ? Multi deinde Sacerdotum, ac Pharisæorum in Mosaicę legis disciplina haud mediocriter versati, cum cernerent illustrissima Christi facinora, & quo se proderet Orbi, adesse tempus, suam illi fidem adiunxere; Nempè Nathanael, Nicodemus, Iosephus ab Arimathia, & alij minimè pauci, quemadmodum refert Ioannes: *Multi ex principibus crediderunt in eum.* Sed maior ad illum frequentia confluxit, simul ac mortem obijt; absoluta enim ad vnguem Vatum oracula mirabatur. *Multa turba Sacerdotum obediebat Fidei*, testatur Lucas.

Ioan. 24. 10. 12

Act. 6.

LXIX. Ad hæc, cum Christus Samaritanam alloqueretur, illamq; quam orandi viam insisteret, edoceret; nos minimè fugit, inquit illa, aduenire Messiam, qui nobis precũ ad Numen effundendi rationem haud grauatè tradet. His verbis non obscure indicans, præscriptum á Vaticinijs tempus aduenisse, & propediem se in lucem daturũ Messiam. Hinc duo, vt author est Lucas, oblatam opportunitatem auidè arripuere, vt sibi Messiæ dignitatem summam per impudentiam arrogarent, alter Theodas audiebat, Iudas Galilæus alter: qui ingentem plebis vim in fraudem adduxere, sibiq; fecere obnoxiam, donec tandem audaciæ suæ dederunt pœnas. Horum adhæsere vestigijs duo alij, qui Ierosolymæ, cùm arctissima obsidione premeretur à Romanis, Messiæ fastigium adspirarunt: Tradidit rem literis Iosephus: horum vnus Simon, Ioannes alter cognominabatur. Quos etiam suis cum sectatoribus summum breui excepit supplicium. Pintus in Isaiam refert, elapsis temporibus post Ierosolomytanum exitium à Tito Vespasiano illatum, oppidò paucis ad Idumæum quendam magicis instructum artibus, Mair nomine, Messiæ honores à Iudæis fuisse delatos, qui cum Iudæos cerneret Sacrorum librorum, ac Vatum oraculis, quæ Messiam aduenisse mõstrabant, manus omninò dare, vt erat mira calliditate Vir

Act. 5.

Theodas, ac Iudas Galilæus sibi Messiatũ arrogarunt, quos alij imitati sunt, sed breui periere.

Cap. 48.

tradi-

traditionem commentus est eidem Legi, ac Vatibus prorsus aduersam, quam mentiebatur veram esse explanationem Legis, quam Mosi tradiderat Numen, & ab illo in posteros continenti memoria transfusam. Nec suæ hic Iudæi fecere modum cæcitati. Imo plena, vt aiunt, manu Magi huius dolos in astra tollentes alias adscripsere traditiones, quò sibi ipsis de industria imponerent, ac persuaderent, literalem, quod aiunt, Sacræ Scripturæ sensum, nō ea continere, quæ Diuina Lex illis iniungebat; Sed quę ex characterum, ac verborum comparatione decerpebantur, ea esse Diuinæ Legis instituta; Nouam itaq; Legem, nouam disciplinam Mosis, ac Prophetarum sanctionibus à Deo traditis, non alienam modo, sed è regione aduersam instituere. Tametsi ea de causa in maximos tum temporis, quod nostra etiam memoria accidit, errores adducti sūt; Imò semper in posterum errabundi, & sempiterna cęcitate obducti; quanto versentur in discrimine, non agnoscent. Fiet id quidem suo merito. Siquidem nudo Sacrarum Literarum sono addicti vera illarum sensa expromere non habent pensi. Faciles præbeant aures veris, ac sanis illarum explanationibus, & facile (mihi credant) obcæcatam mentis caliginem dissipabunt. Promisit, ac recepit dudū Regius Vates: *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Date tantillam operam, Israelitæ. Non, inquit, Dei sermones, sed diuinorum sermonum expositio hebetes mortalium sensus illustrat: nudum verborum sonitum, ac strepitum amplecti offundit tenebras menti: amatis animi lucem, ne Diuini eloquij explanationem oderitis. Quod si obstrepitis obfirmatè sano Sacrorum Librorum sensui vestratibus à Rabbinis moris antiqui Viris, & candidè interpretantibus deprompto, vt toto hoc opere planum fecimus; si, inquam, obstrepitis, ideo est, quia lucis splendorem malè odistis. Et cum vos Remedij odium ceperit, nequit morbo fieri medicina: Et æterno etiam imprudentium, & peruicacium probro laborabitis. Iampridem in vos eduxit has minas Vates Regius, qui hæc ad Christum: *Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.*

Psalm. 118.

Psalm. 82.

put. Quo loquendi Vates vtatur genere licèt animaduertere. Non verba, ſed ſonum, inquit, emiſere in Chriſtum ipſius inimici; qui cùm ſolum in Sacra Pagina amarint ſonitum, nihil ponderis obtinebant illorum voces: *Hic ponitur primo*; commentatur incognitus ad hunc Pſalmum, *malorum ſuperba contumacia*. Verum quid intercedit comercij inter vocis ſtrepitum, & voluntatis tenacitatem? vt hæc amice adeo illi reſpondeat? multum videlicet. Sed erit opus explicatu, in quo conſtituatur obſtinatio. Ea igitur eſt quæ errores non ſtudet agnoſcere, imo de illis multum ſibi gratulatur, tantum abeſt, vt miſſos faciat. Quid igitur hoc ſonus potius quam voces, indicabit, cum ſit mortalibus vox familiarior? Belliſſime ad rem D. Thomas. *Quæ vox, quia irrationalis eſt, magis ſonus, quam vox dicitur*: Non vocis digna eſt nomine, quam obfirmatus, erroriq; libenter adſtrictus efferre conſueuit; Loquatur licèt, non vt mentis compos homo, ſed vt rationis expers animans ea emiſit verba; brutarum enim animantium ſonum, hominum vocem edere proprium eſt.

D. Thom. in Proem. ad Opuſc. 19.

Vox hominum, ſonus animantiũ eſt.

LXX. Vobiſcum itaq; attente voluitote; & memoriam etiam, atq; etiam repetite haſce Danielis hebdomadas; Vobiſcum res eſt, O veſtræ nimium cæcitatis amantes, voluite inquam, eruite latentem ibi veritatem. In annos illas contulimus, aperte enim, vt ſupra docuimus, conſtat, quotquot eas ante Seruatoris necem ſunt interpretati, ſeptem vnicuiq; annos attribuiſſe, ac proinde præſcriptum illarum numerum fuiſſe exhauſtum, cùm Chriſtus humanæ libertatis vindex, quidquid ſub iſto eſt ſole, radijs impleuit ſuis. At vbi occubuit mortem, veterem hanc numerãdi rationem perfidi, ac obſtinati ſcelere, ac tenacitate adducti negare penitus contenderunt; quin rationis parerent frænis, aut primæ Vaticinij fronti crederent. Certa igitur ac fixa numerandi hebdomadas ratione præſcripta, quarũ claudi ſeptennio quęq; debet; ſiue annum ex Lunæ curſu metiamur, cum ſcilicet duodecies Orbem luſtrauit; & dies tercenteſimus quinquageſimus quartus annorum quemq; abſoluit, ſiuè annum Solis curſus conficiat; & clauditur annus

nus die tercentesimo sexagesimo quinto, quadrante, & minutis aliquot; addit supra lunarem dies vndecim. Deinde certum id etiam stabiliatur, cæptam illarum rationem subduci eo tempore, quo Cyrus templum iussit ex integro cōstrui; vel cum reapse primùm operi manus admotæ sunt, vtriq; enim rei aptari commodè potest, quod ad Danielē cœlestis legatus retulit: Quod quidem discrimen ponderis est minimè multi; absolutum tandem illarum numerū anno quadringentesimo nonagesimo, hunc enim explent, vel annis post Seruatoris mortem tribus, ac dimidio; vel summum ad extructi iterum Templi euersionem, quæ accidit anno duodequadragesimo ab Assertoris nece: vtcunq; igitur numerus ineatur, in idem semper tēpus incidimus, quod Orthodoxæ Ecclesiæ Doctores præscribūt, & Oraculum interpretantur.

LXXI. Lites omnes, ac certamina in eo versantur, quo pacto præcise debeat annorum numerus subduci: quot videlicet ex Persarum Imperio, quot ex Græcorum, & quot ex Romanorum in calculos referri debeant; ac quę inde summa colligatur; quæ quidem leuissimi ponderis reș est, & nullius ad rem nostram negotij. At verò nunquam vocatum in dubium fuit, editum hoc fuisse signum, quo docerentur Mortales, occursurum mortalium Assertorem, priusquam suis templum cineribus obrueretur. (quod est princeps nostri instituti scopus, & in quo prorsus vertitur rei cardo) dilucidum quippe fit ex Danielis prædictione, ante euersionem Templi venturum Orbis Liberatorem, quem designabat Sanctus Sanctorum, qui sempiternæ sanctimoniæ, ac iustitiæ oleo inunctus scelus omne extingueret, vt exponunt Talmudistici Doctores; & Oraculum præclarè indicat, vita spoliandum Messiam, illiusq; à morte neminem iam legis antiquæ Sacris operaturum; & delendum postea funditus templum, non vltra exædificandum.

LXXII. Cum se hoc Vaticinio euictos Iudæorum pleriq; omnes aspicerent; Recentiores aliquot sua ipsorum caligine obcæcati aliud hebdomadarum genus commenti sunt, vt expletam negarent Danielis Vaticinationem, & Messiæ

Iudæi Recentiores aliud hebdomadarū genus cōmenti sunt.

Messiæ aduentum improbarent. Quidam itaq; in eam sententiam, vel potius amentiam abiere, vt dixerint, hebdomadum quamlibet (de quibus Daniel) septem Iubileos paruos complecti, quos ex Legis præscripto obseruabant: septimo enim quoq; anno ab agricultura arcebantur: septennio itaq; ex his quilibet constabat; & vnaquæq; hebdomadarum, annos enumerabat vndequinquaginta; & septuaginta hebdomades explebant annos mille quadringentos, & triginta. Alij vero (quàm multiplex mendacium est) contenderũt, septem Iubileos, eosq; magnos vnaquàq; hebdomade comprehendi: Magnus autem Iubilæus in quinquagesimum quemq; annum incidebat. Conflabant igitur hebdomadam anni tercenti, & quinquaginta. Vnde septuaginta hebdomades explebant annorũ vicies, & quatuor millia, & quingentos annos. Et iuxta hos calculos (quos risu excipias) nec absolutum est Vaticinium, nec ipse Messias aduenit; & quidem serò, aut nunquam accederet, nostramq; expectandi patientiam hauriret, si in tantum temporis spatium aduentum proferret suum. Quibus itaq; digna cachinnis sint hæc Iudæorum deliramenta, nemo non videt; Siquidem huiusmodi expositio, ac putida hebdomadarum excogitatio insanientis tenacitatis figmẽtum, non vero maturæ mentis consilium est; cum Sacram apud Paginam, nulla vsquam de re simili fiat mentio: Imo nec ipsis Babylonijs, quos inter victitabat Daniel, in mentem venit rei huiusmodi. At verò velle arbitratu suo, fictisq; commentis Sacrarum Literarum sensa exponere, illarum est fidem euertere; quaquidem nocte, atq; insania nulla est maior. Huius iam olim criminis illos Christus damnauerat: *Adhuc modicum lumen in vobis est*. Ex lege enim
Ioan. 12. se intellexisse Seruatori dixerunt: Christum non esse mortem subiturum: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in Aeternum*, idest, inquit D. Thomas, *Christus nihil patietur*. Sed quî poterat id ex lege cognosci, cum prædixisset
Isai. 53. Isaias: *Tanquam ouis ad occisionem ducetur* modicum vt ait Seruator, illis lumen affulserat, iccirco sacrorum voluminum veritatem non attingebant; sed mendaci hærebant opinio-

opinioni, quam sectabantur: *Iudæi negabant passionē Christi, & maligna mente id faciebant*, inquit Theophilatus.

LXXIII. At si non elapsæ sunt Danielis hebdomadæ, vt perfidi tenacesq; Iudæi contendunt, recte concluditur, nihil etiam eorum, quæ Vates prænunciauit, euentura, simul atq; fuissent absolutæ, euentum fuisse sortitum. Itaq; somnia sunt, quæcunq: de Ierosolymæ excidio, de Templi euersione, de dispersione Iudæorum nobis passim locupletissimi narrant authores. Quibuscum iure expostulabimus, quod Orbi Vniuerso imposuerint; Imo iniuriarum cū eis agite, O Iudæi: vestram memorant euersam funditus Ierosolymam, quæ adhuc floret: vestrum tradunt redactum ad cineres Templum, quod adhuc perstat: vestram referunt dissipatam gentem, quæ ijsdem etiam num hæret sedibus: vestram dicunt turbatam Rempublicam, quæ ad hunc diem viget athleticè. Dicite, dicite hominibus diem. Sed euanuit somnium de repente. Nullum iam Ierosolymæ vestigium; nulla pulcherrimi Templi indicia: dispersus in Orbem populus: suis deiecta sedibus Respublica. Qua igitur spe tenemini? Quid à vobismet decipi amatis? Iam pridem aduênit Messias: dedite manus Veritati. Expletæ sunt Danielis Hebdomadæ: expleta Danielis Oracula. Christum tandem aliquando induite, qui eadem, quam Vates præscripsit, tempestate, humanam indutus naturam vestræ præsertim vtilitati, ac saluti quidquid edocuit, quidquid egit, quidquid pertulit, nuncupauit; & morte sibi à vestris maioribus illata, nostrorum animorum vitæ sempiternæ consuluit, nec prætermissa re ponderis minimi, quam præmonuissent Vaticinia.

CAPVT QVINTVM.

Aggæi Vaticinationis cum Christi Seruatoris aduentu Harmonia.

Concentus ex Aggæi Vaticinio.

LXXIV. ACerrimum etiam bellum obduratæ Iudæorum peruicaciæ indicit Aggæi Vaticinium. Qui in hæc verba effatur: *Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo Cælum, & terram, & mare, & aridam: & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo gloria domum istam, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum: magna est gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ, dicit Dominus exercituum.* De Messia hocce in Oraculo Sermonem habuisse Vatem non Sacrosancta modò Ecclesia, sed Talmudistici etiam affirmant. Qui in libro, quem Sanhedrim inscribunt, vt meminit Galatinus, hæc inquiunt. Rabbi Aquila in hunc modum hoc Aggæi eloquium explanauit. Temporis spatium effluet oppido paruum. Et Cœli, ac terræ molem ingenti quatiam motu; & gentium omnium votis expetitum afferam. Sermonem intendit ad Messiæ tempora, & ad annorum interuallum, quod à primi templi exitio elapsum est. Eodem in libro alia ad idem Oraculum expositio reperitur: habet sic. Tantillum temporis voluetur (tantillum dicit, quippe ad illud refert, quo Imperij dignitatem retinebit Israel post primi tẽpli cineres) & paulo post Cœlum ipsum, ac terras, & omnes Vniuersi nationes commouebo, quibus exactis sese in lucem dabit Messias. Hinc robustissimum in Iudæos conficitur argumentũ, inquit Cardinalis Hugo: *adhuc vnum modicum est*, id est, *valde modicum. Hoc valde est contra Iudæos.* Sed vbi argumentationis nerui? in eo scilicet quod Deus iam tum de expectationis tempore contrahendo curaret, ipsi verò etiam num longissimam spem extrahere præfractè admodũ nituntur. Breuia temporis momenta adstringebat Numen: Latissima illi annorum spatia extendunt, nolunt temporis

Agg. 2.

adue-

aduenisse punctum, quod iam effluxisse, nempe *modicum*, certum est: Cum enim Dei esset promissum, Diuini non est moris tardum conferre beneficium: misit itaq; in compendium tempus, vt gratiam impenderet celeriùs. Iccirco inquit Sacra Pagina: *factum est Verbum Domini in manu Aggæi*: Quid sibi vult in Vatis manu promissum? Pulchré quidem vtpote quod Diuinum; abhorreret à manu, si hominum esset: factum illud certe hominibus est, sed authore Deo; qui celerrimé adeó promissi fidem præstat, vt vix aliquid recipiat, cum nostræ iam sit potestatis: Vix denique dictum, cum factum. *Ecce eijcio demonia, & sanitates perficio hodie, & cras*. Sunt Seruatoris verba apud Lucam. Qui loquendi modus non exiguum facit dubitandi locum. A Dæmonũ Tyrãnide mortales in præsens eximit: á morborum seruitute in valitudinem multos restituit: Bene habet: hæc se in præsens beneficia conferre dicat: at in crastinum eximet, in crastinum restituet; & quę in crastinum conferet, iam in præsens præstare se fatetur? Gordianum profecto nodum? Sed qui ad Diuinę munificẽtiæ ingenium liberaliter explicabitur. Pollicebatur Christus se Dæmones expulsurum, se opem ægrotis allaturum; Diuina erant beneficia; iccirco iure optimo, quæ in crastinum facturum se recipiebat, ea dicatur in præsens tribuere: tanta enim ad collocanda beneficia vtitur celeritate, vt quod vix est promissum, commissum è vestigio cernas. Itineris contentione fatigatum arctus Iacob somnus complexus est, cum intempestæ noctis silentio, *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens Cælũ, & Dominum innixum scalæ*. Aliquantisper postmodum sopore leuatus, adesse Deum, inquit, ei, quem occupauerat, loco, cum tamen rem ipse nesciret: *Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*. Si Deus summo scalæ fastigio incumbebat, cum somno teneretur Iacob, quî modo submoto somni otio, illum solo proximum, & sibi maxime familiarem religiosè veneratur? *Vere Dominus est in loco isto*. Iure id quidem: in terris enim, quæ felicitates Messiæ aduentu Orbi erant conferendæ, quibus illius familiam ad

Nescit Deus moras adijcere beneficio.

Luc. 13.

Genes. 28.

magnam

magnam nominis celebritatem erigere promiserat Deus, Iacob spectandæ in imagine offerebantur; in terris expleretur tanti beneficij expectatio: *quia ibi natus est Christus in Betlehem, quod spiritu præuidebat*. Adiungit Interlinearis. Enimuero quam ex Diuinis promissis spem ducimus, non dubium, quin illius conspectu in terris perfruamur, vel cum Cœlo ad Maiestatem videtur commorari. Si vero soluere obligatam fidem fideliter adeò Numen properat, ingrata sanè Iudæorum spes, quæ tot annos Vaticinij effectum suspirat; mutent, si sapiunt, spem; Neq; pœnitebit facti; cum quod ait Daniel, *veniet*, mutatum etiam fuerit, & *venit*, dici aptius amat. Mutatum in fruitionem desiderium; & cuius olim videndi studio efferebantur mortales, maxima ex illius aduētu voluptate capiuntur. Mutēt itaq; suā Iudæi spē, & nobiscū gloriosum intueri adspirent, quē nasciturū etiā num expectabant. Conueniet adhuc illi nomē: *Desideratus cunctis gentibus*, vt explicuit Augustinus.

D. Aug. l. 18. de ciuit. Dei.

LXXV. Editio septuaginta Interpretum pro verbis: *Veniet desideratus cunctis gentibus*, *venient*, inquit, *electa omnium gentium*, quasi diceret; humanæ libertatis author in terras aduenict, cuius disciplinæ radijs, quæ sub isto Sole gentes sunt, illustrabuntur; &, vti aurum in igne, spectabuntur: ex quibus populo nimirum, Iudaico, & Ethnico, quos ad sempiternam felicitatem destinauit, eliget Deus. Hebræa Pagina habet. *Venient desiderium cunctarum gentium*: quod contra, ac prima Geneseos verba, explanandum est: Creauit Eloim, id est, dij, habet Genesis: naturæ enim monadem verbum, *creauit*, signat. At vero, Dij, Personarum triadē exprimit, sed illud, *venient*, duas in Christo naturas, Diuinam scilicet, & humanam ad vnam, eandemq; Hypostasin coeuntes designat: Vt vero vnam tantum in Christo personam Vates ostenderet, ideo dixit: *desiderium cunctarum gentium*, quasi dixisset: Natura Diuina, & humana Vnigeniti Dei Hypostasi vnitæ venient; hic salutis humanæ parens, & author erit: hic suum mundi desiderium, ac spes. Duplici potest in discrimine esse dicendi modus hic, *suum desiderium*: Primum referri ad desi-

Septuaginta lectio quæ sit.

desiderium valet, quo in Christi aduentum flagrabat Orbis; & eodem tùm temporis significatu erit *desideratus*, *ac desiderabilis*; magno videlicet illius studio, ac amore afficiendos populos, simul atq; illius cognitionem assequerentur, vt re vèra contigit per Euangelij prædicationem. Referri deinde potest ad Christi desiderium. Vbi enim nostri *desideratus*, Hebræus legit, *Desiderium cunctarum gentium*, vt paulò supra monuimus. Adueniet qui maximæ curæ, ac studio habet cunctarum gentium salutem. Ita locum exponit Doctissimus Pater Cornelius. Hic non censui prætermittendum lectorem admonere de solicitudine, qua nostræ saluti Dominus idem ac Seruator studet, vt tanto erga nos amori aliqua saltem ex parte respondeamus: Non enim dici voluit, *qui desiderat*, sed *ipsum desiderium* voluit appellari. Id interest inter eum qui desiderat, ac ipsum desiderium: qui enim rei alicuius studio flagrat, damnare potest votum, & ab incepto desistere: desiderium verò ipsum non potest non esse desiderium, cum nihil facere sui esse iacturam queat. Ea igitur contentione, nostræ Christus IESVS consulit vtilitati, nostris tam impensè commodis studet, vt non modo cupientis instar, sed ipsiusmet desiderij in se quodammodo expresserit imaginem. Ita nimirum ardet, vt non modo velit, quod cupit, sed etiam non possit non cupere, quod vult. Meritò igitur cognominatur à Vate *desiderium*, cum prædicitur *desideratus*.

LXXVI. Ad præstantiorem huiusce Vaticinij intellectum animaduertendum duxi, ea Aggæum tempestate Oraculum prænunciasse, cum illi Deus id muneris imponeret, vt Templum celeritate quàm maxima construendũ curaret; & quo alacriores populo animos ad id faceret, ijs Dei nomine promissis inuitauit. Primum omnium illud fuit, aduenturum in Orbem Orbis Redemptorem, quem Vates desideratum gentibus appellat; vt iam nomen illi Iacob fecerat Spem gentium: Desideratum, inquam, gentibus sensu superius explanato. Sapite hinc Iudæi qui vestram auaritiâ spem fœdatis. Regem diuitijs, ac Maiestate præpotentem, & qui vos fluxis, temporarijsq; fortunis cumu- Qua tempestate Aggæus Vaticinium protulerit.

let, expectatis. At Messias non sua, sed se amari, expectariq, cupit. Auaritiem; non amorem ducit, ij illũ sua propter; non propter se ambitis. Id causæ fuit, cur Deus, cum Hebræis vellet stimulos addere, vt quam maxime Templi molitioni operam impenderent, non aurum, aut argentum in laboris pretium promiserit; sed tanto operi vnius Seruatoris aduentu se facturum satis pollicitus est; id enim vnũ impensius laborat, vt eum tantummodo nostris operibus, ac desiderijs scopum præfigamus, Christum videlicet, præterea nihil. Quippe labori incumbere, & illi diuini honoris titulum præferre, quem tamen minimè Dei causa subeas: desiderium ad Christum intendere; sed aliud in Christo, quod Christus non sit, inquirere, id est, vt tuis inseruias cõmodis, non Christum, te potius quæris. Haud secus se habent Iudæorum spes, cum prorsus alias in mortalibus Messias exegerit. Minimè enim veniret, eo pacto, quo venturũ etiam num Iudæi credunt. Haud aliter ac venit, venisse æquum erat. Non ideo mortalitatem induit, vt temporarijs nos afficeret beneficijs, sed vt cœlestem felicitatem impertiret. Ea propter non nisi Christo illos Propheta inuitauit ad laborem, amat nimirum nihil nos à Christo, nisi Christũ ipsũ optare. Ab hominũ oculis sinister Christi oculos demeretur impẽsius, dextrũ enim cõsulit, imo iubet nõnũquã auellere: *Si oculus tuus dexter scãdalizat te, erue eũ*. E manibus verò dextrã præfert: *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*. Cur è manibus dexteræ primàs defert; & sinistrũ ex oculis pluris ducit? ideo videlicet, quia in dextera legem *in dextera eius ignea Lex*: in sinistra diuitias gerit Christus: *in sinistra illius diuitiæ*. Bene habet, quando liberalem Christi faciem è regione aspicimus, oculus noster dexter illius sinistræ, diuitiarum monopolio, sinister verò dexteræ diuinarum legum domicilio respondet: ea de causa Christus damnat è manibus dexteram, & ex oculis sinistrum commendat, hic enim obtutum Diuinas in Leges figit, dexter verò totus à diuitijs pendet: At vero Numen ea vehementiùs probat obsequia, quæ illi candidè nulla mercedis spe præstantur. Verùm enim verò, quia voluptatum cupedia

In Deo solum Deum quærere æquum est.

Matth. 5.

Deut. 33.

Prou. 3.

dia deliniti Iudæi, hanc minimè callent disciplinam; quæ cœlestem exigit Numinis afflatum, vt humanis pateat mẽtibus. Ita docet Cardinalis Hugo; & ex hoc Aggæi Vaticinio, ac Petri epistola sententiam firmat suam. Quippe hic Vates, Redemptorem, inquit, omni voto à gentibus expetendum: *Desideratus cunctis gentibus*. Petrus verò summo Angelis desiderio esse, *In quem desiderant Angeli prospicere*. Si gentium, qui Angelorum appellat desiderium? *Gentes, hoc est, Angeli*, inquit Doctissimus Hugo. Apostolus Prophetam explicuit, & quos hic gentes, Angelos ille cognominauit. Quam enim gentem vnius Christi studium tenet, sublimiori nomine est decoranda, non Angelis dignitate inferior. Aequum est, vt nomine, quos refert spiritu: qui cum porrò in Iudæis desideretur, totam spei viam ignorant, quia nullo ducuntur spiritu. Diuitem, ac potentem expectant, qui se inopem, atq; humilem dedit in terras. Atq; ideo in illo nesciunt desiderio esse, in quo vel Angeli, vel homines, quos veriùs Angelos dicas, continenter esse contendunt; hoc est, illum cœlesti in Patria sempiternæ Gloriæ radijs exornatum videre student, quem priùs in terris omni mortales dedecore affecerunt.

LXXVII. Suam Iudæi spem prorsus abijciant; effluxere enim iam dudum diuina illa *modica*, quibus adhuc inniti poterant. Alterum hoc est prædictum à Vate. Qui intra modicum temporis spatium explenda, quæ docuerat, edicit. Quo etenim modo *modicum* complecti valet lõgum adeò annorum interuallum, quod euolutum est, ex quo Daniel Oraculum protulit, & annum bis millesimum superat. Non etiam exponi potest de æternitate, quod quàm abs re sit, neminem fallit. Est igitur modicum hoc accipiendum de illa ipsa tempestate, qua Seruatoris in terras aduentus promissus mortalibus fuit; nec non eo de tempore, quo principibus Legis antiquæ Viris suam Deus de Messiæ aduentu fidem adstrinxit, ea annorum serie, quæ vtrisq; interuenit, in modica distributa. Quorum primo initium faciat Abrahamus; qui omnium Princeps extitit, cui Deus suum de induenda sibi mortalitate Consilium

Primũ modicũ ab Abrahamo initiũ cepit.

 ma-

manifestè aperuit; suoq; è genere ducturum sanguinem promisit; vt est in Genesi: *Benedicentur in te, & in semine tuo cuncta Tribus terræ*. Et in Euangelio: *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est*. Primũ hoc modicũ id tẽporis complexum est, quod ab Abrahamo ad Mosen vsq; effluxit: Sexcẽti hi anni sunt.

Genes. 21. Ioan. 8.

Mosẽ pręmonuit Deus suo de Consilio.

LXXVIII. Mosen, cum illum sui populi assertorem, ac vindicem Deus legaret ad Pharaonem, etiam huiusmodi de consilio certiorem fecit, se illi flagranti in Rubo obtulit, qui Castissimę Deiparæ vel primi sceleris næuo prorsùs immunis typum referebat non inuenustum. Dedit deinde in mandatis, vt sibi fierent sacra prenuncia quidem illius Sacrificij, quo suam illi vitam, ac sanguinem pro hominum sceleribus deprecandis Christus erat immolaturus. Populo Legem tulit, vt acciperent, & obtemperarent magno illi Prophetæ, quem in Orbis Liberatorem ipsorum è sanguine illis in posterum expediret. Et ita familiariter hoc de mysterio cum Mose egit, vt Seruator idem, quo Iudæis persuaderet, se Messiam exciperent, ac colerent, illis non semel edixerit: *Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi*. Alterum hoc modicum à Mose ad vsq, Dauidem elapsum est; annis videlicet quadrigentis, & sexaginta.

Ioan 5.

Tertium Modicum, à Dauide.

LXXIX. Voluẽtibus deinde annis Dauidi Regio Vati ita dilucidè arcanũ hoc nudauit Deus, vt cõmuni omniũ sermone traderetur, genus in Dauidem suum relaturum fuisse Messiam: Prophætarum alterum, alteri componit Doctor Angelicus, quò vter præstet alterum assequatur: eam tandem sententiam fert; Mosen Diuinitatis agnitione Dauidi, Dauidẽ Mosi Christi humanitatis notitiâ præcelluisse. Tertium hoc modicum in id vsq; tempus permansit, quo Zorobabel ad Templum iterum construendum incubuit; & quo Aggæus Prophetes hoc est Oraculum vaticinatus annos complectitur quingentos. Hanc igitur Modicorum rationem insistens Aggæus Israelitas monet in hunc modum: *Adhuc vnum modicum est*, quo euoluto, Diuina sunt promissa, veniet *desideratus cunctis gentibus*. Siquidem ex hoc Aggæi Oraculo ad Christi vsq; Vindicis aduentum

agitati sunt anni circiter sexcenti, sexaginta; quod temporis spatium primis, *Modicis* aliquatenus respondet. Vides is qua modò facilitate hoc Aggæi Vaticinium enodetur? Velle autem suos hoc in Oraculo numeros desiderari, vt Iudæi etiamnum pergunt, tertium ædificandum Templum contendentes, quod adibit Messias, ideoq; Danielis hebdomadas ex Iubilæis conflant, hoc, inquam, velle idem est, ac Sanctã Oraculis fidem abrogare: Siquidem Aggæus Vates de secundo apertè Templo sermonem habuit, cuius gloriam pleniori manu commendat: *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ*; quam illi suâ allaturus præsentiâ communi omnium sententia creditus est Messias. Quod verò Aggæus ageret de secundo, nihil est, quod vocetur in dubium; apertus enim Vati sermo est de Zorobabelis Templo, quod secundum extitit extra controuersiam; & perstaret, vt sanè perstitit, donec Messias in terras transmitteret. Ex quo planè concluditur secundo hoc Tẽplo euerso funditùs, aduenisse Messiam, vti quidem res fuit tot ab hinc annos. Perspicuum etiam est inter Sacrarum Literarum interpretes, præstantiorem hanc gloriam, quæ secundo Zorobabelis Templo tanta accideret, vt primas illi primum cederet è Christi præsentiâ illi promanasse, qua Dominus idem, ac mortalium vindex id Zorobabelis Templum, & affecit, & auxit; Postquam enim humanam sibi naturam adnexuit, illud non semel ingressus est, ibiq; disciplinæ suæ sementem fecit sæpius. E Christi, inquam, præsentia tanta illud gloria occupauit. Si enim primi Templi superbiam, ac majestatem, si cultum, si diuitias, repetierimus mente, quis primo à Salomone fabrefacto non adscribat oppidò Victoriam? Reliquum igitur fit vt illustriorem Zorobabelis Templi celebritatem non prædiuiti cultus supellectili, sed felicissimæ Seruatoris præsentiæ tribuamus, qui cum verissima nostrum omnium gloria sit, ità Templum reddidit gloriosius, illi Sanctimoniam præsentia, lucem doctrina, prodigijs honorem impertiens. Hic obiter Iudæi animaduertant; Salomonis Templum primũ vocasse Vatem; Zorobabelis vero non secundum, sed vltimum

Gloriã secundi templi à Messię præsentia illi prouenisse ostenditur.

timum nominasse: *domus istius nouissima*. Quò videlicet nullum deinceps futurum significaret, quod Iudæi mendaci in spe habent; vt illos olim irridebat Ieremias: *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est*. Quasi id diceret: Siquis vobis studeat persuadere, exædificandum tertio Templum, quod primum Salomon, deinde Zorobabel construxere, eam, quam mendacio, fidem habetote.

Ierem. 7.

LXXX. Hac itaq; ratione exponenda Aggæi Vaticinatio, quam mirè expedit Malachiæ Oraculum: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meã, & statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator, quẽ vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis*. Ex quo planè Oraculo tantum ad Aggæi Vaticinium lucis accedit, vt medullitus illius arcana patefiant. Tria præcipue sunt, quæ tãti Redemptoris aduentum celerrime fuisse futurum demonstrent. Primum in prima Vaticinij parte dilucidè admodum patet: *Ecce ego mitto*, qui loquendi modus rem quàm breuissimè futuram significat. Quod etiam elucet in illis verbis; *& statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator, quem vos quæritis*. Verum haud paulo maiorem exhibet celeritatem eiusdem verbi iteratio: *ecce Veniet*. Et vt se Deum esse profiteretur, qui venturus expectabatur, se, inquit, suum ad templum esse venturum; solius enim Dei Templa sunt.

Malac. 3.

Explicatur Aggæi Vaticiniũ Malachiç Oraculo.

Tria sunt in Malachiæ Oraculo, quæ breui futurum Messiæ aduẽtũ denũciarent.

LXXXI. Duplicem Prophetes aduentum vaticinatur. Primo hominem Deus induit, vt in hominum salutem Crucis aram seipsum immolaturus subierit. Altero iudicis fungens munere vitæ, factorumq; rationem à mortalibus exiget, & qui non sanctè ætatem agitarunt suam, dabũt sceleribus pœnas. Ita Vatem exposuit Cyrillus Ierosolimitanus: *& subito veniet ad vos Dominator, quem vos quæritis: Ecce vnus aduentus: & rursus de altero dicit: & Angelus testamenti, quem vos vultis*. Verùm si in primo aduentu, *Dominator*, quid in altero Angelus dicitur Testamenti? quia in primo totus in beneficia effusus est; in altero totam in scelestis puniendis iram exhauriet: nequid

Duplicem Christi aduẽtũ attingit Malachias.

D. Cyrill. Catech. 13.

verò

verò tanto obstrepat supplicio, deponit Conditoris Nomẽ, illudq; mutuatur à re creata; quarum videlicet ingenium est nemini, vel teruncij gratiam facere. Ita pænas exiget Numen ab illorum peruicacia, qui obuiâ primo in aduentu beneficia auidè, neglexerunt arripere.

LXXXII. Non contemnendum robur adiungunt huiusmodi explanationi prædictiones, ac disciplinæ, quas vetustissimi Iudæorum Magistri tradiderunt; ex quibus planissimum fit, se in terras humanæ Salutis parentem fuisse daturum, priusquam secundum Templum extrema inuolueretur ruina. Cuiusmodi rei non vulgariter inseruit illud Isaię: *Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile?* Quam Isaiæ prædictionem Editio Chaldaica multis ante Assertorem Christũ annis explicat in hunc modum: *Antequam veniat ei angustia, saluabitur, & antequam veniant dolores partus, Reuelabitur Rex Messias.* Cui explanandæ accuratiorem operam nauans Rabbi Adarsam commendabilis inter Talmudistas antiquitate; *antequam*, inquit, *natus esset qui redegit Israel in nouissimam seruitutem, natus est Redemptor.* In quo aperte docuit, futurum, vt Orbi illusceceret Messias, priusquam Titus Vespasianus ederetur in lucem; Hic enim ferro, igniq; Ierosolymam Vrbem depopulatus est, & vltimam seruitutem Iudaico populo imposuit.

Firmatur Rabbinorum disciplinis Aggei Vaticinij explanatio.

Isai. 66.

LXXXIII. Hoc Isaiæ Oraculo, suorumq; Talmudistarum testimonijs, quæ supra memorauimus, & quibus ipsi tenentur apprimè credere, euicti prorsus aliquot Iudæorũ Recẽtiores fatẽtur quidẽ natũ fuisse Messiã eo ipso die, quo Titus Tẽplũ æquauit solo, indeq; frustrari credũt argumẽtũ, quo Christũ IESVM promissũ in Lege Messiam verè fuisse, demõstramus: Siquidẽ natus est anno supra septuagesimum quinto priusquã Titus ęuersionẽ Tẽplo intulerit. Verùm sibi (mihi credant) dant verba; Verbum enim, quo hoc loci vtitur Isaias, id est, *Terem*, præpostere interpretantur; eum enim illi adscribunt significatum: *Terem*, id est, *dum*: cum longe alium sortiatur; idq; legitime significet. *Terem*,

Iudæorum aliquot effugium.

id

id est, *priusquam, vel antequam*: Quemadmodum apertissimè indicat, vocum interpres ipsos inter celeberrimus, Rabbi Rimhi ex multis Sacræ Paginæ locis: Itaq; quòd Vates prædixit, id re vera est: *Antequam parturiret, peperit*: Non autem. *dum parturiret, peperit*. Aliàs, abs re prorsus esset; Ait enim Prophetes, nihil post natos homines simile accidisse. Quid verò admirationem exciret, si dixisset, fœminam partùs doloribus incubantem edidisse partum, cum nihil in fœminis sit vulgarius; & ea soleant in admirationem venire, quæ raro eueniunt. Quæ cum ita sint, Iudæos imbecilli adeò innixos argumento ad veritatem nequeunt pellicere: etiam num penitus abhorrent à Christiana Religione, quin à sua illos sententia valeat amouere Christi vita testis locupletissima Veritatis; eiusdem gesta, prædictionum perfectio, diuinaq; de illo scripta; quin lucis aliquid accipiant à nitidissimis prodigiorum Radijs; quin deniq; ipsius Seruatoris eloquentia, qua se Messiam esse demonstrabat, satis sit, vt fidem extorqueat à Iudaico Populo. Imò tantum indulsit inuidiæ, tantum concessit odio, vt Assertorem decreuerit ad Crucem rapere, quominus manus daret apertissimæ Veritati. Minores verò, vt omnem tanti sceleris memoriam penitus obruant, & quo sempiternam hancce ignominiam à maioribus suis auertant, cum illos Diuinum Consilium fugiat, in nouam incidunt stultitiam; inquiunt enim, Messiam tum quidem temporis aduenisse, sed delituisse ad hanc diem. Et quidem in hac re sōniant, ineptiunt, & tricantur ita, vt vix cuiquam credibile sit reperiri Magistrum, qui ineptias huiusmodi effictiat; aut discipulum, qui suam collocet in illis operam.

Recentiorum ineptiæ.

LXXXIV. Primum itaq; docent (vix risum teneas Lector) Messiam magno in mari commoratum fuisse annos quadringentos: & octoginta (iræ vix parcas) in fumi ascensu cum Cerebi filijs; deinde Romæ octoginta annorū moram posuisse: Quidquid reliquum temporis sit, in maxima quaq; Vrbe contriuisse ferunt. Apagé, quam liberaliter mentiuntur! Ne mihi succenseas, Lector, si meras has nugas, dum illas improbo, nonnullo tibi videar habuisse

pretio.

pretio. Meſſiam, docent hi apprimè egregij Doctores, ea natum tempeſtate, cum Titus Ieroſolimæ Templum dedit in ruinam, quod certè contigit anno ab hinc ſupra ſeſqui milleſimum centeſimo. Vix natum, ſe derepènte ſubduxiſſe omnium conſpectui; & in noſtra vſq, tempora dicto iam modo delituiſſe. Modo me doceant, amabo, acutiſſimi hi Magiſtri, vnde è Sacris Literis tantum hoc Myſteriũ eruerint? quiſnam Vatum hæc euentura aliquando prædixerit? prædixerit autem? ſomniauerit. Ineptiſſimum omni ex parte commentum? abſurdam admodum recentiorũ ſtultitiam? apud veteres enim de hoc ne verbum quidem. Sed non poteſt non magno prudentibus dolori eſſe intueri tricas, ac mendacia, quibus hi pſeudodidaſcali implicant, & irretiunt indoctum quemq; Quorſum enim Meſſias humanæ deſtinatus ſaluti laruatus tot ãnos incederet? Quorſum res omnium ſeculorum votis expetita, ea magnitudine, ac Majeſtate, vt profecto eſt noſtrum omnium Aſſertor, quem maiorem Abrahamo, Moſe præſtantiorem, ſubliniorem Angelis Iudæi ipſi veriſſime teſtantur, quorſum, inquam, quadringentorum annorum moram trahat in mari? Quorſum inter Corebi filios fumi in conſcenſu octoginta traducat? Quorſum totidem inter elephantiacos Romæ? Non hæc cachinnis digna? Non ſuſpenſo naſo irridenda? Quod ſi Romæ annos poſuit octoginta, nunquam ne Iudæis occurrit? nunquam ſe Chriſtianis tulit obuium? cum ibi plurimi vtriuſq; generis ſemper fuerint commorati? qui potuit, per Deum immortalem, millenario annorum, (tot enim voluuntur, ex quo toto vagatur Orbe) non ſe ſe alicubi aperire? ita ne amabit latere? qui hominem induit, vt hominibus familiarius vteretur. Ite prorſus veſtris cum nugis! quid enim plus ponam operæ meris in ſomnijs? quid rationibus in illa inuehar, quæ ſuopte ingenio euaneſcunt? ea nimirum mendacij conditio eſt: quod, vt vincat veritas, ſtricto non eget gladio. Proiecit olim è manibus virgam Pharaonis Hypodeus Moſes, quæ in ſerpentem è veſtigio verſa Diuinam potentiam comprobaret. Mali dæmonis arte inſtructi idem Aegyptij patrarunt prodigium; Mendaciũ ſpontè deficit.

 Sed

Exod. 7. *Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum* . In qua quidem victoria triumphus exprimitur , quem agit de mendacio Veritas . Author est Sententiæ Tertullianus : *Corpora denique videbãtur Pharaoni , & Aegiptijs magicarum virgarum dracones , sed Moysis veritas mendacium deuorauit* . Nihil opus Mosi rationum momentis, quo mendacij technas debellaret: educta in aciem Veritas ita terruit fraudem , vt perleui hęc negotio victoriam cesserit . Quæ in Christum conuitia conferebant Iudæi , argumento in rem sunt minimè leui . Detulerunt Iudæi ad Pilatum de inuidiosis criminibus Christum . Nec verbum Seruator dedit , quo suam ageret causam : exciuit in Prætore admirationem silentium adeo præsens : *Et non respondit ad vllum verbum , ita vt miraretur Præses vehementer* . Quid autem in Consilio habuit Christus, ne tãtorũ criminũ imposturã refelleret? An desunt innocentiæ verba, quibus improbitatis impetum repellat? haud ita. Sed supersũt mẽdacio causæ, quo citò ruat. Tũ aptius respõdetur mẽdacio, cũ nihil respõdetur : Nullis, quã silentio, rationibus validius infringitur; cum enim nihil virtutis habeat, cadit vel sine impetu . Vt quidem Iudæis accidit ; Christi enim silentium, & illius innocentiam comprobauit, & Iudæorum mendacium aperuit : Itaq; Christus nullius compertus flagitij , Iudæi mendacij manifesti sunt habiti; vt sane erant illorum temporum æquales , & profectò sunt nostra memoria victitantes .

Tertull. l. b. de Armn c. 47.

Matth. 27.

LXXXV. Repetamus tamen nostræ Orationis seriem , hoc est; Aggæi Oraculi explanationem . Adstruimus itaq; Christi Seruatoris in Templum aditu expletam fuisse illã Vaticinij partem : *Et gloria domus istius nouissima plusquam prima* . Quippe Salomonis Templum ingenti fuit nebula offusum, qua Dei gloriam exprimi Sacra ipsa pagina exponit. Alterum vero Templum Sacra Christi Humanitas, corporeum Diuinitatis domicilium, est ingressa : Tanto igitur illustrior secundi Templi gloria extitit, quanto vmbræ Veritas præstat ; & quanto Deus ipse nostræ mortalitatis nube obtectus nebulæ ipsius Vicariæ præcellit . In hoc autem præstantior eminet secundi Templi gloria: quemadmodum

verba illa subindicant: *Meum est aurum: meum est argentum*: Quibus planè verbis dilucidè admodum significauit Numen, hanc Templo gloriam, non aurum, argentum vè conciliaturum vti primo pepererat, sed totam inde prouenturam; quod scilicet mortalium liberator Deus, & homo suo illud Numine, ac præsentia dignaretur, ac illustraret; hæc etenim dignitas tantùm cæteris præstat, vt nulla alia illi iure componi possit; & quam Deus multis antea seculis polliceretur. Nostræ etiam mirum in modum causæ seruit; quod in Salomonis Templo religiosè colerentur Arca, & Propitiatorium, quæ Christum typicè exprimebant; Cum tamen sit affinius Veritati defuisse hoc decus Zorobabelis Templo: quod probat, imo vti verum ponit Pater Riberia vir planè doctus ad primum Aggæi caput: ex quo rectè concluditur, maiorem haud dubiè fuisse primi Templi honorem, si secundi decus aliuude, quàm à Christi præsentia profluxit, cum illud duo illa pignora Christi prænuncia obtinuerit, quæ tamen in hoc desiderata sunt. Verum enim verò ea propter secundi celebritas primi gloriam tanta reliquit præstantia; quia hoc vmbram, illud lucem, hoc figuram, figuratum illud excepit: quantumq; discriminis interest Christum inter, & Arcam, Messiam, & Propitiatorium, id discrepat Salomonis à Zorobabelis Templo, primum enim adeptus est gloriam, sed infectam nebula; Secundum Diuinum Solem radijs cinctum vndiq; nactus est.

LXXXVI. Certum itaq; est nullo posse modo hanc Tépli dignitatem Ethnicorum Regum Maiestati attribui, qui se ad Templum contulere; quemadmodum ex Magistris Hebræis nonnulli insulsè sunt interpretati; Quotquot enim Reges illud sunt ingressi, id non Religionis ergo, sed profanandi expilandiq; causa prestitere. Vti illud Antiochus, Pompeius, Marcus Crassus, alijq; scelerati potiùs, quàm Religiosi adiere. Quin etiam nec magnus ipse Alexander honorem dici valet habuisse Deo, tametsi sacra illi in Templo faceret; siquidem, (vt author est Augustinus) id cepit consilij, non vera Religione adductus; qua sibi Litari amat Numen, sed animi leuitate, Deum, quem ignorabat, coluit

Haud tribui potest secundi tépli gloria Ethnicorũ Regũ Maiestati.

fuit illorum consortio, quos sortiebatur comites Idololatriæ. Ad hæc, illâ Religionis specie ciuium animos studuit deuincire, quo Vrbem suæ faceret potestatis.

LXXXVII. Et quamuis valeat Vaticinium cuilibet Seruatoris ingressui aptari; præcipuè tamen exponendum, cũ primùm Templum adiuit. Quod egit, cum quadragesimo ab ortu die Augustissima Deipara Aeterno illum Parenti obtulit. Vbi illum agnouerunt, salutarunt, adorarunt Orbis lucem, ac gloriam insignes illi Prophetæ; vti quidem fuere Simeon Iustus, (quem Hebræi suo in Talmud Rabbi Simeonem Iustum cognominant) Annaque Prophetissa.

LXXXVIII. Iam vero illud, quod prædictio nos monet, Deum videlicet Cœlum, Terram, Mare, & quidquid gentium vsquam est, suis esse sedibus exciturum, simulq; adducturum suum populis desiderium, nihil potuit diuinius inueniri, quod Dei Consilium proderet opportunius: cum enim id vnum Numen laboraret, mortales nimirum edocere, primam Angelorum, hominum, ac cæterarum rerum creatarum molitionem animorum Redẽptionis operi pręcise destinari, quod quidèm opus Aeternum Patris Verbũ absolueret, simul ac mortalitatem subiret, & se acerbissimis mactandum cruciatibus obiecisset. Hac igitur vsus loquẽdi methodo, vt totius Vniuersitatis fructum vnicum Diuinum hunc esse partum planum faceret: *mouebo*, inquit, *Cęlum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus*. Vt enim natura, cũ parturit fœmina; omnes exuit corporis humores, dolores cumulat, donec tandem in lucem fętum edat; haud aliter rerum moles tanto veluti prægnans fructu, ad quem Summus illam Opifex ædificarat, cum iam prope partus adfuerit, quidquid, vel supra solem, vel sub sole est, diuinæ potentiæ viribus commotum fuit.

Prodigia in Seruatoris ortu.

LXXXIX. Quod ad Cœlorum motum attinet, expletum profectò fuit auspicatissima illa nocte, qua libertatis humanæ parens è castissimo Virginis vtero, in infelicissimam terræ crepidinem exscendit: modulato Angeli concentu

Deo in excelsis gloriam, in terris hominibus pacem retulerunt. Nox ijs se radijs ornatam aspexit, vt iam diem lacesseret, nec immerito: quondam illi Dauid detulerat id honoris: *Nox sicut dies illuminabitur*. Se omnibus videndum obtulit venustissimum in Cœlis Astrum, quod nulli vel luce, vel magnitudine cedebat, hoc sapientes Reges, qui Orientis clauo assidebant tum temporis, ad Bethlemicum tugurium duxit, vbi Solem agnoscens suum erubuit nitescere tantam ad lucem. Nouo dein Prodigio tres Romæ Soles illuscescere visi sunt, qui in vnum amicissimè coaluere; emicuit etiam prædiues olei fons; & Cæsar Augustus, quem penes erat rerum arbitrium, Legem tulit, vt quotquot erant suæ obnoxij dictioni, ijs in oppidis profiterentur, à quibus erant oriundi. Quod (quis neget) fieri nequijt absq; magna populorum commotione, vt noster cecinit Vates: ad hæc magno Iudæa concussa est terremotu, quemadmodum meminit Iosephus. *Psal.* 138.

XC. Quod licèt de Terræ motu differere, illud est, quod hanc loquendi rationem teneat Sacra Pagina, quo prodigiorum magnitudinem in Seruatoris aduētu patrandorum impensiùs cōmendaret. Nec magnę est molis, vt nostram hanc explanationem labefactet, quod secundum Tēplum tertium Iosephus appellet ob insignem nempe operā, quā illi exornando maximis profecto impensis nauauit Herodes magnus; nihil enim aliud Hærodes præstitit, quam ea, quæ temporis iniuria vitiarat, nouare, ac reficere. Si illud tertiū dixit Iosephus, adductus quidèm ad id fuit magnas propter opes, quas octo annorum spatio Templi cultui insumpsit Herodes. Quia verò Templum idem omninò erat, quod exædificauerat Zorobabel, & de quo Aggæus in præsēs, optimo iccirco iure secūdum nominamus. Et in Euangelica Historia proditum est memoriæ, dixisse Christum Iudæis, se, si Templum ipsi euerterent, triduo illud esse excitaturum: ad Christum illi; annis sex, & quadraginta fuisse illud ad fastigium perductum; qui ipse præstaret triduo, quot ægrè tot annis est absolutum? tantum enim temporis collocarant in ædificando Zorobabelis Templo. Vnde nequit

quit

quit in dubitationem adduci idem prorsus Templum esse, quod Christus nostrum omnium vindex adijt, & de quo sermo est in præsens Aggæo Vati.

Salomonis têplũ Zorobabelis magnificẽtia, et opulentia longè præstitit.

XCI. Deinde liquido patefit Templi à Salomone affabre absoluti maiorem extitisse gloriam, si res ex apparatu, & gloria sit æstimanda. Nam quod Zorobabel construxit, tantum à primi magnitudine, ac maiestate degenerauit, vt, quemadmodum traditur in primo Esdræ Libro, exacta iam ætate senes, qui primi suspexerant magnificentiam; facta inter alterius dignitatem, & humilitatem alterius cõparatione lacrymis nequiuerint temperare: Vt Iosephus quoq; affirmat, additq; Persiæ Reges nunquam potuisse adduci, vt facerent Iudæis potestatem, quò illud ad pristinum fastigium eueherent, & ijsdem, queis priùs, diuitijs exornarent. Vnde illustris illa gloria, de qua Vates, adscribi nullo pacto valet Templorum apparatui, vel diuitijs.

XCII. Vehementer etiam iniquum est, ingentem hanc gloriam, quam Vate internuncio semel, atq; iterum Deus recipiebat, opibus, ac operibus tribuere, quibus Rex impietate, & tyrannide famosus, nempè Harodes, Templi molem erat aucturus, cum aliud sibi, aliud hominibus ingenium esse testetur Numen: illi enim primas rerum facies, & probant, & amant; Deo tamen nihil pergratum, periucundum vè sit, quod non commendet castissimum Sacrantium cor, & minimè inane meritorum pondus. Cum præsertim secundo ea defuissent, quæ Diuinam possent gratiam vehementiùs demereri, quæ maximam primo gloriam peperere, videlicet Testamenti Arca, quæ Legis tabulas adseruabat. Propitiatorium, ex quo Deus prodebat oracula: Manna Vrna; Aaronis virga, Vnctionum oleum; Summi Sacerdotis Rationale, & non minorjs pretij alia. Vnde alterius Templi supellex, nullo potest iure primi superbiæ præhaberi. Igitur ad plenùm manet exploratum non aliunde, quàm á Christi Assertoris præsentia hanc illi gloriam promanasse, vt supra non semel docuimus; omnia enim glorià circunfluunt, quæ Christus præsenti fouet Numine.

Vbi Christus adest, omnia gloria circũfluunt.

mine. Angelorum illi apices, quos Diuinæ Maiestatis solio adesse, vidit Isaias, altissima clamabant voce, Terrarum ambitum Diuinâ circumquaq; gloriâ superfundi: *Plena est omnis terra gloria eius*. Quod tamen animantes illas, quæ se Ezechieli obtulere, præstitisse minimè legimus. Cuius rei causa ea mihi non prorsus inepta adduci potest. Ezechielis animantes Deum Cœlis dominantem venerabantur, Isaiæ Seraphin Deum hominem factum peramanter colebant: *Per illam apparitionem*, interpretatur Lyranus apprimè doctus, *in effigie hominis sedentis significatur Deus humanandus in persona Filij*. Enim verò profectò quem locum Deus naturam indutus humanam occupat, non ipsum modo, sed quidquid ambit, vndiq; effusis suæ gloriæ radijs longè, lateq; amplectitur. *Isai. 6.*

CAPVT SEXTVM.

Micheæ, ac Danielis Vaticinij cum Christi ortu Harmonia.

XCIII. A Michea licet initium ducere, qui Seruatoris cunabula præscia contemplans mēte effatur in hæc verba: *Et tu Bethlem Ephrata paruula es in millibus Iudæ: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus Aeternitatis*: quod quidem Oraculum de Messia explanatum vsq; fuit. Bethlemicum ergo oppidum in Christi cunabula destinauerat Numen: quod sane oppidum eundem belli impetum, eundem militum furorem, quem cæteræ Iudeæ Vrbes Titi Vespasiani temporibus, est expertum, & memoria nostra ignobilis, & sine nomine viculus est, quem Turcæ, Mauriq; incolunt; cum tamen Iudæi toto Orbe dispersi Sedibus vagentur incertis, quæ cum ita sint, quis Messiam, priusquam Iudæi damnarentur exilio, neget fuisse natum? quod sub idem temporis accidit, quo Christus in nostræ salutis authorem *Concentus ex Michea.* *Mich. 5.*

thorem

thorem editus est. Quod si Bethlem suis iam est ruderibus obruta, ineluctabili sanè argumento est, iam natum fuisse Christum. Vsus in Iudæos fuit hocce argumento Tertullianus. *Quomodo nascetur de Iuda; & quatenus procedet de Bethlem, sicut Diuina Prophetarum volumina denunciarunt, cum nullus omnino sit illic relictus ex Israel, cuius ex stirpe possit nasci Christus?* Diuino accidit Consilio, vt Mauri, ac Turcæ suam ibi locarent sedem, nullæq; manerent Iudæorum reliquiæ; quo sibi nimirùm habeant Iudæi persuasissimum, iam dudum Orbi illuxisse Christum; cum nullus in Bethlem reliquus sit Iudæus, è quo valeat Christus enasci. Nec mihi veniant obuiam, conenturuè argumentum refellere, repetendi Iudæam expectatione, ac proinde posse iterùm Bethlemicam Vrbem è cineribus excitare; & expleri tunc quidem posse de Christi ortu Vaticinium. Primum enim liquidum in primis ex Vaticinijs reddidimus, iampridem aduenisse Messiam. Vnde tam inani spe Christi aduentum, quàm in Patriam reuersionem expectant: Falsi animorum sunt vtrobiq; quia vtraq; spes Diuinis obstrepit Oraculis. Ea propter, vt illis supplicium irrogaret Numẽ, ob illatam Christo necem, non illos modo abdicauit Regno, verùm illud etiam tribuit Ethnicis; si enim illos tantum expelleret, nec terras alijs daret incolendas, possent adhuc esse in spe, in illas se posse restitui; At verò omni manent spe deiecti, siquidem in alienam ditionem concessere. Has Christus minas Iudæis incussit, cum Israelis Regnum, cuius typum vinea, de qua apud Matthæum, & Isaiam, ferebat, illis ablatum iri prædixit, & tradendum alijs, qui illius gererent curam: *Et vineam suam locabit alijs agricolis.* Quid? non acerbo admodum exciperentur supplicio, si eijcerentur tantummodo è vinea? quid opus alijs fuit locanda? voluit nimirùm Numen Iudæorum spem penitus infringere: ideo quam illis vineam adimit, alijs locat: Si enim alios in Regni possessionem missos non viderent, aliquantula adhuc spe ipsis blandiretur, posse se pedem ponere in Iudæam: Cum verò iam alterius subierit potestatẽ, stultum est, ea spe etiam nùm teneri. Quod præ oculis habuit

Tertul. lib. aduers. Iud.

Math. 21. Isai. 5.

buit Christus, cum minante Isaia solitudinem Iudeæ. *Et ponam eam desertam*, alijs addidit diuidendam: *& dabitur genti*. Quid enim posse se sperarent Iudæam iterum occupare, quam iam factam alieni iuris intuebantur? ipse exterorum conspectus illos penitùs deturbaret spe. Cum idē ipse populus Israeliticus Babilonem in seruitutem est missus, mandauit Iosephus literis, Chaldaicam Nationem nullas in Iudæa Colonias constituisse, tametsi oppida suis manerent ciuibus viduata; Vt significaret Deus, se non illos penitus euellere, licèt succideret, accoles quidèm pampinare, non tamen radicitus eruere; quod si vellet omnem Iudæorum spem tollere, alijs tellurem incolendam diuideret. Verum quos ante Messiam clementer punijt Deus, in hos post Christum natum debitis sceleribus pœnis animaduertit: Non interlucauit modo, sed ictum egit ad radices: vt prædixit Baptista: *iam securis ad radicem arboris posita est*. Quo fidem faceret, inanes esse Iudæorum spes, quæ nulli nituntur stabili fundamento, vtpotè quæ nullis defixæ sint radicibus; cùm igitur stultè admodum sperent, risu ab omnibus excipiuntur. Quod iam olim prosequebatur lacrymis Ieremias: *Eradicationem, & obiectionem posuisti me in medio populorum*: prius ad eradicationem, quam ad abiectionem intendit lacrymas. Eapropter gentium ludi Iudæi fiunt; quia infirmæ spei obfirmatè incumbunt: inuersis ad aerem radicibus. *Eradicationem posuisti*. Ipso aere leuiores huc, illuc aguntur omnium salibus, ac probo expositi; & quidem meritò, cum Bethlemico in Oppido, sed cum iam penè interciderit Bethlem memoria, nasciturum Messiam expectent; ipsiq; non terram in terris inueniant, quam certè incolant.

Isai. 5. *Math. 21.*

Luc. 3.

Ierem. Thren. 3.

XCIV. Non contemnendos sententiæ nostræ neruos addit huiusce Vaticinij explanatio, quam (vt author est Galatinus) magna Iudæos inter authoritate Magister, Sacrorum Librorum interpres, nomine Rabbi Salomō adiūgit; Hunc alicubi vocat in testem D. Thomas. Ergo illius explanatio est huiusmodi: E te mihi prodibit Messias Dauidis Filius: quemadmodum ipse inquit: Lapidem,

Explanatio Rabbi Salomonis

quem reprobauerunt ædificantes , hic factus est in caput anguli : quod hac paraphrasi donauit Ionathas . Ex te egredietur mihi Messias : cuius quidèm egressus ipsos seculi dies preuertit : Vt est in Psalmographo : Ante solem illi nomen fiet natus, vel genitus, vel Filius . Transcripsit Ionathas : Ante seculi tempora inditum est illi nomen, Rex ; Prosequitur Vaticinium : *propter hoc dabit eos vsq; ad tempus in quo parturiens paryt* . Ita sunt interpretati Doctores nostri: Hinc planè concluditur Dauidis Filium, id est, Messiam nasciturum non esse in id vsq; tempus, quo Regnum improbum, hoc est, Romanum totum rerum arbitrium obtinuerit nouem mensium interuallo : Referta sunt mysterijs hæc scripta .

Conuincitur Salomō argumētis à sua ipsius explanatione petitis.

XCV. In hac expositione ea certè attigit Rabbi Salomon, quæ satis essent eum ad verā Christi agnitionē ducere, ni vellet prudens, volensq; obluctari veritati, quam hic adeptus est . Paucis volo obstinatum hunc Rabbinum . Si ex Vaticinio illustris Dei natalibus futura erat Bethlem , quæ quidē nostra memoria, & obliuione, & cineribus obruta est , Iudęiq; per omnes Orbis plagas diffusi sunt , vti omnia suis iam tēporibus certe contigerant; Si Christus ad Iudæ Tribum suū per Dauidem genus referebat : & Bethlehem suos in ortus elegit; si verbis , & prodigijs se Messiā in Lege promissum esse comprobauit , quid causæ habuit , ne Christum merita Religione exciperet ?

XCVI. Deinde, si in hac glossa apertè admodum fatetur, Messiā futurū illū lapidē , quem qui ædificio operam impendebant , despicatui habentes erant repudiaturi : sed qui postea supremam clauderet operis partem , & vtrumq; firmaret parietem : Seruator verò, Christus à Iudaici Populi Dynastis nec agnitus, nec eo , quo æquum vehementer erat, honore habitus est : Imo nullius sceleris cōpertum solius inuidię gratia in Crucem rapuere ; qui tamen ijs affectus iniurijs latè Orbi dominatur, suoq; audientes dicto populos regit , quinetiam ipsum Romanorum Imperium , cum se superbius circunspiceret, & magnitudinem iactaret suam , in illius ditionem vltro concessit : Ita sibi videlicet

Chri-

Christus adnexuit angulatus veluti Lapis, & Iudaicum, & Ethnicum populum, quo argumento poterit, ne se Christo adiungeret, inniti?

XCVII. Si sua in explanatione disertis verbis testatur, Messiæ Ortum, Solis, ac Lunæ lucem, temporumq; cursum longè ab ipsa Aeternitate præuertisse, quemadmodum exponit Paraphrasis Chaldaica; & nemini, nisi vni Deo, ante tempus esse contingat: deinde agnoscens Christi Assertoris morti hoc nomen prætulisse suos maiores, quia nimirum se Deum esse prædicabat; cùm hanc prędicationem vitæ integritate, prodigiorum magnitudine, oraculorum absolutione verissimè confirmauerit; Quid illi Messiæ Diuinos honores non detulit? & quid alium hominem tantum habet etiam num in spe?

XCVIII. Quarto: si Messiam asserit circa id temporis accessurum, quando Romani Orbem Vniuersum suæ facerent ditionis, quod certè præcisè euenit, cum Augusti tēporibus Augustissimus Aeternitatis Princeps Christus IESVS mortalem subijt lucem: Ad hæc, cum ipse Rabbi Salomon sua memoria (anno videlicet humanæ salutis millesimo ducentesimo, octogesimo) in peiùs indies inclinantem Romanā Maiestatē adspexerit: quare non resipuit, seq; ad Christi disciplinam applicuit? de quo aptissimè dicas, quod olim Isaias: *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte Visionem, & nolite cognoscere: Exceca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* Vbi licèt animaduertere: *ne corde suo intelligat.* Isaiæ quidem, sed de Iudaico populo id edixit Numen: Iccircò non se Rabbinus ad Fidē traduxit; & pleriq; omnes Iudæorum ideò non Christum induūnt, quia, licèt verum intellectus attingat, à vero cor longè abhorret: *ne corde intelligat.* Vbi verò desideratur in corde ratio; Fidei mysteria nullatenùs percipiuntur. Multorum millium fami panibus quinq; ac duobus piscibus opiparè est Christus opitulatus: Conuiuij Reliquias coegere Apostoli: *Impleuerunt duodecim cophinos.* Et quod

Isai. 6.

Si cordi desit ratio, fidei mysteria nullatenus percipiuntur.

Ioan. 6.

ipſiſmet oculis prodigium intuebantur, diſcipuli, *non intellexerunt de panibus*, ait, Ioannes. Portento ſimile! Si oculos non fallit prodigium, quî intellectum fugit? mentem hebetat patratum miraculum, quod aciem deberet ſubtilius acuere? Ioannem accipe: *Erat enim cor eorum obcæcatum.* Duplici Fides paratur intellectu; alterum præſtat mēs, cor alterum parit: quorum ſi alter deficit, languet Fides: Licèt enim intellectus oculorum ope prodigium, hoc eſt panis multiplicationem fuerit aſſequutus; cum cordis intelligentia deſideraretur, non Myſterij ſenſa penetrarunt, non quidem mentis culpa, ſed voluntatis caligine; Nihil enim ad Fidem intellectus probitas facit, cum officit volūtatis improbitas. Ea de cauſa prudentiſſimè Ioannes non in mentem, ſed in cor contulit hoc loci inuidiam criminis. Et Seruator Chriſtus nutantes in ſuæ Reſurrectionis fide diſcipulos, cum illos aſperiùs exciperet, de cordis ſtultitia
Luc. 24. inſimulauit: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum*: intellectus eſt tarditas, non voluntatis; illos tamen tardæ arguit voluntatis, quippè ex qua emanat inſcitia, quæ intellectum auertit à Fide. Vertant ergò Iudæi ſuæ voluntatis ſceleri Chriſtiana Sacra non amplecti: ad cor agit radices hæc perfidia: *ne corde intelligant*; quæ etiam Rabbi Salomonē tenuit, ne, cum Vaticinij explanationem nobis commodaucrit, prædicti fidem indueret; nec dabit hoc vitio mentis, ducat animi peruicaciæ: æquiſſimam criminis pœnam! Laboret alijs Iudæus in expedienda Vaticinatione, ſibi otioſus, imò noxius; qui repertum per oracula Chriſtum non adorauerit. Facem nobis prætulit, ſibi amauit tenebras: optimè de nobis meritus, niſi ſibi beneficium inuideret, ſuſpectum enim fecit, cum non amauit; ſed fas eſt doceri vel ab hoſte; præcipuè cum antiquum teneret Iudæorum. Hi enim lucis vice funguntur ſæpè alijs, qua ſibi prodeſſe neſciunt. Illius ætatis Rabbinos adſciuit ad Cōcilium Herodes, à quibus fieret certior, vbi nam natus fuiſſet Chriſtus, quo Magos inducere ſtudebat: *Congregans omnes principes Sacerdotem, & ſcribas Populi ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* Illi Bethlehem, inquiunt, tāto

Iudæi alijs ſæpè proſunt, ſibi neſciunt.

Regis

Regis Ortu illustrandam ; vt erat in Micheæ Oraculis : *Et Tu Bethlehem Terra Iuda*, *&c.* Illud hic diligenti animaduersione dignum. Appulere Iudæi animum ad Vaticinij interpretationem, quam Magi oblatam auidissimè arripuerunt ; neglexere Iudæi illorum vestigia insistere, quibus præmonstrauerant viam. Quid est in causa, vt maximam inde Magi vtilitatem demeterent, vnde Rabbini interpretandi tantum laborem capiebant ? quia illis licèt Vaticinia fuerit à Numine impertita, nostræ tamen vtilitati sunt nuncupata : Illis interpretandi cura ; nobis progrediendi studiū incumbit. Illi enim si quando mente Mysterij veritatem assequuntur, recenti veritatis radio offundunt voluntatis tenebras. In irritum itaq; cadit mentis conatus, qui cæco voluntatis impetu infringitur. Quę quidèm in nobis euentus excipit prorsus alius, quia,vt illorum nonnulli re ipsa Vaticinationes interpretentur, nos huiusmodi laborum fructum percipimus, quem ipsi decerpere labore nituntur benè exiguo : vt fidem facit Rabbinus, quo cum nobis hactenus res fuit. Micheæ oraculum de Christi ortu verà affecit interpretatione; sed oblatrauit Veritati, quam comparauerat : Rectū egit interpretem : iniquum se præstitit Iudęum : Nimirum qui menti illuxerant radij, nō fugarunt pectoris tenebras: & languente cordis cognitione : *Ne corde intelligant*, voluntas curriculò incidit in obstinationis morbum. Hæc de Micheæ Vaticinio ; ad suum enim nos Daniel inuitat. *Mich. 5.*

XCIX. Nabucdonosori monstrosam statuam in somnis obtulit Deus,quò, Daniele interprete, quod fatum impenderet quatuor Orbis Imperijs, significaret. Memorat itaq; Prophetes Daniel, aureum statuæ caput, argenteos fuisse humeros; ex ære ventrem, & femora; crura,ac pedes ex ferro, & argilla coaluisse. Exposuit Regi Prophetes, aureo in capite ipsius Dominatum exprimi ; nempè Assyrium, ac Babylonicum, argenteis humeris designari Imperium, quod in illius locum sufficeretur (id Persarum ac Medorum fuit) duo enim hæc Regna amplectebatur. Venter Cōcentus ex Daniele. *Daniel. 2.*

ter, ac femora tertij Principatûs Imaginem retulere (Græci eum obtinuerunt.) Ferrei deniq;crura,ac pedes,illorũq; digiti ex ferro,& argilla formati quartum referebant Imperium,(illius habenas tractauere Romani,) & quia in Oriẽtale , & Occidentale bipartitum est, gemina illi crura adscripta sunt : id autem Mysterij inerat pedibus partim ex ferro,partim ex creta effictis, nimirum diuidendum fuisse Regnum, vt magno inter se discrimine discrepant argilla, ac ferrum : In hoc quidem exprimebantur Romani, Iudæi in illa; in ferro Romani , vtpotè quod omnia euincat; in argilla Iudæi vtpotè qua nihil imbecillius . Qui Machabæorum temporibus sibi Romanos fædere illigarũt: quod quidem fædus à ferri Plantario (vt docuit Vates) sumeret initium : Vnius verò, & alterius Populi diuisio in conspicuo est, ob Legum,Rituũq; disciplinam apprimè aliam,cui assueuerant. Ferrum dicit argillæ fuisse immistum , vt significaret, ineundam Romanos inter,& Iudæos (vt Authores sunt Iosephus, & Galatinus) matrimonij iure affinitatẽ. Quod euentus excepit, cũ Herodes Ascalonita Ethnicus,& Romanorũ ditioni obnoxius Mariannen Machabæorum Principum sanguine oppidò illustrem sibi matrimonij vinculis adstrinxit : Illud verò quod addit : *Commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi*, Barbaram illam, & nullis rectroactis seculis auditam consuetudinem , quam Herodi cum Mariannes cadauere opobalsamis condito fuisse memoratur, designauit; quæ quidẽ Marianne mortem sibi adsciuerat,coniugis iniquissimi Thalamum pertæsa.

Auulsus è monte lapis statuã dejecit.

C. Ad hæc Danieli aperuit Deus , lapidem è montis vertice nulla dedita opera auulsum fecisse impetum in statuæ pedes, quam illico afflixit ad terram,& in frustra dissecuit : Lapis verò post grande hoc facinus tantum in montem excreuit, vt terræ æquauerit magnitudinem: edocebat his Numen, à se Regnum fuisse instituendum , quod non alius populi seruiret Imperijs; imo omnia ab illius penderent nutu,& illa quatuor Imperia penitus cogeret interire, nullius temporis vicissitudini obnoxium.

 Effinxit

CI. Effinxit, vt docuimus, Deus in quatuor præcipuis Statuæ partibus quatuor Principes Orbis Dominatui, qui ab ipso rerum exordio floruerunt; nec non Idololatriam, quæ terris semper imperauit, non exiguam illi opem conferentibus Monarchis, penes quos rerum erat arbitrium, tributis Cacodæmoni Diuinis honoribus, qui summū per scelus Imperium Orbis vsurpauerat, in ea vsq; tempora, quibus temporibus Christus nostræ libertatis vindex disciplinæ suæ institutis iniquissimū Tyrannum solio deturbauit, & ingentem Statuæ molem prostrauit. Ethnicos Deorum cultus graphicè expressit Statua; quid enim aliud efficiunt Idololatriæ addicti, nisi Religionem, ac honorem habere Statuæ? Idolum autem, ac Statua idem prorsùs sunt. E diuersis ducta metallis, partibusq; conflata varia idololatriæ genera demonstrauit, quibus vbiq; infectus est Orbis. Caldæis, ac Babilonijs delactæ sunt primæ, apud illos enim primùm effloruit principatus: Secundæ concessæ sunt Medis, ac Persis, qui Babilonios potestati suæ submiserunt: Græcis tertiæ: quia Persas Imperio suo adiunxerunt. Postremo deuictis à Romano Græcis in illius ditionem concessit Orbis Imperium.

Statua Idololatriā referebat.

CII. Lapis ille nullius hominis impetu è montis cacumine iactus, qui aurum, argentum, æs, ferrum, ac argillam, totam ipsam Statuam strenuè adeò inuasit, vt non modò profligauerit, sed in cineres penitùs redegerit, prænuncius quidē fuit è Virgine Sanctissima èditissimo Ecclesiæ monte non humana planè opera; sed Diuina Virtute Assertorem Orbis nasciturum, qui cùm lapis sit, ab ædificantibus stultè licèt improbatus, ita tamen doctrinę suæ radijs augesceret, vt totum terræ ambitum sui nominis gloriâ compleret, idololatriæ statuam in terram impigrè deijciens, & Orbi penitus interdicens. Duo hic dabo pro par ergo. Primum illud est, Virgini Deiparæ montis magni nomen, Christo verò exigui lapidis fuisse factum. Quid? minorem Virgine Christum, credendum est? minime quidem. Sed ita omnium oculos sibi Virginis Sāctimonia deuinxit, id tenuit virtutum omnium fastigium, vt sublimem offenderet.

Lapis Christum mons Virginem designabat.

deret montem, qui mentis oculos ad illam referebat. Christus ita suæ sanctitudinis radios temperabat, vt qui in illam occurreret, offenderet lapidem extrema sui parte eminentem. *Vnde hoc mihi* (secum ita Elisabeth) *vt veniat mater Domini mei ad me?* Si illam Virgo officij causa conueniebat, conferebat idem beneficium Christus sanctissimæ Parentis vtero, tanquam aureis etiam num vinculis retentus: Si totam se igitur Parenti effundit in gratias, quid Filij beneficio non meritis respondet officijs? Non illustrior Filio Parens; qui cum penitissimo in recessu ætatulam exigeret, fiebat ignobilior fama, quo Parentis gloria redderetur illustrior. Hunc habuit Matri honorem, vt scilicet mayor ab hominibus plausu exciperetur. alterum illud est, nempe, lapide è monte auulso, fuit peropus, vt affligeretur ad terram statua; id est, quo Idololatria daretur pessum, Deum in Mariæ visceribus hominem fieri; res exegit. Quid ita? non posset Deus barbaros idolorum ritus è medio tollere, ni sibi è Virgine naturam humanam assumeret? quidni? Sed dedit hoc Virginis Nomini, vt arma, id est, humanitatē tribueret Christo, qua vincat, exarmet, castrisq; exuat, quod diuina potentia non valuisse quadammodo videtur. Magnus Achasum incessit timor, simul ac Syriæ Regis vires, ac potentiā vidit: neu despondeat animos, iubet Deus: *Noli timere*. Et quo pharmaco ægrotantem timore Regis animum leuat? *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*. Et cadentem Regis animum erigeret Virgo facta Parens? erigeret. Nam Virgo hæc Maria est, cuius è visceribus maiores duxisse vires quodammodo videtur Deus, vt suos penitus hostes profligaret. *Hoc signum proponitur Regi, vt petat sibi remedium: Per quod nec Regiæ Potestates extollentur supercilio, nec certè ærumnæ alicuius exceptione perturbantur, vt erat perturbatus, cum bellum sibi videret à Syris inferri*. Quo virium suarum cum Christo periculum faceret, priusquam Euangelij sementem fecisset, ad singulare certamen malus dæmon in solitudinem prouocauit, ac duxit: *Ductus est ab spiritu in Desertum*: quid ad illum machinas domi non admouet? Deterrebat nimirum

cacodæ-

Luc 1.

Achasi timor Virginis nomine expelli tur.

Isai. 7.

D. Ambros serm. 8. *in Psal*. 118.

cacodæmonem Parentis reuerentia, tantum vel à dæmone Mariæ tribuitur Sanctimoniæ?

CIII. Sed digressos paululũ alta nos ad se voce Vaticinium reuocat. In quo quidem Christianum exprimi Regnum ita in propatulo est, vt non modo Doctores, & omnes Ecclesiæ Patres sententiam hanc amplectantur, loquor Hieronymum, Augustinum, Bernardum, Drogum ostiensem, Theodoretum, Lyranum; verum etiam veteres Hebræorum Rabbini concordissimè illi subscribant. In quibus Rabbi Abrahamus vaticinationis verba enarrat in hũc modum: Cœli conditor, ac Dominus Deus creabit Regnũ nullis vnquam temporibus diruendum: Regnum hoc est Messiæ destinatum. Et in Psalmi septimi decimi explanatione addit: Cum se in terras quanta maxima celeritate Messias contulerit, nulli personabunt cantus, donec ad illius pedes prouoluatur statua digitorum, Regni videlicet improbi, quod est Romanum. De quo in secundo Danielis capite: Pedum digitos ferrum effingebat, & testa: altera enim Regni pars firma, infirma erit altera. Istiusmodi Regum memoria Cœli Dominator Deus Regnum condet, quod nullo in posterum fine circumscribatur: quæq; alia delebit Imperia, hoc vnum stabit immotum. Ille verò Lapis excussus è mõte nullius hominis operà, Rex est Messias: Vti magna Geneseos expositio enarrat. In eandem sententiam abit Rabbi Salomon ad illa Isaiæ verba. *Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, & in petram scandali.* Lapis hic, inquit Rabbinus Salomon, nõ vano Messiam augurio designat, in quem ferrei, ac testacei statuæ pedes impingentur, & obterentur. Regnum videlicet Romanorum, & Iudæorum.

Hieronim. epist. 75. August. in Ioãnẽ. Drog. de Sacr. D. Pass.

Isai. 8.

CIV. Debellauit statuam Lapis, & funditùs dedit in ruinam; Euangelicam Christi disciplinam expressit, quæ Ethnicas superstitiones emandauit è terris, primùm meritoriè, ac satisfactoriè, (vt loquuntur Theologi) cum suum nostræ libertatis pretio impendit sanguinem, & mortalium scelera mortem obijt expiaturus, excipiente nimirum euẽtu id, quod suam paulò ante necem prædixerat: *Nunc Iudicium*

Ioan. 12. *dicium est Mundi, nunc Princeps huius Mundi eÿcietur foràs: & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Et expleta reapse est suis numeris tàm Danielis, quàm Assertoris Christi Vaticinatio; cùm Constantinus Imperator ad annum post Christi aduentum tercentesimum, Diuinæ Fidei Radijs non vulgariter illustratus Christum verè Deum, verè humanæ salutis Authorem Rite coluit, & Religiosè adorauit: Et lege cauit saluberrima, ne non nisi Christo totò Romano Imperio Diuini honores decernerentur; in quo planè temporis articulo statuæ Idololatriæ, ac demonum superstitio, quæ in ea vsq; tempora Orbi suis iam inde à primordijs imperauerat, interijt ab stirpe.

Chaldæi Idola primi coluere, et statuæ caput effinxere.

Persę brachia, ac humeros.

Ventrem, ac fęmora Græci.

Romani crura, ac pedes.

CV. Qui primi inanibus Dijs Numinis Religionem tribuere Chaldæi numerantur, ac Babylonij: & hi quidèm statuæ caput effinxere. Quibus deuictis concessere in Persas Regij fasces, qui fabricandæ statuæ operam impendere minimè negligentem; adiunxere capiti humeros, ac brachia. Inuecti in Persas Græci extorsere Imperium vi armorum; Neq; hi minus bene de statua meriti, ventrem construxerunt, & femora, Deniq; (quæ est humanarum rerum vicissitudo, delatum est ad Romanos rerum arbitrium, qui, cùm statuam omnino prosternere vehementer æquum esset, extremam illi manum imposuere; & crura addiderunt, ac pedes, in Vrbem Vniuersi Orbis caput, gentium omniũ superstitiones, & errores inducentes. Quando igitur summum venerationis fastigium ædepta fuerat statua Idololatriæ, ab editissimo Orthodoxæ Ecclesiæ monte Angulatus Lapis Christus Iesus emissus est nullis quidē humanæ potentiæ viribus, nulla armorum vi, ac strepitu, non explicatis in acie copijs, sed vna tãtùm Diuina virtute fecit in statuæ pedes petitionem, quam oppidò deiecit ad terram, tantam Orbi lucem impertiens, vt vera Dei agnitione longè, lateq; compleuerit.

CVI. Hoc inter se concentu Testamentum vtrumq; conuenerunt; quia si regnante tantummodo Christi Euangelio, Danielis prædictio sortita est euentum, vti etiam illa

Zacch. 13. Zacchariæ, quæ inquit: *Et erit in illa die, dicit Dominus exer-*

exercituum, disperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltra. Et illa Sophoniæ; *Tunc reddam pupillis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno*: quæ quidem Doctores tum nostrates, tum Hebræorum vni Messiæ adscripserunt; æque etiam expletum cernimus, quod Christus apud Marcum edixit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Ad quæ è vestigio addidit, à suis imperata seruis facturos Dæmones: *In nomine meo Dæmonia eÿcient*. Quis tunc non id genus prodigia magna excepit admiratione? Quod hodie, etiam Euangelicis in concionatoribus amamus, qui acerrimum ita bellũ malo indicunt Dæmoni, vt illum idolis cogant facessere, & statuas illius domicilia strenuissimè perfringant; Sanctissimamq; Euangelij disciplinam felicissimo fænore disseminent. Ità planè Euangelica instituta perfecerunt, quod olim Rex Ethnicus somnio futurum præuiderat; quodq; Zaccharias, ac Sophonias prænunciauerãt de Messia; quodque Isaias de Aegiptiorum præsertim superstitione cecinerat: *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulacra à facie eius*. Quẽadmodum ipsi etiam Talmudistæ explanant, qui ad illa Salomonis Epithalamij verba: *Vox dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles, Hic est*, inquiunt, *Rex Messias, & non est hic aliud mons, quam seruitus aliena, id est, Idololatriæ*.

Soph. 3. — Isai. 9. — Cant. 2.

CVII. Prophetes Daniel ad Isaiæ Oraculum alusit: *Venite, ascendamus ad Montem Domini, & ad domum Dei Iacob. In die illa proÿciet homo Idola argenti sui, & simulacra auri sui*. Quod etiam Micheas dilucidè adeò prædocuit, vt Christum Vniuersitatis Dominum nemo possit inficias ire Lapidem esse angularem, qui statuam profligauit, & in montem excreuit ita ingentem, vt terram vniuersam impleuerit: de quo Isaias, & Micheas: *Ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas*. Siquidem Christus nostræ felicitatis parens nobis eam Legem tulit, eamq; docuit disciplinam, quæ nos ad æternæ tranquillitatis Regnũ felicissimè ducat: vt cælestis vnius, alteriusq; Testamenti

Harmonia perſuadet. Quæ quidem Danielis Vaticinatio his, quos diximus, calculis æſtimata, (in hunc enim modũ Eccleſiæ Doctores, ac doctiſſimi Hebræorum Rabbini eam explanant) reſpondet muſicè ijs prædictionibus, quæ Meſſiam Terrarum Lucem, Magiſtrum, Doctorem gentium, Legislatorem appellant, quarum quidèm prædictionum numerum non facilè præ multitudine eſt recenſere.

CVIII. Doctiſſimus quiſq; Hebræorum Magiſter hanc etiam ſententiam inſtitere. E quibus Rabbi Moſes Adarſanus commentum ſcribens ad illa Geneſeos verba: *Non auferetur de Iuda*. Sceptrum, inquit, dixit, non Reges; quia in conſpicuo eſt, Reges non ſemper in poſterum futuros ſuperſtites, illorum enim regnandi tempus Meſſiæ aduentus terminabit: Meſſias enim paruulus eſt filius, qui ipſis multis poſt diebus eſt naſciturus, vt Chaldæus Anchelos expediuit, qui ipſum, ait, illum eſſe Dominum, ad quem omnes ſe gentes aggregabunt, & illarum Imperium accipiet, ac moderabitur Regnum tanquam Salomon; hoc eſt, pacis Regnum, vt planum eſt apud Dauidem: *adorabunt eum omnes*
Pſal. 71. *Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei*.

CIX. Rabbinus idem Anchelos hanc Danielis Prophetiam exponens ait: qui Lapis ſtatuam debellauit, magnum in mõtem eſt transformatus, qui quidquid ſole ſub iſto eſt, magnitudine ſua occupauit, quod veteres Talmudiſtæ de ſupremo, ac vniuerſali Imperio ſunt interpretati, quod in omnes Orbis nationes exerceret Meſſias; Cùm enim ſuper
Geneſ 42. Geneſeos libris ſcriberẽt ad illa verba: *Et Ioſeph erat Princeps in terra Aegypti*, effantur in hæc verba. Decimum inter Reges locum Meſſias obtinebit, qui ſuum vtroq; ſolis axe Imperium terminabit, vt præcinuit Dauidis Lyra. *Do-*
Pſal. 72. *minabitur à mari vſq; ad mare, & a flumine vſq; ad terminos Orbis terrarum*. Duo præcipuè ſuo in Vaticinio attingit Daniel; alterum his verbis: *Lapis qui percuſſit ſtatuam, factus eſt mons magnus*. His alterum: *In diebus Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & comminuet, & conſumet vniuerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum*. Vtrumq; in Chriſto haud dubiè

euen-

euentus excepit. Quid ergo in causa est, quominus illum Iudæi Messiæ honóribus afficiant, & debito prosequantur officio? Paucis dabo quamobrem. Quò planius absoluta vident oracula, eo illis minorem fidem habent, de more videlicet obstinationis, quam cùm manifestius viceris, eo præfractius negantem se victam experieris. Vt Israeliticum populum ad Diuina obsequia reuocaret, Oratorem Isaiam misit Deus: cui hæc alia inter edixit: *Oculos eius claude, ne forte videat oculis.* Insolitam sane rem! quid à Vatis prædicatione alieniùs contigisset? Sacri Oratoris munus est auditorem rationum momentis ad veritatem flectere, & pellicere, quod si istæ sunt illius partes, quo pacto oculi lucis iacturam subibunt, cùm profligantur errores? an mentem auditorum euincere, oculis est caliginem effundere? Non omnibus id certe contingit, Iudaicæ verò nationi haud prorsus; quod enim olim, id modo etiam illi vsu venit. Causa ea est: nostrum videlicet cor ex carne, ex adamante Iudæorum efficitur. Id illis obijcit Zaccharias. *Cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent Legem.* Cor sortiuntur adamantinum non pretio, sed pertinacia; vt enim duritiem præsefert adamas, ita obstinationem retinent Iudæi. Ceruicosum Populi ingenium, cuius eum Numen arguebat: *Populus duræ ceruicis*, altè se se in voluntatem insinuauit. Quid igitur mirum est, eadem, quæ nobis vtilissime prosũt, ipsis supra modum obesse! Et qua nos Prophetica disciplina suauissimè vincimur, illos periculosissimè obcæcari? quid inquam, mirum est, cum id obstinationis ingenium sit, vt quod illi poterat facere medicinam, acerbius vulnus infligat? & fiat immedicabilior medicamine: Errorem nesciũt, quo iacent, per eandem enim doctrinam, qua superatur error, ingrauescit cæcitas: *Excæca cor populi huius, & oculos eius claude.* Cum tenacitas sit eo ingenio ægritudo, vt ad opem recrudescat; inualuit Iudæorum obstinatio, quia præsentiores remedium vires exhibuit.

Obstinatio Iudæorum eò pertinacior, quò manifestius deuicta.

Isai. 6.

Zacch. 7.

Exodi. 33.

CX: Abnuere nihilo secius Iudæi nequeunt (toti licèt sint noctes) Danielis Vaticinio respondisse euentum in quatuor Terrarum Imperijs, ita se subinde mutantibus, vt

nec

nec vnguem à Vatis præscripto abierint. Neq; etiam inficiabũtur quarto in Regno Romanum Imperium designari; siquidem hanc sententiam sui tradunt Rabbini, & traditiones; atq; Constantini Imperatoris memoria id apertissimè monstratum est. Imperij fasces, ac Maiestatem laudatissimus hic Imperator Assertori Christo summisit. Quam certè obseruantiam Romanum Imperium retinet in nostra vsq; tempora, annis videlicet mille, ac tercentis; Christusq; vt verè liberator suæ fecit ditionis Assyrios, Babylonios, Persas, Medos, Græcos, ac Romanos: & proscripta sub idem tempus inanium Deorum superstitione latè sui nominis gloria, ac cognitione totum, quantus est, Orbem compleuit; in præsensq; maior, ac melior hominum pars sua illi nomina profitentur. Euersam Idololatriam Christi Seruatoris virtute nonnullæ Iudaica in Lege vmbræ expresserunt. Testimonij Arcam, quæ Manna Sanctissimæ Eucharistię prenuncium, & Propitiatorium Christi IESV typum rite adseruabat, in suam Philistęi ceperunt potestatem: In Dagonis templum intulere, ecce tibi: quasi maiestatem Arcæ sentiret Simulacrum, ad solum repente prouolutum se iecit, Aram verò Arca inuolauit; dissiluit in frustra Idolum, vt locum Arcæ cederet. Cum enim Manna cælestis epuli typum, & Propitiatorium hominum Assertoris figuram includeret, quid mirùm deprimantur idola, cum Ecclesiæ Sacramenta euehuntur? doleant simulacra dignitatẽ suam diminutam, cùm Christum ad summum euectum fastigium adoramus. Aras sibi occupat Christus, quid superest Idôlis præter haras? siue teneat Ecclesiæ Altaria Eucharistica tectus nube, siue subeat Crucis aram, mortalium saluti immolandus; quippe (rumpatur quantumuis inuidia Iudaismum,) & magna ex parte absoluta sunt, & expleri indies pergunt Prophetarum in Christo Oracula. Quem prudenti consilio Idololatræ damnatis superstitionibus venerantur, cum tamen stulto Iudæi animo suam negent illi fidem addicere. Sibi aliquid sordium aspersum ab Idololatrarum consuetudine, quibus cum degebat, vehementer dolebat *Isaias*; Alatus è Cœlo Seraphin deuolauit,

1. Regum. 5.

Dagonis idolum in frusta dissiluit, vt Arcæ locum cederet.

uit,

uit, qui admoto Prophetæ labris igni, quidquid contraxerat sordium, omnino abluit: *Volauit ad me vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de Altari, & tetigit os meum.* Quid? Non aliam cælestis aulicus opem duxit opportuniorem, quo languenti Isaiæ opitularetur? ardentem adhibuit calculum, qui Christum Eucharistiæ in Sacramento adumbrabat. *Hic calculus*, inquit Pater Gaspar Sancius, melioris notæ interpres, *Christum Dominum nobis adumbrat, maximè in Eucharistia.* Et nullibi faciliori negotio de superstitionis sceleribus, quam in Eucharistia, triumphat Seruator Orbis. Isai. 6.

CXI. Frigida ergo est, quam adhuc alit Synagoga, prodigiorum spes, vt se ad Christi instituta traducat, & amplectatur Fidem. Centesimus sexagesimus supra sesqui millesimum euoluitur annus, ex quo Christus in Orbem transmisit, vt erant Diuina Vatum præmonita, & nos exploratis ad plenum Vaticinijs planum fecimus. Aduenit, & testatissima sui aduentus argumenta exhibuit, suo, Bethlemico in Tugurio, ortu, suo è Dauide sanguine, mirabili vitæ integritate, ac Sanctimonia, stupendis seculis omnibus prodigijs. Nec contemnendum rei testimoniũ dedere miracula, quæ à Seruatoris morte edidere ipsius alũni. Et quidem ni prima satis essent Iudæorum tenacitatem exarmare, debebant vel officij causa alteris obtemperare. Licèt à Christo gestis oblatrauerint, quæ illius nomine patrarunt Discipuli, quâ æquum esset fide excipere, quis, Iudæos præter, non videt? Cum in proximo esset, vt cœlestem Patriam Christus repeteret, suis enixe mandauit, vt Euangelij sementem fecissent nauiter, quam qui exciperent, prodigijs florerent minimè vulgaribus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur.* Marci 16.
Notatu dignissimum! non Fidem, inquit, prodigia anteibunt; sed subsequentur. Qua de causa Veritatem Fidei non patratis, sed patrandis prodigijs probandam Christus reliquit? Non ijs, quæ ipse gesserit, sed quæ ederent sui? Litem soluit hic idem Euangelicus scriptor. *Illi autem prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Non ad serendam tantummodo Fidem Marci ibidem.

incumbebat Affertor, ſed illi etiam ſtudebat confirmandę: Quã verò Fidem ſuo Chriſtus ſanguine, ac prodigijs excitarat, ſuorum erat miraculis conſtabilienda: quæ præiere, ſubegere ſolum, quo radices ageret, quæ ſunt poſtea ſubſequuta prodigia ſartam, ac tectam præſtitere: *Sequentibus ſignis*: Chriſti mira ea ſunt in Iudæa perpetrata; Diſcipulorũ miranda facinora quidquid eſt terrarum, adepta ſunt in Theatrum: *Vbiq;* Fides verò, cui vbiq; eſt facilè res gerere difficiles adeò, quam liquidò ſui patefacit Veritatem! Fides, cui ſunt pro Prodromo prodigia, & pro Pediſſequo miracula, quorum altera à ſuo edita Authore, ab Authoris adminiſtris alia præſefert, omnium haud dubiè fidem demeretur! Quid enim hac Fide verius? Quid vè firmius? Quid adhuc ſpem extrahis ò Iudæe? Quid inani adhuc voto animum implicas, ne ſe Veritati ſubmittat? ſi tot, tantaq; prodigia non mentis peruicacitatem abunde ſuperant, en habes, vel ab ſtatua teſtimonium, quæ ſui ruina Chriſtianæ Fidei ſublimitatem commendat: En habes Romanum Imperium Vniuerſi Orbis Victorem, Euangelicis præceptionibus obnoxium, quas, obtinente Cõſtantino magno rerum adminiſtrationem, edidicit: Inania illa, ac commentitia Deorum capita, quæ ad illã diem ſumma Imperatores Religione coluerant, funditûs interiere. Viden? vt nullum ſui veſtigium reliquum ſtatua fecerit? Viden? vt totum in Orbem ſuum Lapis Imperium protulerit. Subducitur omnium oculis de repẽte Statua: Vniuerſum oppidò ſolis ambitum Lapis occupat; Tu quandiu Caucaſeam animi duritiem amabis? Dauidem accipe amicè te monentem. *Filij hominum vſq; quo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum*: Præuidit Vates Regius inſanam populi ſui tenacitatem, & rigiditatem mẽtis; nec illum fefellit obfirmatio, qua in Chriſti Aſſertoris cognitionem peccaret: ſed cùm ſe minus audientem finxerit, non Diuinam Prophetæ vocem in animum demittit; aſcitis, emendicatiſq; coloribus mendacium comit, vt veritatem inficias eat impudenter.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Talmudistarum Messiæ de Aduentu Sacris cum Vatibus Harmonia.

CXII. Nostras impigrè partes agunt, obcæcatamque Iudæorum mentem non mediocriter premunt Doctores Talmudisticis disciplinis apprimè versati, quos ipsi maiori habent in honore, & credulitatem suam cum primis adstringunt, quippe cum alia, atq; alia præstituerent temporis spatia, quibus Seruatoris aduẽtum expectarent, effluxere omnia multis iam annorũ seculis. Qua quidem ratione mirũm quam musicè Vatibus concinant Talmudistæ? Huiusmodi Doctores inter Hebræos triplicem digerũtur in Ordinem. Primus illos amplectitur, quos Tanaim appellãt; quorum tanta est authoritas, tantusque honor, vt proximum à Vatibus locum obtineant: Alter eos recipit, quos vocãt Emoraim, non ea, qua primi, valent authoritate, verùm inter vtrosq; parum discriminis interuenit. Tertius illorum est, quos dicunt Gaom; non maximum his honorem Hebræi deferunt, adscribunt tamen magnum. E primo extitit Ordine Rabbi Iote, qui Danielis hebdomades conflauit ex annis, iuxta Orthodoxæ Ecclesiæ calculos: quibus tandem exactis alterum, inquit, Templum fuisse penitus exscindendum. Itaq; ex huius Magistri sententia mortalium libertatis Parens terris illuxerat, priusquam Templum victorum furorem experiretur, vt ipsa docet Danielis Vaticinatio. Hunc Ordinem etiam instititit Rabbi Alcibe, qui exciso à Tito Vespasiano Templo, lucem hanc hausit; & in Rabbi Iote sententiam pedibus iuit; & quia compertũ habebat adesse præfinitum tempus, quo propediem Messias sperabatur, secundum enim Templum ruina traxerat; cũ sibi Messiæ honorem arrogaret quidam, cui Heutolibe nomen erat (quem Genebrardus Barcosbamum nuncupat) ad illum se se aggregauit, quos omnes Adrianus Imperator sustulit è medio.

Concentus ex Talmudisticis Doctoribus.

Talmudistæ in triplicem ordinem digeruntur.

Rabbi Iote.

Rabbi Alcibe.

Rabbi Heutoliba.

Genebrard. in Chronic.

CXIII. Eiuſdem ordinis tertius ab Eliæ familia ortum ducere ferebatur; de quo meminit liber, Mundi Ordo inſcriptus. Hic eam tuebatur opinionem, Mundum videlicet ſex annorum millia perſtiturum; primis duobus millibus nulla obſtrictum Lege, alteris duobus,diuinis frænatum præceptis;extremis deniq;Chriſto futurum obnoxium. Ex quo ſi ſtandum ſit huiuſce Magiſtri calculis, Meſſiæ aduentus tempeſtas anno abhinc milleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo effluxit; nam iuxta ſupputandi rationem, quam obſeruabant Hebręi, & ferè vbiq; Terrarum tenebatur,(vt Author eſt Burgenſis Antiſtes) ab ipſis naſcētis Orbis incunabulis ad vſq; annum illum, quo anno Epiſcopus idem Sacrarum Litterarum ſcrutinum in lucem edidit (is erat à Chriſti ortu milleſimus quadringenteſimus trigeſimus ſecundus) acti ſunt anni quinquies mille centum nonaginta duo. E quibus ſi quater mille,qui in Chriſti vſq; aduentum euoluti ſunt,ſubtrahas,luce eſt clarius,temporis ſpatium Seruatoris Meſſiæ aduentui præſcriptum iam Antiſtitis memoria fuiſſe exactum anno ante milleſimo,centeſimo, nonageſimo ſecundo. Ab ſcrutinio litteris mandato numeramus annos ducentos triginta duos. Sed præterquam quod à vero omnino abhorruere rationes priorum bis mille annorum, quos ſolutus legibus egit Orbis, quia, vt inquit Genebrardus, ad Moſen vſq, numerabantur anni mille, & ſeptingenti: Veram tenet annorum ſeriem, ac rationem Catholica Eccleſia, ea nos docet, aduenifſe libertatis humanæ Vindicem anno abhinc milleſimo ſexcēteſimo ſexageſimo, & hanc Vniuerſitatis molem fuiſſe à ſummo illo rerum Opificè exædificatam anno abhinc quinquies milleſimo centeſimo duo de vigeſimo.

CXIV. Inter ſecundi Ordinis (quos diximus) Doctores,quidam effloruit,cui factum nomen Senhadrim,qui diſertis verbis aſſeruit,quotquot temporum metas Meſſię aduentui Sacri Vates præfixerant, diù iam fuiſſe exactas, & Iſraelitarum ſalutem vna tantum in ſalutari ſcelerum deteſtatione verti. Et licet illum hæc imprudenter dixiſſe,Epiſcopus Burgenſis affirmet, illud tamen indicare contendit,

Rabbi Senhadrim.

nem-

nempè iam dudum aduenisse Messiam; & nihil ad mortalium deesse salutem, nisi vt scelerum caperent pænitudinē, & sordes per lacrymas abluerent: his addo insuper, opus etiam omninò esse, nostram illi Fidem adiungere, & cœlesti Baptismatis lauacro expiari. Alius refertur in hunc Syllabum, magna quidem nominis celebritate, sed improbitatis egregiæ. Hic, cum præscriptos à Vatibus terminos calluisset, stultam commentus est argutiam, qua homines implicaret; acri sugillatione in eos inuehebatur, qui destinatum Venturo Messiæ tempus perscrutari studebant Nec rediuit in memoriam, Deum laudibus excepisse Danielis studium quò flagrabat impensè, assequi, quæ suo de populo facienda Numen decreuerat, queadmodum in nono eiusdem Vatis capite traditur. Excidit etiam famoso huic Rabbino, eam Deo fuisse causam, quo Danieli tot mysteria familiarissimè aperiret, nimirùm eam, qua æstuabat, assequēdi cupiditatem: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo*, (hæc ad illū Gabriel) *ego autem veni, vt indicarem tibi, quia Vir desideriorum es.* Nullo alio consilio Vaticinationes, ac Sacra volumina instituit Deus, quam vt illorum mortales sensa tenerent, & noctu, diuque indesinenter versarent. *Daniel. 9.*

CXV. Extremi ordinis, ac minorum gentium quidam ætatem in Asia agitauit, cui inditum nomen Rabbi Cahadras, qui cum pertinaci studio, summoq; conatu peruestigauerit præstitutum in Messiæ aduentum tempus, certum tandem præfixit terminum. Et annus iam voluitur ducentesimus quadragesimus, cū Paulus Burgensis scripsit, fuisse elapsos annos quadraginta supra tercentos à præscripto hunc per Rabbinum temporis spatio. Post huiusmodi Magistros Rabbi Moses Aegyptius perfloruit, qui ad eum honoris gradum, dignitatisq; fastigium Hebræos inter euectus est, vt vulgo Iudaico à Populo vsurparetur, neminem aliū à Mose legislatore tantam fuisse magnitudinem assequutum: sed facile se se prodidit, & popularem fuisse auram exhibuit se se hæc opinio; cum Mosen Aegyptium viris admiraculum vsq; Sanctis prætulerit, quemadmodum fuere *Rabbi Cahadras.* *Rabbi Moses Aegyptius.*

Dauid, Isaias, & Daniel. Quòd si literarum, ac sapientiæ splendore adducti tantum illi honorem habuere, difficilius causam purgabunt suam, siquidem Mosen prehabuere Salomoni, mortalium omnium haud dubiè sapientissimo. Hic primùm eam sententiam, de qua paulò ante meminimus, mordicùs tenuit, nulli videlicet licere subducere temporũ rationem, quæ tempora aduentui Messiæ prædestinauerat Numen; cum enim Rabbini pleriq; omnes in hos offendissent calculos, & miserè fuissent hallucinati, quò huiusmodi declinaret periculum, hanc rei prætexuit Religionẽ. Sed cum sententiam mutaret, in Scyllam (quod aiunt) incidit, Charybdim cupiẽs euitare; nam ad suæ nationis homines, qui tum temporis degebant in Africa, literas misit, quibus illos edocebat, se cõpertissimum ab antiquis habuisse, Mundi liberatorem ad annum quater millesimum nongentesimum septuagesimum quartum à primis rerum initijs, humanam esse naturam induturum: à Balaam verbis

Num. 23. ducebat argumentum. *Quis denumerare posset puluerem Iacob; & nosse numerum stirpis Israel? moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Et quidem iuxta huius Rabbini calculos anni amplius sexcenti sunt exacti, postquam præfinitum à Rabbino tempus euolutum est. Et planè facere nequeo, quin mirer tantam tanti Rabbini de Messiæ aduentu hallucinationem; cum præsertim tum ipse, tum cæteri Talmudistæ in numerandis Danielis hebdomadis perquam amicè conueniant, quæ quidem hebdomades altero cum Templo expirarunt; si verò hunc ante euentum Messias vita erat spoliandus, vt eadem prædictio monet. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*: quo nam pacto verum habere potest, quod edocet hic Magister, nimirùm Messiam nasciturum annis post euersum Templum octingentis, quem enim fugit, id Danieli è regione obluctari? In eandem etiam caliginem cætera Talmudistarum natio immersa est, qui post secundi Templi cineres Messiam expectarunt.

Rabbi Moses Gerundensis. CXVI. Rabbi Moses Gerundensis, qui suas ad Pentateucum lucubrationes applicuit, annum ab Orbe condito

quin-

quinquies millesimum centesimũ duodeuigesimũ,certum omninò tempus aduentui Seruatoris præstituit. Rabbi Leui natione Gallus, qui operam Danieli explanando adhibuit,gratias habet, agitq; Numini,quod sibi aperuerit,quo tempore Messias erat in terras transmissurus,hoc est,anno à rerum primordijs quinquies millesimo centesimo octauo: non longè discrepat à Gerundensi. E quò annorum numero,Burgensis Antistitis memoria,quatuor,& septuaginta effluxerant,vt idem Burgensis Author est; nostris verò temporibus numerantur elapsi alter, & viginti supra tercẽtos. Rabbi Leui.

Rabbi Salomõ natione Gallus,cognomine Iatri, Vir quidẽ Sacra in Pagina apprimè versatus, atq; de illis in testem minimè contemnendum vocatus nostris à Patribus, cum Cõmentarios ad Danielis Vaticinia scriberet, litteris prodidit, Vatis hebdomadas à primi Templi euersione ad alterius vsq;exitium fuisse euolutas,priscis cum Rabbinis suam amicè sententiam conformans; Verùm enim verò ingẽti intellectus caligine inuolutus minimè assequens,qui fieri poterat,vt Deus fieret homo,& in hominum salutẽ mortem oppeteret,Sacrosanctæ Scripturæ loca,in quibus hacce de re agebatur,corrupit,&subdititio sensu explicuit;indeq; ansam arripuit,quominus se ad Christum adiungeret, & quo temporariam libertatem spe caperet. Rabbi Salomon.

CXVII. Cum se Iudæorum Recentiores causa omninò cadere intuerentur, præcipuũ ipsis bellũ Magistrorũ (quos illi de meliore nota commendant,) & Talmudistarũ præsertim sententijs inferentibus,qui omnes ad vnum (quemadmodum inquit Burgensis Episcopus lectissimus) veluti ex composito conspirarunt,Danielis hebdomadas secundi Templi excidio, quod intulit Vespasianus, absolutas prorsus fuisse; deinde ante eiusmodi euersionem tollendum è medio Christum, vti res habuit Ierosolymis; & planè præmonuit Vaticinium, cum inquam, se causa cadere intuerẽtur, perspecta Rabbinorum inconstantia, animi capti perturbatione in id confugiunt, vt dicant, latere penitus mortales destinatum Messiæ aduentui tempus, & vni tantum Deo patere: ad quod Danielis verba adducunt: ea sunt Iudæorum Recẽtiorũ effugiũ refellitur.

huius-

Daniel. 12 huiuſmodi : *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum.* Animi falſos eſſe, & incuſari id genus homines ex eiuſdem Vatis Oraculo liquidò patet: *Quaſi ignis*, inquit

Ibidem. Daniel, *probabuntur multi, & impiè agent impij: neq; intelligent omnes impij, porrò docti intelligent.* His nos verbis Prophetes docuit, improbos, ſuiſq; addictos ſceleribus, qui reuera ſunt ſapientia deſtituti, nullatenus penetraturos abditiſſima, & obſignata Vaticinationum myſteria, & contra, probos, & præſtanti ſanctimonia Viros, quos re ipſa ſapiētes æquum eſt æſtimari, facillimo ſe ſe negotio in Sacrorū Oraculorum adita commiſſuros. Quin etiam protinùs Vatem Deus admonuit, haſce prædictiones, illarumq; intellectum fuiſſe obſignanda, & occulenda in tempora vſq; præſtituta; Boni quippè tum temporis illarum ſenſum eruerēt, & caperent, vt quidem euenit. Quod ſi Iudæos fugiunt, ſuæ id ducant improbitati, & peruicaciæ. Supremam Nu-

Iſai. 6. minis Maieſtatem Seraphin alis obductam conſpexit olim Iſaias : exprimi hic Diuini Verbi Incarnationem Lyranus explicat. Et quod caput eſt Fide ſancitur explanatio, quē-

Ioan. admodum ſcribit Ioannes: *Hoc dixit Iſaias, quando vidit gloriam Domini, & locutus eſt de eo*; id eſt, de Chriſto, vt ex Ioanne eodem loci manifeſtè conſtat. Poſthac Templum è veſtigio fumo vndique obſideri conſpexit : adumbrabat hic fumus Iudæorum æternam caliginem, & de Chriſti myſterijs ignorationem prædicandam, nec non Sacrarum Literarum, in quibus Chriſto de agitur, inſcitiam, vt Hieronymus docet : *Poſtquam terra impleta eſt gloria Domini, Iudæorum Templum repletum eſt ignorantiæ tenebris, & caligine, & fumo, qui noxius eſt oculis.* Vt etiam gloria totum in Orbem circumfuſa, quemadmodum Seraphin intentis teſtabantur vocibus, lucis Euangelicæ radios deſignabat, & gratiæ Legis diſciplinam, quæ probos vbiq; lumine affecit ſuo, vt meminit idem Hieronymus, cui alij ſuos addunt calculos. Nec vulgarem etiam admirationem parit, quod vna, eademq; viſio alijs tanquam fumus, tenebras offuderit; alijs tanquam lux, lumen addiderit. Euangelicæ diſciplinæ prorſus rudes, & nulla Oraculorum agnitione hallucinari

Fumus, qui Templum obduxit, Iudaicā caliginem deſignabat.

Gloria, quæ Orbē âbijt, Euāgelium referebat.

cinari

cinari Iudæos ! & Ethnicos Christiana excultos Religione, & Sacrarum Literarum sensibus apprimè doctos efflorere? Portento simile quis non æstimet ? Sed quis etiam abnuat, hæc Iudæis contingere suo meritò ? quippe qui toti sunt in sceleribus, & obstinatione: Ethnici verò Euangelij adducti radijs se se in bonam vitæ frugem receperunt : ac deinceps Christianis initiati mysterijs sanctè duxerunt vitam. At verò doctrina eadẽ, quæ ad bonos lucis obit munia, ad malos fumi vicẽ subit : nobis lucem affert, vt lux: Iudæis lucem aufert, vt fumus : Neque hunc Christi permissum, hoc est cæcitatem suam Christo dent crimini; Illius enim caussam agunt, quas Seraphin voces contendebant, inter ingentem fumi caliginem reciproco inter se concentu suauissimè voces personabant, quæ Dominum Deum etiam atq; etiam salutabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Adæquè enim Sanctus, siue nos suæ lucis radijs impertiatur, siuè Iudæos obtenta fumi caligine damnet tenebris; siuè errores nostros expediat, siuè obstinatos Iudæorũ animos plectat. In ipsis quippè ad duritiem error desciscit; qui intellectum insederat, voluntatem incessit. Si nobis fidem adiungere pernegarent, possent crimini quiduis obtendere, nec erroris limites transiliret; Verùm suorum obstrepere disciplinæ, fidem abrogare suis, qui dilucidè admodum comprobant, dudum iam aduenisse Messiam. O insanam mentis duritiem ! Herode improbitate maximo maiores ipsi: nõ ausus ille fidem non habere Rabbinis, quos de loco Messiæ cunabulis destinato consuluerat: *Congregans omnes Principes Sacerdotũ, & Scribas populi sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur*. Iudei verò ijsdem recusant annuere, vtpotè qui Herodem relinquant peruicacia; Si suis fidem adiungerent, eam licèt negarent alijs, prefacta adeò obstinatio eleuaret aliquantisper inuidiam criminis. Iudæi Herodem vincunt peruicacia.

CXVIII. Negligentem suæ Resurrectionis Fidẽ Discipulis obiecit Christus, quam tamen postmodum excepere, & eos adepti sumus Christianæ disciplinæ præceptores. Obiecisse cordis obfirmitudinem, & incredulitatem, memorat Marcus: *Increpauit incredulitatem eorum, & duritiem* Suis nõ fidem habere maiori animaduersione dignum. Marci 16.

cor-

cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt : Huius etiam criminis se se alligasse fœminæ eæ videntur, quæ bene manè ad Christi tumulum contulere sese, non enim Angelis Christi Resurrectionem prædicantibus acquieuere; quas tamen asperè à Seruatore exceptas, non offendimus, qua ergo de causa eam discipulis pœnam irrogat, non tamen fœminis? Angeli aduersus fœminas testes alieni æstimabantur: fœminæ apud discipulos domesticum testimonium exhibebant: alienis testibus non oppidò credere; dormitare, & conniuere videtur Christus ad id genus crimina: Suis haud fidem tribuere, non potest non peracri plectere animaduersione. Cuius rei causa ea valet adduci: primum quippè mentis valet inopiæ verti: alterum verò ab eximia volūtatis obstinatione initium sumit: ea propter hoc loci non ita acriter in errorem, quàm in duritiem inuectus est: non imprudentem damnauit intellectum: obfirmatam postulauit voluntatem. *Duritiem cordis*, testibus enim, quos arcta sanguinis necessitudo, & communis patriç amor commendat, non credere, error quidèm est; sed qui non tantum in ignorationem incumbit, quantū innititur peruicacitati. Non rudium scelus est mentium; obfirmatarum flagitium est voluntatum: *Et duritiem cordis*.

CXIX. Quo se plus obfirmatos Iudæi probant, eo iniquius illorum fidem improbant quos ipsi Magistros suos venerantur. Didascali vocem accipere immota cordis duritie! vltra nequit pergere obstinatio. Totam se dediderat Magdalena auscultandis rationum momentis, quibus Seruatoris anastasi fidem adstruere nitebantur impensè Angeli: *surrexit, non est hic, surrexit, sicut dixit*, negabat adhuc Magdalena manus veritati dare: interea temporis accessit Christus: fœminam salutauit: & verbo vno ad Resurrectionis fidem traduxit: *Dicit ei IESVS*: *Maria*. *Conuersa illa, ait, Rabboni, quod interpretatur Magister*: *nunc conuersa est corde* (pulchre, vt omnia Augustinus) *quæ antea corpore fuerat conuersa*. Nunc, quid causæ, ne antea? eadem indicauit: *Rabboni, quod interpretatur Magister*; ante

Magistri voci facilè obtemperatur.

Ioan. 20.

D. August. in Cat.

antehac Oratores accipiebat cœlestes aulicos; modo Magistri vocem excipit. Nulla verò est cordis durities licèt adamantina, quæ præceptoris voci non cedat: iccircò vnius magistri verbo facilè se frangi sinit, quæ Magdalenæ mentem obfirmauerat durities, cum in irritum duobus cecidisset Angelis is conatus: Vnius magistri vox tanta apud discipulos authoritate potest, tot, tantorumq; apud Iudæos authoritas nihil obtinet ponderis; clamant, & stentorea voce clamant, quotquot ipsi Rabbinos summo prosequuntur honore, iam dudum aduenisse Messiam, ipsi verò surdiores littoribus fiunt: aures perstrepunt voces, mentes obdurat peruicacitas: quid æquum est hacce in re æstimari? id videlicet, immedicabili Iudæos languere morbo. Sed dignum sceleri supplicium infligitur. Ideo enim legis mysteria, & Prophetarum Oracula fallunt illorum cognitionem, quia hoc sibi sua ob scelera intriuerūt; Latent enim illos Diuina Oracula, vtpote qui sceleribus omnibus circonuenti; quæ Christianis se se produnt; quippè qui vni Sanctimoniæ student: & Diuinissimum Christi Euangelium excepere mentis sinu: æterneq; felicitatis in spe sunt, quam è Christi sanguine Crucis profuso aris amanter ducunt. Rei prolusit quod Nabuchdonosori accidit, cum ad fornacis limen se se contulit, in quam tres illos nobili indole adolescentes immitti iussit. Quos inter quendam dignouit, in quo diuinitatis splendorem est admiratus: *Et species quarti similis filio Dei*. Quid ita? vnus tantummodò Rex Ethnicis superstitionibus imbutus Dei filiū agnoscit, ac fatetur, eumq; non composito ad Maiestatem solio insidentem, sed inter ardentes flammarum impetus ambulantem? Voluit Deus fidem facere; se quidem salutari affixum ligno repudiandum fuisse à Iudæis; sed iam tum ab Ethnicis, qui postea se erant ad Fidem aggregaturi, in fornace agnosci. *Nec vacat id mysterio* (litteris consignauit Hyppolitus Martyrij palma apprimè nobilis) *quod enim Iudæi filium Dei hominem factum non erant agnituri, nec recepturi, præmonstrat Scriptura, gentes eum esse agnituras, & recepturas, quem iam Rex Babylonis in fornace videns agnouit,* *Daniel. 3.*

 uit,

nit, & Filium Dei confessus est. Et quis vsquam mortalium est ita stultæ mentis, & propalatæ impietatis, qui videns, volensq; suis inuoluatur tenebris, libertatis, ac Redemptionis suæ mysterium occlusum semper, & imperuium reperiens? Numerabis Israelitas, præterea Neminem. Ità enim corporis concretione immersi sunt, vt Legem, & Christi mysteria, pingui (quod aiunt) minerua, & corporis affectionibus metiantur. Suæ tenaces cæcitatis negligunt libertatem, ac salutem, quam Christus IESVS peperit suo sanguine anno ab hinc millesimo sexcentesimo sexagesimo; vt profectò erat in Oraculis; Christi mysteria non assequuntur, quiâ suæ obstinationis caliginē discutere minimè laborant, cui tamen, si velint medicinam facere, nuncium mittant Synagogæ, Christianæ Ecclesiæ patentes fores adeant, in qua conualescent à cæcitate. Cum Bethsaidæ captū oculis hominē adduxissent ad Christum, manu illū Seruator apprehendit, & secū è pago eduxit: *Apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicum*. Iudæū Synagogæ affixum, cōmorans Bethsaidæ cæcus exprimebat: Diuino igitur consilio illum è Synagoga pedem efferre cōpulit, vt lucē oculis restitueret: *Eduxit*, inquit Chrysologus, *eum foras, vt in Ecclesia lucem Fidei videat per libertatem gratiæ, qui sub legis velamine nihil videbat*. Velle Christi mysteria intueri, & Synagogæ errores etiamnū tueri, hebetiùs est cæcutire: Missā faciant Israelitæ Synagogam; omnibus quippe manus admouet Christus, qui tenui admodū tugurio, natus omnibus; & omnibus durissimo affixus ligno egit animam, quod si præstiterint, haud dubiè ad quæquæ Fidei mysteria penetranda vberrimam lucem comparabunt.

Marci. 8.

D. Petrus Chrys. serm. 176.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Mortalium Redemptionem ſpiritualem eſſe, ex vtriuſq; Teſtamenti concentu planum fit.

CXX. ERrorum princeps, quo capiuntur Iudæi, ille eſt, nempè ſibi habere perſuaſiſſimum, Orbis liberatorem inſtructis copijs eſſe venturum, vt ſuæ faciat ditionis quidquid eſt terrarum, & magna aperto marte prælia cõmiſſurum; quemadmodum de Alexandro Magno, Iulio Ceſare, alijſq; ad miraculum vſq; ſtrenuis ducibus literarum monumentis proditur. *Obſtupeſcite Cęli ſuper hoc*. Primùm enim contendit hic Orbis Redemptionem temporariam, ac ciuilem futuram: Deinde Redemptorem, Dei non eſſe filium: quod Sacræ Paginę, & mentis lumini è Regione obluctatur: Sacræ Paginæ; ex illa quippè conſtat, mortalium Redemptionem ſpiritalem fuiſſe: *Ipſe autem*; clamat Iſaias, *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus*. Et quò nobis innoteſceret medicamen, quo noſtris in Redemptione vulneribus, opitulatus eſt, Prophetes idem inquit: *Et erit vobis in ſanctificationem*. Hoc idem monet Ieremias capite ſextodecimo, & Threnodiæ quarto. ibi. *Captus eſt in peccatis noſtris*. Conſonat hiſce numeris Euangelium: namque id vnum laborant Euangelici Scriptores, nobis Chriſtum, & Redemptionem, & ſanctimoniã ſuo ſanguine peperiſſe, edocere. *Non egent, qui ſani ſunt, medico*. (verba ſunt Seruatoris ad Phariſæos) *ſed qui malè habent. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*. Et ad diſcipulos: *Euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*.

Iudæi credunt Redẽptionẽ futurã tẽporariam. — Ierem. 2. — Iſai. 53. — Ierem. 16. — Thren. 4. — Math. 21. — Luca 16

CXXI. Obluctatur mentis lumini error hic; ſi enim Chriſtus eo conſilio hominem induebat, vt nobis ſanctitudinem, ac beatitatem quam feliciſſimus gignit Dei con-

ſpectus, impertiret, quî fieri poterat, vt temperaria bella indiceret, & cædem minaretur mortalibus? non opportunior ad rem eſſet ſpiritalis animorum Sanctitudo, ac Redemptio? Cum certum omninò ſit nihil Deum enixiùs exigere ab hominibus, quàm vt ſe totos morum integritati dedant. Suum mundi huius Imperium non eſſe, ad Pilatum teſtatus eſt Chriſtus hiſce verbis: *Si de hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis.* Quaſi diceret: ſi, vt ſunt huius mundi Regna, hac ego ratione regnarem, bellatores armarem Duces, & ingentes explicarem copias. Illud notatu dignum. Non inquit: *ſi in hoc mundo, ſed ſi de hoc mundo eſſet Regnum meum*: quia re vera Regnum hoc in mundo obtinet, ſed nõ mundi huius more, hoc eſt, non temporarium, ſed ſpirituale Imperium exercet. Iccircò à militaribus copijs imparatus; quæ bellum moueant; ſed ijs accinctus adminiſtris, qui pacem foueant. Quid enim cõmercij bellum inter, & Sãctimoniam intercedit? Vbi primum armorum ſtrepitus perſonuit, & raucus tubarum clanguor perſtrepuit; animi integritas, & morum ſuauitas omninò perit; quæ etiã ruina cæleſtis trahitur gloria. Id enim Conſilij inſtitere Angeli, vt cum in Chriſti cunabulis gloriam prædicarent: *Gloria in excelſis*, pacem indicerent; *& in terra pax.* Quo enim feliciùs obtineretur, proſcribi bellum prorſus debuit: Quo Deus glorioſior æſtimaretur, noſq; gloriæ voluptate circumflueremus, pacis debuit mundus felicitate frui. Poſtquam Chriſtus exacto triduo reuixit glorioſus è tumulo, diſcipulos conuenit, quibus pacem inſpirauit ſuam: *Dixit eis: Pax vobis*: Si Reſurrectionis impleuerat Gloria, quid illos pacis afficit beneficio? ſi omnibus illos lætitijs imbuerat ſuæ anaſtaſeos conſpectu, quid pacis largitur trãquillitatem? Cumulum voluit addere voluptati, quam ſuo acceperant è conſpectu; quod quidèm haud facili aſſequeretur negotio, ni pacis impertiret beneficium: pax velut cumulus voluptati acceſſit, & in qua erant, mæſtitiem expulit. Illa lætitiæ parens eſt; vni viuit dolori, qui pace viuit orbatus. Et quandoquidem in terris gloriam nequibat clar-

Ioan. 18.

Chriſti Regnũ quomodo non eſt de hoc mũdo.

Bellũ Sanctimoniæ aduerſatur.

Luc. 2.

elargiri ; pacem indulſit: vtpotè quæ gloriæ vices adæquè impleat. Quæ cum veriſſimè habeant, Deuſq; Chriſto interueniente vna agat de mortalium ſanctimonia, in rem fuit exercituum tumultus, ac perturbationem amouere ; ea enim de cauſa ſe ſe in terras Chriſtus tranſmiſit, cùm amico inter ſe fœdere vniuerſus Orbis copularetur; vt enim ſe in homines ſalus inſinuaret, nullo Orbem agitari bello per opus fuit. Pax gloriæ vice eſt.

CXXII. Hoc habuit in Conſilio Deus, cum populum Iudaicum monuit Moſe interprete: *Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum*. Et Sacri Vates maiori nihil contentione mortalibus ſuaſerunt, quàm vt nullis ſe ſceleribus implicarent, ſed totos ſe ad ſanctimoniæ normas componerent: *Quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere, & venite, & arguite me dicit Dominus*. Itaq; ſi omnis Dei conatus hoc vnũ contendit à mortalibus, & quod præcipuę illorum curæ commiſit, ac mandauit; quonam, amabò, pacto quem ille Sanctiſſimum Liberatorem ad homines legauit; egregium hoc munus temporariè obire pergeret, bellorum ſæuitie, copiarum multitudine, armorum licentia, quemadmodum Iudæis placet? nihil profectò, nihil, quod diuinæ prouidẽtiæ conſilijs iniquiùs aduerſaretur, potuit inſcitia reperire. Quid cauſæ, credam, fuit, cur Chriſtus Petro iuſſerit, vt in vaginam gladium indueret; cùm iam faciebat Redemptioni initium? *Conuerte gladium tuum in locum ſuum*. Duplicem dabo cauſam. Primùm quo fidem mortalibus faceret, ſe non arma, ſed ſalutem afferre: non armorum vi; ſed ſanguinis ſemita ad libertatem viam fuiſſe muniturum; non noſtra comparandam ſalutem manu, ſed ſua conſtaturam Cruce. Cauſam alteram Chriſto Seruatori acceptam referimus; qui his ad Petrum: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* id eſt, non vis vt libertatem Orbis obtineat, & parta gaudeat ſalute? Et cuinam impedimento ſaluti res erat? Strictus Petri gladius mundi Redemptioni ibat obuiam? Etiam. Adducitur quippè in periculum ſalus, vbi inuicem ad certamina prouocantur mortales: graue animus ſubit diſcrimen, vbi armorum pondere grauantur manus.

Leuit. 12. Iſai. 1. Nihil Diuinæ Prouidẽtię iniquius aduerſatur, quàm hæc de Redemptione Iudæorũ opinio. Math. 26.

Hinc

Iudæi Messiam alium cogitatione, re aliũ expectant.

CXXIII. Hinc maximum in Iudęos argumentum conficitur, illos videlicet cogitatione alium, alium reapse sperare; Christum cogitatione, reapse Antichristum. De Christi aduentu propriè Isaias agebat, cum verum, dixit, Messiam pacem Orbi fuisse allaturum, quemadmodum in eiusdem Seruatoris ortu cœlestes cecinerunt Ephebi: *Et in terra pax hominibus*. Ità secundo Lucæ capite secundum Isaiæ musicè admodũ excipiẽte. *Non leuabit gẽs contra gentem gladium: nec exercebuntur vltra ad prælium*. Horum suo in aduentu author Christus. Et quæ patrabit Antichristus, cùm aduenerit paucis ante diebus quàm suprema dicatur hominibus dies? quos præmittet aduentus sui prodromos? Hos Assertor idem suos edocuit alumnos. *Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, & seducent multos*. Verùm licèt multi illiciantur in fraudem, vos cuiuspiam dolis ne irretiamini; hoc vos impostorem charactere à me secernite; hoc Christum ab Antichristo signum discriminabit: Illius videlicet aduentu; *Audituri estis prælia, & opiniones præliorum: surget enim gens contra gentem*. Totum in prælia Orbem concitabit; populos tumultibus agitabit; militum conducet manum, & flagrabunt omnia bellorum incendijs: prælia verò non Christi prænũcia sunt; Antichristum adesse testantur. Si adsit Christus, ea sunt pacis Regna; si adueniat Antichristus, absumet omnia bellorum furor. Attento igitur animo secum Iudæi voluant, quo iure dixerim, suam ipsos spem intendere ad Antichristum, siquidem bellatorem expectant, quem mitem, quem suauem sperare æquum erat: In armis sperant futurum, qui pacatum Orbem virtutibus recturus patrijs aduenit. Pacem loquor non temporariam, sed spiritalem; non eam modo, qua inter se homines fœderantur; sed potius illam, qua homines ineunt Dei gratiam.

Isai. 2.

Luc. 2.

Matth. 24.

Antichristus omnia bellorũ tumultu turbabit.

Tria Redemptionẽ spiritalem demõstrãt.

CXXIV. Tria præsertim pacem istam, ac Redemptionem spiritalem esse, apertissimè demonstrant. Primum, Suauitas, qua sibi inuicẽ vnum, & alterum respondent Testamentum. Alterum, quæ inter primæ à Deo molitionis opera, & eius à Filio Redemptionis facinus harmonia interce-

tercedit. Ita enim summæ bonitatis perfectiones, & creationis, ac reparationis officia manifestiùs elucescunt; eminentq; beneficia, quibus suis in operibus hominum sibi animos deuinxit, quæ omnia nihili fierent, si temporaria Lex esset. Quid enim rei magnæ habet, maximas militum copias conscribere, quibus ferro, igniq; exscindas obuia quæq, & terrarum Imperium tibi arroges? Non ne id beneficium est fortunæ multis vbiq; Principibus concessum? Multi se Imperatores; Reges multi se imperandi lenocinio abdicarunt, & priuatæ tranquillitatem vitæ blandientis fortunæ illicio præhabuere: Si itaq; opes animi, quem virtus excolit, & morum suauitas exornat, quem Dei, diuinarumq; rerum contemplatio peramanter rapit; si, inquam, opes animi omnes alias felicitates longè præstant, quisnam animum valet inducere, præstantissimum Assertorem, ab ipsa æternitate tanto destinatum muneri; ab ipso rerum exordio promissum terris ad Diuinitatis honorem, ad mortalium, quos sibi elegerat, gloriam; tot visionibus præmonstratum, tot præfiguratum typis, tot prædictum oraculis, in id prorsus incubuisse, nimirùm se præstanti in armis animo exhibere, atq; illorum vi, quidquid est gentium, adijcere Imperio suo, vt Attila feritate egregie famosus, vt Tamorlanus illius æmulator egregius præstitere. *Obstupescite Cęli super hoc*. In eo totum vertitur gloriæ pondus, quod nos exoluerit scelerum vinculis, & dæmonis excusserit seruitutem; nam Imperij metas proferre, id queunt prestare mortales; asserere verò à peccatis, eæ sunt Diuinæ Potentiæ partes. Ea propter vt Iosephum anxia distractum mente Angelus eximeret Religione, qua de Incarnationis mysterio angebatur, quo Diuini Verbi Incarnationi fidem apud illum adstrueret, quoq; probaret, non hominum operam, sed Diuini Numinis Virtutem id patrasse prodigij, illum edocuit, puerulum illum esse, qui sui populi scelera suo erat sanguine deleturus: *Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum*. De temporaria libertate nec verbum, omnem spirituali orationem impendit cœlestis Legatus: non tyrannidis, inquit, sed sceleris regna euersurum. Quod simul

Peccatis hominem eximere id est Diuinę Potētiæ proprium.

Math. 1.

ſimul Ioſephus accepit, è veſtigio fidem adhibuit penitiſſimo myſterio: credidit enim, & meritò vnius Dei eſſe conatum, hominem ſceleribus expedire; neq;enim alius tantam poſſet prouinciam implere. Docet gentium Doctor, ſe ſe,quotquot ſunt hominum,alligaſſe ſcelerum; & hac de cauſa diuinam illis gloriam eſſe opus; *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*. Mecum animo ducebam dicturum Apoſtolum,ſcelus quidē omnes conſciuiſſe, atq, ideò egere,vt illis Numen faceret delicti gratiam; hæc enim conſequentia opportuniùs ab antecedenti enaſceretur. Dicam id, quod res eſt,in maximo gloriæ loco Deus ponit,homines delictorum nodis illigatos vindicare in libertatem: tunc ſe glorioſiorem oſtentat inter homines, cum illos abſoluit ſceleribus.

Glorioſiorē ſe credit Deus, cum hominē ab ſoluit ſceleribus.

Ad Rom. 3.

CXXV. Enimuerò, ſi ij,qui errorem ſunt commenti,diligenti opera Sacra volumina volutaſſent, non eum auderent effutire, ex ijs enim haud difficulter aſſequerentur,diuitias, ciuileſq; dignitates frequentiorem eſſe ad ſcelera cupediam, quam incitamentum ad virtutem. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Ità de Adamo Pſaltes Regius. Prophetes Iſaias cum de Dei populo quæreretur, ipſum perſtringens, *repleta eſt*, inquit, *terra argento, & auro, & non erat finis theſaurorum eius: & repleta eſt terra eius idolis: opus manuum ſuarum adorauerunt*. Salomon,cū attentè meditaretur, quantùm hic ineſſet periculi, à Deo contendit precibus, ne ſibi diuitias largiretur,illum enim inducerent in obliuionem, quibus Deo beneficijs erat adſtrictus. Tantuſq, illarum timor Iacob inceſſit,vt neceſſe fuerit, Deum illi animos facere,cum Ioſephi ipſius filij,qui Proregem agebat in Aegipto, accitu ad illas obtinendas inuitaretur.

Diuitię tēporariįque honores potius sūt ſcelerū cupediæ, quàm virtutis ſtimulus.

Pſal. 48.

Iſai. 1.

CXXVI. Quæ ratio cum erroris authoribus pateret, illam adhuc tueri inſiſtunt, ſed hallucinatione maiori. Inquiunt enim,eam Orbis Liberatorem hominibus gratiam impertiturum ſuo aduentu, vt nullum humanis è felicitatibus caperent detrimentum,imò maiores inde ſuperandum

Præcluditur Iudæorum effugium.

ad

ad ſanctimoniæ faſtigium vires,ducerent; vt ſanè Sanctiſſimi Patriarchæ extitere, adduntq; hoc inter cætera beneficium numerandum,quę ex Seruatoris aduentu mortalibus eſſent conferenda; vt etiam illud,de quo meminit Iſaias, agnum,& lupum,leonem,& ouem tantam inter ſe familiaritatem inituros, vt ſecuri viuerent diſcriminis in fortiorum conuictu imbecilles: *habitabit lupus cum agno*. Sed totam hanc nubem ſui ipſorũ Magiſtri latè diſſipant, omnes enim monent, ne ſe quiſpiam in fraudem induat; vel etiam mẽtẽ ſubeat,naturalem rerum ordinem,atq,ſeriẽ Meſſiæ aduẽtu eſſe immutanda; vel aliquam ſubiturum viciſſitudinem, quidquid Deus in prima rerum molitione perpetrauit; nã illud, quod prædixit,Iſaias,communi videlicet caula agnũ, & lupum excipiendos, id dictum hyperbolicè volunt, quo Vates voluit ſignificare Ethnicum, atq; Iudaicum populos maxima inter ſe neceſſitudine fuiſſe vſuros. In agno itaq; & oue Hebraicam exprimi nationem,in lupo,& leone Ethnicam credunt. *Iſai.* 11.

CXXVII. Duplicem hic error dolum præſefert. Primus eſt, quod arbitrentur imperiti, Aſſertorem Orbis humanis voluntatibus, ac ingenijs vſurum ex Imperio, atque vim allaturum: quam enim immutationem illius inferret gratià,liberi,ac libentes homines aſſentirentur ſui compote arbitrij libertate:ijs tantùm gratia ferente opem,qui ſibi vellent conſulere. Alter eſt, quod aſtruant, Redemptionẽ, quam libertatis humanæ vindex afferret hominibus, futuram temporariã,& armorũ ſtrepitu comparandã. In quam ſententiam nullatenus deflecterent, ſi Sacras Literas accuratè voluiſſent; ex quibus certi facillimè fierent,ſpiritalem futuram Redemptionem, & Seruatorem è ſcelerum ſeruitute noſtros fuiſſe animos expediturum; idq; meritorum pretio, quæ nobis pareret paupertati obnoxius,& contemptui opportunus, iniuriarum patiens, & ſanguinis ſui profuſus, ad hæc ipſius vitæ prodigus, quemadmodum Iſaias, Zacharias,Ieremias,alijq;Prophetæ diſertis verbis prædixere.

CXXVIII. Quod ſi rem lentius perpenderimus, ſe ſe

Tẽporaria Redẽptio nec Deum decebat, nec conueniebat hominibus.

nobis oppidò dabit obuium, huiuſmodi promiſſum, nec Deum decere, nec mortalibus conuenire; nullius deinde eſſe ponderis, nec facere ex æquo ſatis; nullamq; iuſtitiam tribuere perſonarum meritis, quæ illa obtinerent. Deum minimè decebat, tùm ob Dei immenſam magnitudinem, tùm ob muneris tenuitatem. Tantùm abeſt, vt Chriſtus acquieſcat hoc in munere, vt illud potius negligat. Hoc fuit cauſæ, cur Chriſtus in deſerto Regium diadema aufugerit, cum Regium illi honorem deferre turbæ conarentur; Regem quidèm contendebant ſalutare; ſed Regem, ac Dominum temporarium; & adeò abhorret Chriſtus ab his fluxis, caducisq; dignitatibus, vt vel fuga illas declinet; *Fugit iterum in montem*; quando Iudæi illum in Crucem rapturi, qua noſtræ immolauit libertati ſuũ ſanguinem, inexplebili flagrantes odio quæſiere in horto, idem obuiam vltrò illis proceſſit: *Surgite eamus. Ecce appropinquat, qui me tradet*: In deſerto tamen nullo habuit pretio coronam, quã fugit. Illic enim de ſpiritali animorum Redemptione agebatur. Hic de Regij diadematis Maieſtate: Cũ vero Chriſtum non aucupari honores, ſed animos pellicere contendat, animorum cauſam acturus, ſe ſponte committit viæ: *Eamus*: quæſitus ad coronam, ſe fugæ dedit: *Fugit*. Quanto maximo pretio duxit animos, quos quærebat; & nullo, Regium inſigne, quod fugit; ſuæ hocce in facinore Diuinitatis argumentum nempè exhibuit. Quidquid ſub iſto eſt Sole malus dæmon Chriſto promiſit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*, cùm tandem voluit periculum facere, an Chriſtus Dei eſſet filius; Et hoc pacto Diuinitatis paratur agnitio? haud prorſus paratur. Hac ſecum vſus Dæmon argumentatione. Si hic homo mortalem hanc gloriam inuolat, mihiq; Numinis honorem tribuit, Mundi gloriolam animi præfert vtilitati, in quo ſe hominem tantummodò probat, ac proinde Diuinitate eſt alienus. At verò ſi me Numinis Religione afficere penitùs negat, & fluxum, ac mortale decus repudiat; ſi habet deſpicatui honorẽ, ne me de genu adoret, fidem profectò facit aliquid ſe eſſe homine maius, hominem quidem, ſed ſupra hominem Deum;

Ioan. 6.

Matth. 26

Matth. 4.

um; Nam mundi faſtigia paruipendere, vt maximo animus pretio habeatur; primas animæ concedere, id eſt, gratiæ munera temporis vtilitatibus anteferre, ſolus Deus tanto eſt facinori par, ſiue id in proprij, ſiue in alieni gratiam animi præſtetur.

CXXIX. Dæmon hic, qui in præſens Chriſtum non agnoſcebat, ſimul, atq; illum illuſtriſſimum adeò, ſibiq; proprium facinus patrantem aſpexit, cum nonnullo poſt tempore illi occurriſſet in Capharnaum, toti hominum ſaluti dedito, & hominibus à Satanæ ſeruitute eripiendis incumbenti; & poſtmodum in Geraſenorum Regione cum eadem obeuntem munia intueretur, magnum extulit clamorem, eumq, Chriſtum Dei eſſe Filium, ſibiq; planiſſimê notum, totis manibus indicabat: *Quid nobis, & tibi IESV Nazarene? veniſti perdere nos, ſcio te quis ſis Sanctus Dei. Quid mihi, & tibi eſt IESV Fili Dei Altiſſimi. Obſecro te ne me torqueas.* IESVM Filium Dei Altiſſimi veneratur malus Dæmon? ancipiti antea trahebatur cura, & nullum non mouit lapidem, vt hoc agnoſceret; modò tamen ſe id cõpertum, perſpectumq; habere fatetur? quis Dæmonem hoc de arcano fecit certiorem? ex rerum geſtarum proprietate in Diuinitatis agnitionem ſe ſe induit; quippè quem humanarum rerũ contemptorem, animorum ſalutis ſatagentem, mortalis aſpernantem gloriæ, & vindicantem mortales à dæmonũ ſeruitute, quã perpetiebantur, conſpexerat, rectè concluſit Dei eſſe Filium, ſuiq; Parentis ſimillimũ, iſtius modi enim prouinciam vnus poterat Deus inire; hoc ſibi in maioris gloriæ loco ponit, quia ſuum hoc eſſe Regnum ducit. Et qui in rei alius ſpe eſt, egregiè admodum fallitur. Latronum ille feliciſſimus, Chriſtum affixum Cruci rogauit enixè, vt ſuo in Regno tantillam illius curam ageret: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum*: quo excepit reſponſo rogantem Chriſtus? *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Regnum Latro, Paradiſum Chriſtus nuncupauit. Qua id mente? Ne ſcilicet in mentem cui veniret, ne vè Iudæi, qui hæc accipiebant arbitrarẽtur, ſe Regnum aliud habere curæ, niſi cœleſte tantum; ideò Paradiſum dixit,

Luc. 4.
Luc. 8.
Luc. 23.

quod Regnum Latro appellabat. Terrestria enim Imperia, & mundi felicitates vel minimò duxisse pretio alienum prorsus est Christi moribus; à suprema enim Dei Maiestate abhorret, exigui adeò momenti res, vel vili in numero habere.

CXXX. Qui verò huiusmodi rerũ, nec hilum sibi retinuit, quid se in terras conferret, vt mortem subiret, ac sanguinem funderet, quo suis illas compararet? aliàs ea suis amaret, quæ odisset sibi. Ad hæc, infinita propemodùm erat populi vis: quid reliquum fieret cuiq; si tot inter diuiderentur. Maiori hominum parti obtingeret tenuis res. Cæteri natu maiores fato iam functi nulla afficerentur mercede, cùm maximus sit illorum numerus; quorum permulti in Deo idoneis demerendo officijs, nullam prætermiserant laboris partem: Vnde longè iniquiori essent conditione, siquidèm qui cæteris labore præstiterant, nullius fierent mercedis compotes. Quod quidèm refragatur Diuinæ Iustitiæ, & æquitati, quam Deus amat vnicè. Mortalibus etiam minimè conueniret, quippè vel ex ijs, quibus cecidisset ex sententia res, cum in eo verteretur felicitas, quòd armorum vi temporariæ dignitates pararentur, in magno quamplurimi ponerent discrimine, rerum subire vicissitudinem; longiùs enim, & antiquiùs ducerent, aureæ acquiescere mediocritati, vtiq; pace, quemadmodum optimus quisq: Philosophus edocuit. Nullius deinde ponderis promissum erat; cum tota in eo res esset, vt temporario, ciuiliq; Imperio totus subigeretur Orbis; quod ingẽtis quisque spiritus vir non magni faciendum putauit. Rerum deinde diuisio magna fieret iniuria; Qui enim diuinis sub legibus prima fecere stipendia, ex mundi teruncijs nihil caperent pro mercedè; natu verò minores ex asse fierent rerum Domini, quantulæcunq; sunt.

Iudæi Messiæ aduentui primo adscribunt eã gloriã, quam in secundo exhibebit.

CXXXI. Probri loco æstimant Iudæi, sublimem humilitatem, paupertatem prædiuitem, gloriosissimum contemptum, quem primo sibi aduentu Assertor induit, obfirmatèq; pergunt bellatori Messię spem suam addicere, qui humanum sanguinem sitiat, & totum Victorijs Orbem lustret.

Cum

Cùm enim Hebraicus populus nunquam Diuinis beneficijs responderit, quæ eximia Christus primo in aduentu cõtulit, amat abnuere : & explanato præposterè rerum ordine primo adscribunt aduentui eam gloriã, quam Prophetici, & Euangelici Scriptores in altero ei attribuunt. *Cum autem venerit filius hominis in Maiestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Luc. 9.

CXXXII. Idem omnes prorsùs sentimus, videlicet extrema mundi fortuna eundem Orbis Seruatorem ad iudicium exercendum, sententiamq; pronuntiandam gloriæ circumquaq; ac Maiestatis micantem radijs è cœlo descẽsurum, vt est Danielis Oraculum; quemadmodùm veteres Iudæorum Rabbini, recentioresq; ad eandem prædictionẽ explanationibus prudenter asserunt. Nostra deinde nihil quidquam sententia discrepat tùm à veterum Rabbinorũ, tùm à melioris notæ Recentiorum sensu; nempè Messiam primo in aduentu totum se dediturum mansuetudini, ac paupertati, id enim præmonebat Zachariæ Vaticinium: *Exulta filia Sion : Iubila satis filia Ierusalem :* Ecce *Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & sedẽs super asinã.* Zach. 9. Ita etiã inter nos, illosque cõuenit, suis meritis, ac sãctimoniæ studio, suiq; sãguine testimonij suos fuisse vinctos absoluturũ vinculis, vti Vates idẽ prędocuit: *Tu quoq; in sã guine Testamẽti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Ibidem 11. Deinde Seruatorem principi quoq; aduentu se se ad omnem patientiam comparaturum, & ipsa afficiendũ morte, quo vitam, animiq; salutem mortalibus pareret. Accipe Isaiæ Oraculum: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Isai. 53. Omnis in eo vertitur controuersia, nam qui sua Christo nomina sunt professi, contendunt, Redemptorem Orbis aduenisse anno abhinc millesimo sexcentesimo sexagesimo; & in Crucem actum oppetijsse mortem in Mortalium salutis gratiam. Iudaismi verò sectatores illum fuisse Assertorem pernegant, quo suis à maioribus inuidiã tanti criminis transferant, & notam deleant ingratitudinis, vti ea extitit, quam sibi ex illata Liberatori suo nece inusserunt.

Nostra

CXXXIII. Nostra veruntamen à sententia stat Dominus idem, ac rerum conditor, qui ingenti admodum prodigiorum vi, quæ vnus tantummodò Deus edere potuisset, eā planè confirmauit, prædictionum præscripta sua in vita, nece, & rebus ab ipso gestis religiosè admodum obseruans. Obfirmata verò Iudæorum cæcitas id vnum laborat, istius modi veritati obstrepere: modo sacras præpostere literas explanans, modò effutiens, mortalium vindicem primo suo aduentu Maiestatis vndiq; radios emissurum, alterius aduentus gloriam primo attribuens: Interdum ineptit, aitq; duos esse hominum Redemptores, quorum alter totum se laboribus deuoueret, gloria circumflueret alter: Interdum, ea, inquit, aduenisse tempestate, qua Titus Vespasianus extremam ruinam Templo intulit, sed illorū ob delicta subduxisse se se hominum conspectui. Verum quòminus illis appareat, sua ipsorum cæcitas in causa est, ne eum intueantur; & causa est cæcitatis, qua laborant, infidelitas, qua illum repudiarunt.

Variæ Iudæorum ineptiæ.

CXXXIV. Contentis admodum vocibus Sacra testātur volumina duplicem vnius Redemptoris aduentum: primum propediem futurum: vt clamat Isaias: *Prope est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.* Secundum extremo voluentium seculorum die: vt monet Ioel Prophetes: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Primo vsurum pro satellitio paupertate docuit Zacharias, futurū ignotum mortalibus, monuit Isaias. Altero summa in Maiestate venturum, monet Dauiel; & Dauid, omnium se daturum in conspectum, illustrissimis diuinitatis suæ radijs vndequaq; effulgentibus.

Ostenditur duplex Messiæ aduentus. *Isai. 13.* *Ioel. 2.*

CXXXV. Ex hoc Nemo erit, qui dubitet, duplicem esse Messiæ aduentum; cum res adeò è regione oppositæ, quas Vates indicant, uni, eidemq; aptari minimè queant: vt quidèm sunt, quamprimùm aduenire, & aduentum ad extremi iudicij diem differre: paupertatem induere, & humilitatem, & maxima vti potentia, ac Maiestate; studere, ne agnosceretur, & omniū oculos sua luce ad agnitionem prouocare.

care. Ipsi etiam Thalmudistę ad illa Ecclesiastę verba: *Nihil sub Sole nouum*, duos, inquiunt, futuros Messiæ aduē- tus, non tamen duos Redemptoris munere esse functuros; vt inani posteà adducti mente Rabbini aliquot immersi ca- ligine docuerūt, impliciti nimirū vtriusq; aduentùs discri- mine. Ineptit igitur in hunc modū hæc imperitorū hominū natio; alterū Redēptorē fortunis omnibus destituendum, & infima hominē sorte futurū; hic, inquiunt, Iosephi fuit filius; ità Christo faciunt nomē. Alterum Dauidis Filium, homi- num pecuniosissimum, & gloriosissimum futurum: hunc ip- si in spe habent. Prædicandā prorsus cæcitatem! Si enim Iosephi, vt credebatur, Filius verus extitit Messias, quem Vatū promissa collimauerant, cur suā illi Fidē non adiun- gunt? Curuè, cum ipse doceat, se Orbis esse Assertorē, qui suo illum sanguine ab interitu vindicaturus aduenit, & qui extremo die vitæ rationem à mortalibus exacturus Maie- statis solium insidens accedet, cur, inquam, non illum ex- cipiunt, Christianisq; Mysterijs initiantur? Si enim Christus Messias vere fuit, qui præcipuum inter Prophetas, tùm qui fuere, tùm qui futuri sunt, decus obtinet; & quem Deus legauit in terras, vt in confesso est hosce apud Rabbinos, certum omninò est, non potuisse Christum vllius se menda- cij alligare, vel alios in fraudem illicere; Dei quippè Pro- phetarum mentiri minimè est, nec alijs in minimi re mo- menti imponere, nedùm in maximi. Eccles. 1.

CXXXVI. Hoc Rabbinorum somnium, ac deliramen- tum Chaldaicæ, ac septuaginta Interpretum Editionibus immanè quantum aduersatur: Et nemo vnquā fuit è Tal- mudistis, qui duplicem agnouerit Redemptorem. Et si Iudæorum traditionibus standum est, illorū nulli per illas licèt à Talmudistarū disciplina descissere; quod tamen re- cētiores hi Magistri peccarunt; qui enim deficit à veritate, in ipso fluctuat mendacio. Nihil est dubij, sibi Deum mor- talitatem induturum, & sanguinis sui pretio nostræ facturū pretium libertati: ità enim Sacri testantur Libri. Extra- æquè controuersiam est, vt constat ex ipsis Scripturæ Sa- crosanctæ Oraculis, absoluto Redemptionis opere, quod Refelluntur Iudæi, qui duplicē Redemptore somniarūt.

Deum

Deum maximè decet, reuicturum è tumulo gloriosè, & superos petiturum victorem, quo cœlestem adiret hæreditatẽ, & in illius possessionem familiares suos induceret, quẽadmodum euentus in Christo omnia excepit. Deinde tabescente iam Orbe, magnis gloriæ, Maiestatisq; radijs circumfusum iterum in terras descensurum, quo dicta mortalibus die vitæ rationem exigat à singulis; Itaq; si Sacræ ipse Literæ hoc apertissimè comprobant; & causam asserunt Christi miracula, ac gesta, cuius est mentis asserere, duplicẽ futurum Redemptorem vtrũq; merè hominem? Cùm nullus hoc pacto valeat Redemptoris munia obire. Redemptoris quippè conditiones describit Isaias in hunc modũ:
Isai. 9. *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*. Et cũ inter ea, quæ hoc loci Vates Redemptori attribuit, Diuinitatis ei fastigium deferatur, *Deus*; & pacis principatus, *Princeps pacis*, rectè concluditur, contendentibus Iudæis vtrũq; Redemptorem, quos fingunt, non humanam conditionem præteruecturum, illorũ nulli Redemptoris honorem iure adscribi. Deinde si Seruator alter bellico instructus veniat apparatu, & non pacis parens, ac Princeps, vti prædixit Isaias, eum licèt Principẽ dixerit, *Princeps pacis*, iam alium esse à Redemptore, quẽ destinauerat Numen; qui enim Diuino iussu hanc erat subiturus prouinciam, ille erat quem Vates prædocuerant, at verò Diuinæ voluntatis Interpretes huiusmodi Redemptorem, militaribus scilicet assuetum artibus ne somniarunt quidèm.

CXXXVII. Humanæ salutis Assertori indit Isaias nomen, Pacis Principi, & Authori: quem Iudæi bellicæ laudis compotem, ducemq; egregiè martialem effingunt. Vnũ tantum Messiam loquitur Sacra Pagina: *Filius datus est nobis*: Recentiores Rabbini duo futuros contendunt, quâ id de causa? Ipsi etiam cœlestes ciues hunc in errorem arma cepere, vtpotè qui Prophetarum eloquijs apprimè docti. Sermonẽ cum Apostolis Angeli faciebant die illa, qua die mortalium salutis Author se triumphator in Cœlum retulit, cumq; illis animos, spemq; facerent, quod illum gloriæ solio

solio insidentem, agentemq; mortalium iudicem extremi iudicij die essent visuri, effati sunt in hæc verba: *Hic IESVS, qui assumptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum*; Veniet ille quidèm, inquiunt cœlites; sed ad supremam Orbis lucem vestram periclitabitur spem: istum ipsum IESVM, hoc est, Redemptorem sperate: *Hic IESVS, qui assumptus est*. Hunc ipsum iubent Angeli opperiri, quid non alium? quia nec maiorum memoria, nec voluentibus seculis non nisi hic idem est venturus. Cuius rei ea potest adduci causa; quidquid alter exequi poterat, poterat etiam hic, siquidèm iure fungitur vniuersali cœlo, terraq; *Data est*, inquit idem, *mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*. Itaq; si omnia huiusce sunt potestatis; & partes, quas alius, hic implere valet, rem actam alius profectò ageret: nam quidquid hic non egit, facto non opus erat, atq; ita non id negotij alij mandaret Deus, qui superuacanea perpetraret; diuinæ mentis consilia, atq; decreta rei huiusmodi videlicet reclamarent: neq; enim Deus dat in mandatis, vt fiat, quod damnet æquitas; neq; sua refigit decreta, id enim esset secum pugnare; suarum quippè constantiæ sanctionum, & oraculorum veritati iret obuiam. Sacræ testantur Literæ Mundi Redemptionem ac libertatē futuram spiritalem; certant Iudæi, Temporariam. Sed qui stabit hoc Iudæorum delirium, cùm sacris impudenter libris aduersetur: in quos insurgere solummodò valent, & noctes, & somnia. Pudet vel calamum meminisse Rabbinorum ineptias. Prædixerat Isaias, magnam Redemptorē suscepturum prolem. Iudæi (quæ est illorum caligo) de liberis hominum more susceptis Isaiam explanant; cùm de illis Vates sermonem haberet, quos Fides, atque Religio orbis pareret Assertori. Sionem montem, inquit Prophetes idem, omnes longè esse superaturum montes: Hæbrei verò summam per inscitiam tradunt, id Messiæ in aduentu ad literam (quod aiunt) esse euenturum; Sione scilicet toto vertice alios supereminente. Quàm magnæ rei instar habet hoc prodigium! vt suā Deus tot ante seculis fidem obstringeret in Messiæ aduentu soluendam! quid res est,

Marc. 16.

Matth. 18.

minetur in Cœlum mons, an pede ſit non altior vno? Ducendum nè teruncij hoc eſt immenſam apud Numinis Maieſtatem. At ſi legitimo explanetur ſenſu, hoc eſt; ſi in Sione monte Chriſtus, Patriarchæ, ac Prophetæ in alijs exprimantur, quos inter tantùm Chriſtus caput extulit, quantùm Libani pulcherrimæ Cedri humiles ſolent inter arbores; penitiſſimum tùm temporis myſterium indicat.

CXXXVIII. Sacri cecinere Vates, eam allatũ iri à Chriſto pacẽ; vt quibus homines gladijs vterentur, ac telis, effingerent in vomeres; ac bellica depoſita ferocitate cicurarentur. Quod Synagogæ Doctores literali, quod aiunt, ſenſu interpretantur, cum debeat ſpirituali exponi, ob pacem nimirũ, qua homines Dei adoptione donati afficiuntur: quemadmodũ in Ferarũ immanitate adũbratur ſcelerũ iniquitas, quã diuini ſermonis virtute exuunt ij, qui ab ſtultitiæ tenebris, ac flagitiorum cęno ſe ſe traducunt ad Deum; atq; vnam deinceps amant ſanctimoniam, integritatẽq; morum. Ad hunc fermè modũ, & explanantur, & explanari debent cætera Vatum Oracula, quæ de Redẽptionis myſterio eloquuntur. Quæ quidèm ita præpoſtera explanatione donant excæcati Iudæorum Rabbini, vt multa indè ſumma Numinis perfectione indigniſſima enaſcantur; quæ tamen illorũ authoribus, authorũq; ſequacibus vitio ducuntur, ac dedecori. *Pax multa diligentibus Legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Multa (inquit Pſaltes Regius Deum alloquens) fruuntur pace, qui toti ſunt in tuæ Legis amore: nihil in illa habent obuium, quod animum mordeat, aut auertat. Cumq; nihil in Chriſto ſit quod poſſit apud homines venire ad inuidiam; Vni tantum Iudęi offendunt in Chriſto; indè ad offenſionem ducentes argumenta, vndè ad gratitudinem incitamenta accipere æquum vehementer erat; Et quia bellatorẽ Chriſtum expectabant, reijciunt, ſi Pacificum damus. Iure dicas mente affectos, qui neſciunt Meſſiæ gloriã non armorum ſtrepitu, ſed pacis tranquillitate eſſe collocandam. Flexo iam in Veſperã ſuæ Reſurrectionis die, conuenit Aſſertor in Cęnaculo diſcipulos, nutantes etiam nùm in ſuæ gloriæ fide, quos, vt conti-

Pſalm. 118.

contineret in officio, salute, suaq; pace impertiuit: *Pax vobis: ego sum*: Vt fidē faceret suæ gloriæ, suæ pacis contulit beneficium. Ecquis est qui non vertat amentiæ, perillustri ornatum gloria expectare, & militaribus accinctum armis velle. Vt etiam insaniæ est Regijs ciuiliter armatum fascibus venturum credere, qui humanarum rerum contēptum, superborum fastuum vilipendium, & iactantiæ odium vt edoceret, hanc in terras inijt expeditionem: Suis ipsorum gladijs, vt aiunt, Iudæos iugulemus, id est, celeberrimò inter ipsos Vaticinio, Iacob videlicet, etiam, atq; etiā iterato. *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est*: vbi animaduertant Hebræi, quod eos forsan ad hanc diem fefellit, nimirum nō esse prædictionis sententiam, extinctum Reges iri, sed faciendam sceptri iacturam. Quippè circa id tempus, quo natus Seruator est; interierāt prorsus Reges, sed perstabat adhuc insigne Regium; Christi aduentu non tantum Regiæ Personæ, sed Regale etiam sceptrum defecit; ad Messiæ conspectum, ad quem vnum Regium fastigium Lex deferebat, & Prophetæ: non modò qui tractarent, sed qui tractaretur, Imperij clauus perijt. Roges huius rei causam? Baptistam accipe in primo parænetìcæ suæ orationis vestibulo: *Pœnitentiam agite*, ingenti clamabat voce, *appropinquauit enim Regnum Cælorum*. Appulit Iudæam cæleste Regnum Messiæ ductu; iccirco expirat in Iudæa sceptrum, quia nouum enascitur: illud vtpotè quod minoris dignitatis extinctum est, quippè hoc maioris præstantiæ inferebatur. Cùm enim cęleste inter, terrestreq; Regnum non amicè conueniat, huius ex ruina illi gradus construitur ad ascensum: Quo certè testimonio se elapsum è Cœlo Regem apertissimè Christus demōstrat; Siquidem non adijt terras, quò terrestre firmaret Imperium, sed quò excitaret cœleste; non quò terrestrem Ierosolymam ab interitu temporario vindicaret; sed quò cœlestem æternæ vitæ auris afflatam constabiliret: non vt erat Iudæorum spes, sed vt erat mortalibus vsui.

Ioan 20. *Genes. 46.* *Matth. 3.*

CXXXIX. Et quidem Christum Regem esse contemptæ opes, & habitę despicatui diuitiæ possent Iudæos apud

Eę natę ad sceptrū manus, quæ diuitijs nesciunt occupari.

argumento esse; eæ quippè natæ ad sceptrum manus, quæ diuitijs nesciunt occupari. In Pilati curia per ludibrium Christus appellatus est Rex: *Aue Rex Iudæorum*: In Caluariæ monte hoc illi honoris delatum est, ita verè, vt Iudæos momorderit non mediocriter: *Noli scribere Rex Iudæorum*: Si non eos apud Pilatum solicitauit hæc cura, quid eos modò pungit accerrimè? illic attrita licèt purpura induebatur: hic intima etiam spoliatus tunica sola dolorum patientia armabatur: Regij aliquid illic fastus, hic solius paupertatis suppellex effulgebat. At verò tunc propior ad Regiam dignitatem Christus, cùm nihil habet Regij splendoris. Enim verò iccircò Iudæi non resipiscunt, & nostræ Redemptionis cōpotes fiunt lucis, quia inexplebili ardent terrestrium fortunarum siti: Postquam Christus extruendis in altum diuitijs alumnis interdixit suis: *Nolite thesaurizare*: ad oculorum perspicacitatem sermonem intendit: *Si oculus tuus fuerit simplex*. Qua id de causa? nempè si oculi diuitiarum studio non illiciantur, acutiori haud dubiè vtentur lumine; si verò inhient diuitias, inuoluentur prorsùs caligine: *Hoc dixit, quia si adieceris animum opum solicitudini, extinxisti lucernam, obtenebrasti tuam animam*: inquit Theophilactus. Heli oculi ea sunt affecti cæcitate, vt Templi luce frui non valerent: *Oculi eius caligauerunt, nec poterat videre Lucernam Dei*. De Samuele testatur Sacra Pagina, suo in fonte hausisse oculis lucem: *Vidit Deum Lucis*. Qua, hic, de causa acie viget acutissima, & ille cæcitate laborat immedicabili! Heli nempè eximio rerum humanarum amore tenebatur; oculissima illi tellus erat, quæ oculis admota nocebit non vulgariter. Samuel autem parui adeò pendebat humanas opes, vt illi hoc Sacræ Litteræ testimonium dederint: *Pecunias, & vsq; ad calceamenta ab omni carne non accepit*. Eam obtinuit Samuel oculorum perspicacitatē, quia illos terrestri pulueri est furatus. Componant se se Iudæi ad Samuelis exemplum, & obductas cæcitatis nubes videlicet dissipabunt.

Diuitiarū sitis Iudæos amouet à Christi Fide.

Math. 6.

1. Reg. 3.

Ecclesi. 46.

Ibid.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Iudæorum improbatio Orbis concinit libertati.

CXL. SVperiorum capitum quodlibet, quibus de egimus in altera hac Veritatis Harmonicæ parte, argumentum est, quod ipsismet oculis exponit, iam dudum aduenisse Messiam, huncq; esse Christum IESVM nostrum omnium Dominum, ac Seruatorem. Quod si vnumquodq; ineluctabilem sortitur vim, quod desumitur ex supplicijs, quæ Deus expetiuit, expetitq; in præsens à Iudaico populo; postquam sceleratas Christo manus intulerunt, plus roboris videtur obtinere, ipsisq; sensibus percipi. Alia enim argumenta à Vaticinijs eruuntur: quæ annum abhinc millesimum sexcentesimum sexagesimum absoluta sunt; hoc autem innititur prædictionibus, quos euentus excepit protinùs, quò sibi fidem adstruxere; illamq; indies firmare perrexerunt ipso annorum decursu, quot in nostra vsq; tempora effluxerunt, quibus temporibus ipsis se videndam oculis exhibet, manibusq; attrectandam castissima illius Veritas. Quò teneantur cętera, Sacrarum Literarum cognitione est opus: Verùm hocce argumentum negotio haud magno cõparatur: animum spectat assequendæ veritatis percupidum; & nulli obnoxium perturbationi: totæ debent ad alia mentis vires contendi; ad hoc abundè est intendi oculos.

Iudæorum improbatio maximã videtur vim obtinere, vt probetur Messiæ aduentus.

CXLI. Ad pauca igitur redactis, quæ fusiùs sexto capite partis primæ disseruimus, nobis erit in propatulo, irrogatam ante Christo necem fuisse hunc populum Deo in amoribùs, & eximijs cultum beneficijs, vt Liquidò patet in Lege, quam illi tulit; in Prophetis, quos misit; in Prodigijs quæ in illius gratiam perpetrauit: at verò post illatam summam per improbitatem Christo mortem, incredibilem adeò hæc omnia subijsse vicissitudinem, vt totas ipsas vrbes, Regnumq; totum euerterit Victorum ira, oppresserit ruina

Iudæorum supplicia post illatã Christo necem.

Tem-

Templum, Populum abstulerit cædes, & quotquot fuere tãtæ cladis superstites, aut pertulerint seruitutẽ, aut miserrimam proscriptionem, quin Deus quidquam deinceps haberet pensi tantillam illis opem afferre; aut illorum studere libertati, qua tot iam annos carent infeliciter. Ipsa supplicij seueritas, ac diuturnitas minimè malignè prodit, quàm graui Deum populus hic iniuria lacessiuerit, cum Messiæ illi fastigium inuidit,& ad mortem rapuit hominem
Prouerb. 16. veluti nefandis adstrictum sceleribus. *Pondus, & statera iudicia Domini sunt.* Et quidèm si Deus summè est iustus, vti re vera est, iustitiæ integritas ex criminis fęditate supplicij seueritatem æstimat: Cum igitur maximò in Iudæos animaduertatur supplicio, certum est peccasse ipsos sceleratissimè.

Tria pęnarum genera Israelitis minatus erat Deus. Ose 3.

CXLII. Triá Iudæis pęnarum genera impendere hocce ob crimen, præmonuit Oseas. Primum; & obliuione,& odio habendos à Deo Israelitas. *Non addam vltra misereri Domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* Deinde abdicandos populi Dei nomine, & patrocinio. *Voca nomen eius, non populus meus, & ego non ero vester Deus.* Tandem à Diuino abire conspectu esse iubendos, & toto dispersos Orbe incertos sedium vagaturos: *Abyciet eos Deus meus, & erunt vagi in nationibus, quia nõ crediderũt in eũ.* Et exilij sortem Vates explanãs, quod ab Assertoris morte paterentur Iudæi, *Dies,* inquit, *multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacerdotio, & sine Altari, & sine Ephod,*
Amos. 5. *& sine Teraphin.* Consonat Amos Prophetes: *Domus Israel cecidit, & non adyciet, vt resurgat.*

CXLIII. Assentitur huiusmodi Oraculo Isaias: *Dominum exercituum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem: in laqueum autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel: in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Qui, inquit Vates, Deũ sanctificauerint, hoc est, qui Sanctã institerint viuendi methodum, qui totum suæ mentis amorẽ illi dicauerint; qui illum, & timore coluerint,& spe;

illos

illos etiam Numen impertiet sanctimonia, & digna meritorum afficiet mercede. E contrà verò, quia Israeliticus Populus non hunc Deo honorem morum integritate conciliabit, à Fide enim, & in Deum obseruantia deficient, à sua illos beneuolentia, ac amore amouebit Deus, illosq; & cæcitate, & extrema opprimi ruina permittet, vt reapse post Redemptoris aduentum ipsi ijdem experiuntur.

CXLIV. Idem alio in vaticinio premonet Isaias: *Ecce ego mittã in fundamentis Sion Lapidem, Lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet; & ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura; & subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt.* *Isai. 28.*

CXLV. Atq; hos Prophetarum locos ea donant explanatione Talmudistæ: ipsiq; docent lapidis vicem suo in aduentu liberatorem Orbis obtenturum, in quẽ Iudæi impingerent, suumq; molirentur exitium; deinde antequã se se omnes ad Christianam Fidem tandèm aliquando aggregarent, futuros oppidò paucos, qui in beatorum Sedes adscriberentur, præ illis, qui sempiternis ignibus essent damnandi. Annotauit Venerabilis Beda ad caput quartum primi libri regum; vbi Sacra memorat Pagina, maiorem fuisse Hæbreorum vim, quos Philistæi infensissimi ipsorum hostes occidere, simul atq; Dei arca excepta in castra est, quàm priusquam in illa admitteretur: *Plures, veniente Arca, quam antea ceciderunt.* Antea enim quatuor millia desiderata sunt; postea triginta millia sũt extincta; Causam affert Beda: Arca nempè Christi typum exprimebat, & longè maiorẽ Iudæorum partem Tartarus deuorat illorum perfidiæ causa, postquam Christus transmisit in terras, quàm antea absumpserat, non quidèm Christi vitio; sed sua illorum obstinatione. Ea enim circa Sacrorum Librorum sensa affecti sunt caligine, vt rationis prorsus expertes, mentisq; inopes videantur: quod manifestè produnt, absona, quæ effutiunt: *Possumus dicere*, ait commendatissimus Beda, *quod quatuor millia virorum ante aduentum Arcæ perdiderit Israel in eis, qui ante Dominicæ Incarnationis tempus, minus per-*

Post Christi aduentũ maior pars Iudæorum damnandi.

Venerab. Beda.

perfectè credendo, sperando, amando, & operando Legis *iussa spernebant* : *Allata autem area triginta millia peditum maiori plaga perierint, quia S. Trinitatis mysterium ex Euangelio cum promissione denarij cælestis accipere renuebant*. Et cum suauissimus planè sit concentus, quem inter se edunt vetus, nouumq; Testamentum, Prophetarum Oracula, & Euangelistarum sermones; dissonum aliquid interserere summa ope nituntur Iudæi. Atq; in huiusce consilij ignoratione seueriùs puniuntur; & mea quidem sententia, imò ipsiusmet Christi: non ita periculosè languent Iudæi, quod re vera cæcutiant, sed quod falsa de perspicacitate superbiant. *Si cæci essetis* (aiebat Christus illos alloquens) *non haberetis peccatum* : *Nunc verò dicitis* : *quia videmus; peccatum vestrum manet*; quid ita scelus in ipsis non extinguitur, quia sibi habent persuasum, oculorum acumine vigere se se? & meritò; nam re ipsa oculis sunt capti : *Cæci sunt, & duces cæcorum*; hoc ipsis testimonium dedit Assertor. Et cum caligine verè laborent, se lynceo valere acumine falso iactant : Cumq; nulla sit lethalior cæcitas, quàm quæ suas agere partes perspicacitatem credit, nulla medicandum ope fit Iudæorum crimen, quia illorum cæcitas enascitur à superbia : ideo sceleris morbus exhauriet medicantium artem nullo prorsus operæ pretio, quia euidentiæ iactantia initium fecit cæcitati. Si errorem damnarent suum, si scirent, Sacras se Litteras nescire, & extimã corticem legere, non verò penitissima illarum arcana intropiscere, non damnarem spem, posse illos conualescere; cùm verò nimium efferantur, credantq; se plus, quam id, quod res est, assequi cognitione; cum sibi superbè admodum prædictionum intellectum arrogent, & nihil quidquam in Prophetarum interpretatione primo sint à littore prouecti, illos lucis superbia perimit, quos ingenua cæcitatis confessio sospitaret.

Iudæi non periculosè adeò languẽ, quod cæcutiant, quàm quod superbiant de cæca perspicacitate.

Ioan. 9.

CLXVI. Meminit de Christi infantia Lucas; prodiditq; litteris, quid illi Simeone cum Vate in Templo acciderit, cum illum Deiparens quadragesimo à Natiuitate die nuncupatura Numini in Templum duxit : Vt erat Legis præceptùm; & cum tres locupletissimos testes hocce in mysterio

rio adhibuerit Christus, quo sibi fidem eliceret à Iudæis, obstant, quàm maximè possunt, suo vitio; non modò quia noctis pleni, sed quia superbiæ impotes; non quòd langueant oculi cæcitate; sed quòd cæcitas sibi oculos vendicet. Suis in libris quibus præstantiorem deferunt authoritatem, (in his præcipuum est decus volumini Thalmud) Prophetæ isti nomen indunt Rabbi Simeoni Iusto, Magistro, & Scholis, quæ Ierosolymæ colebantur, præfecto. Qui primus, quemadmodùm author est Euangelista, Christum vere Orbis esse liberatorem, dissertis asseruit verbis: *Viderunt oculi mei Salutare tuum*. Alterum testimonium illud fuit, quo Messiæ agnitionem populo indixit: *Lumen ad Reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*. Tertium, cuius rei contemplatione Messias fuerit natus, ennarrat, in in quorundam videlicet exitium, & in aliorum felicitatem: *Ecce positus est hic in ruinam, & in Resurrectionem multorum in Israel*. Luc. 2.

CXLVII. Simeon in Christi cognitionem se se inducit, quia suam illi fidem addixerat Deus, non mortalibus curis exuendum, quin suismet oculis humanæ salutis Authorem intueretur: At Iudæi tot illum prædictionibus negant agnoscere. Ad lucem, & gloriam dicit nasciturum, quia Ethnicorum luci totus est nuncupatus; vti nobis in perspicuo est: ad gloriā, quia Israelitico populo ingenti sanè gloriæ fuit, cuius è genere sibi mortalitatē adiunxit, Parentem sanctissimam elegit, Ecclesiam excitauit, Apostolis, Euangelistis, ac Discipulis quorum sibi eodem è populo delectum habuit; omnes quotquot sua illi nomina profiteri decernunt, excepit, excipitq; humanissimè. Verùm enimuerò, quia Prophetes vidit maiorē Iudaici Populi frequentiam Christo non esse daturam nomen, suæq; instituram perfidiæ, ac cæcitati, & Christum plerosq; omnes capite damnaturos; & huius sceleris causa magnum illis supplicium fuisse irrogandum; & peculiari Dei cura deijciendos, præmonuit, Dominum, ac rerum conditorem Christum in plurimorum exitium, in multorum gloriam fuisse natum, ita nimirùm rebellium Iudæorum improbatione, ac supplicio nostræ

Christus ad Ethnicorū lucem, et Israelis gloriam natus est.

 Redem-

Redemptioni fidem adstruente. Rebelles, inquam, quia tota illorum ruina, ab animi perfidia emanat. Paralyticus ille, de quo Ioannes memorat, annos duodequadraginta Ierosolymæ in Piscina illo fuisse morbo detentum, Iudaicũ populum referebat, vt placet Augustino, & Bedæ. Quem verò conatum adhibuit Christus, vt illum restitueret in sanitatem? quam admouit operam, vt restringueret paralyticum? quæsiuit, an vellet sanari: *Vis sanus fieri?* Quid? est aliquis ita ægritudinis amans, qui nolit ab illa eximi? Israeliticus is est populus (quæ est illius insania) Ea propter non salutem comparat, quia abnuit: simul atq; opem voluerit admouere, se se oppidò confirmabit. Sed non indignum obseruatione, quod Christo reddidit Paralyticus: an salutem amat, rogat Seruator? *Hominem non habeo*: excepit ille: quod quidem responsum non aptè videtur interrogationi congruere: Non quæritur, an hominem habeat, sed vtrum bene velit habere? Si igitur valetudinis studium inquiritur, quo nam pacto reddit carere se homine? O eximiam sanè in Iudæos inuidiã! Velint, nolint, id vnum fateantur necesse est, vnum scilicet hominem illis salutem restituisse, Christum nempè Deum, & hominem: iccircò quatenus non hic accessit, ingrauescebat in Dies morbus; cùm enim in huiusmodi paralytico Iudæorum typus habe. retur, qui Christo spem suam addixerant; dum mortalitatẽ hic non induit, decumbebat ægrotus lethaliter. Vbi tamẽ Deus factus homo aduenit, reuiuiscere cæpit ægrotus: & quidẽm illi fuit sanitati velle sanari: *Vis sanus fieri?* quod si Iudæorum cæteri non salutem adspirant, sanitatis odio sibi ducant. Vnum adhuc in præsens expendam eodem cum Augustino, & Beda: Perpendunt cęlestem aulicum, qui ad commouendam aquam accedebat: aquam deinde, quæ reciproco ad piscinæ crepidinem illisu turbabatur: aiuntq; ab Angelo Christum ad terras delatum designari; Angelum enim, interprete Malachia, Deus nominauit. *Angelus Testamenti, quem vos vultis*. Turbatam Lympham Populi Iudaici prolusisse turbationi in Seruatoris obitu. Sed quod præcipuum est annotatu, indicat Euangelista, nimirum

Ioan. 5.

Languent Iudæi, quia sanari nolunt.

Angelus, qui Piscinæ aquam mouebat, Christi gerebat typũ.

Malac. 3.

rum ita minimè multos enumerari, qui aquæ ope vindicarentur ab affecta valetudine, vt vno quoq; anno vnus tantùm fieret compos sanitatis: *& qui primus descendisset post motionem aquæ, sanus fiebat*. Deus immortalis? non effusum Christi sanguinem, acerbissimosq; cruciatus hęcce exprimebat aqua? non ideò Christus mortem occubuit, vt copiosissima Redēptione salutem omnibus pareret? Quid ni? Non aderat ingens languentium vis? *Iacebat*, inquit Ioannes, *multitudo magna languentium*: quid ergo vnus tantummodo init sanitatem, cū omnibus suppetat medicamentū? Vnus expeditur morbo, idq; in annos singulos? etiam. Turbata enim voluitur piscinæ aqua, id est, laborat Iudaicus Populus animi perturbationibus agitatus; & vbi in Seruatoris perpessione capti sunt Iudæi cæcitate, pauci admodū saluti consulunt, vt in vnumquemq; annum vix vnum enumeres, (scelestos loquimur, & obstinatos) non opis defectu, sed mentis vitio, non quia haud præsentissimum adhibeatur remedium; sed quia turbato versantur in fluctu; non deniq; sibi gratulantur sanitatem, quia negligunt sanari. Cumq; voluntario implicentur morbo, immedicabilem reddidere: tametsi ipsorum peruicacitas nostræ libertatis veritati testimonio sit haud contemnendo.

CXLVIII. Imo Diuinam ita Fidem comprobat, huiusmodi perfidia, vt consonet musicè Prophetarum oraculis: Isaiæ: *Et erit vobis in sanctificationem, in Lapidem autem offensionis, & in petram scādali domibus Israel, & in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem.* Isai. 8. Amos: *Hæc dixit Dominus; super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non cōuertam eum, pro eo quod vendiderit pro argento iustū, & pauperem pro calceamentis.* Amos 2. Vt verò scelus hoc, quod tanto sibi fuisse dolori testatur Deus, vt illius causa populum reiecerit non iterum excepturus, fuisse Redemptoris coemptionem, necemq; apertū fiat, id præmonendum duximus, egisse prius Vatem de triplici Iudæorum peccato, quibus maximam in se Dei inuidiam conflarunt: quæ quidèm flagitia vulgo explicantur in hoc modum.

CXLIX. Scelus omnium princeps consciuere filij Ia-

Tria Iudæorũ peccata, quæ diuinam irã acriùs lacesserunt.

cob, cum Iosephum fratrem in Aegyptum dedere venum: quod scelus ita seuerè vltum est Numen, vt flagitiosorum nepotes ducenaria annorũ seruitute oppresserit in Aegypto. Alterum illud fuit, cum cęlestes honores ad Sinæ radices vitulo tribuere, eodem temporis articulo, quo innumera illis beneficia,& contulerat,& pergebat conferre: adnectẽdus est huic sceleri duorum vitulorum cultus, cui Ieroboami tẽporibus impudentissimè se se decem Tribus dedidere: In huius flagitij animaduersionem à Salmanasare Assyriorum Rege ad seruitutem redacti sunt. Tertium memoratur Idololatria, cui ita Ierosolymæ erant addicti, vt inanibus simulacris non animantes modo, sed suos ipsos liberos immolauerint; eaq; animi tenacitate; vt Sacros Vates, qui fœda adeo facinora ipsis probro obijciebant, ac insimulabant, vita immisericorditer spoliauerint; vt Isaiam, Zachariam, Ieremiam, aliosq; egregia sanctitate Viros. Flagitiũ huiusmodi septuaginta annorũ seruitute redemerunt, quam Babylone Nabuchodonosor Rex illis imposuit; qua Esdræ memoria tùm Iudæos, tùm Israelitas exemit Numẽ.

Quartũ omniũ fœdissimum fuit Christi proditio.

CL. Extremum, omniumq; fędissimum scelus admisęre, cum Christum IESVM vili admodũ pretio à Iuda perduelle coemerunt, & rapuere ad Crucem; id enim ipsius aduentus, de quo Amos, amplectebatur: Cuius flagitij alligatos Romani funditus debellarunt, & toto egerunt Orbe, Dei patrocinio destitutos,& illius iræ puniendos: quod quidèm non excutient iugum, dum obstinationi paruerint; & IESVM verè Messiam merito Redemptoris honore non affecerint. Ita enim vtrumque ipsis Testamentum minatur. *Dies multos expectabis me*, (Verba sunt Oseæ hacce de seruitute Vaticinantis) *& post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suũ,& pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Apertius Christus: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: dico enim vobis: Non me videbitis amodò donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Ineptè Iudęorũ aliqui Amos

CLI. Amos Oraculum Iudæorum nonnulli suo ipsorum scelere obcæcati præposteris explanationibus corrũpere

pere summoperè elaborant, quæ tamen frigidæ sunt, nulliusq; ponderis. Ergo quidam venundationem iusti, inquiunt, de qua apud Oraculum, Iosephi fuisse. Quod ipsa, vt vulgus loquitur, Sacræ Scripturæ Littera omninò redarguit: huiusmodi enim scelus primum est; quod verò Deum impulit sui populi curam deponere, quartum extitit. Imo Iosephum à fratribus venum ire haud tantæ molis æstimandũ est crimen, vt illius contemplatione acerbè adeò desæuiret Deus in eius familiæ posteros, nullo temporis termino animaduersioni præstituto, vti post Seruatoris mortem in Iudæos inuectum est Numen: nullo itaq; pacto de scelere in Iosephum commisso expediri valet vaticinatio. — Vaticiniũ interpretantur.

CLII. Alij huius sententiæ sunt; nimirùm non posse hoc Vaticinium Iudaico aptari populo; Iudæi enim Christum emere; vnusq; tantùm Iudas venum dedit. Sed facilè eluditur hocce effugium; quantumuis enim Iudas præcipuum sibi locum tanto in facinore vendicauerit, Iudæi, qui hominem ad flagitium pretio inuitarunt, & pacta conduxerunt mercede, eiusdẽ fuere criminis consortes; æquè enim scelerate peccat, & qui exequitur, & qui, cum potest, nõ vetat. Quemadmodùm licet Salomon Idolo Moabo Templum non construeret, hanc tamen in illum culpam conferunt Sacræ Literæ, quia fęminæ, quarum vtebatur consuetudine, illud simulacro posuere. Quam nos rem manifestiùs docet Iosephi venditio. Cepere consilium Iosephi fratres, vtilius sibi fore, Iosephum dare venum Ismaelitis: *Melius est, vt venundetur Ismaelitis*. Quam tamen venundationem Sacri testantur Libri fuisse Madianitis cõcessam; Ab ijs quippe Ioseph postmodum venijt Putiphari: *Madianitæ vendiderunt Ioseph in Aegypto Putiphar Eunucho*. Si igitur Iosephus venijt Israelitis, qui dicitur Madianitis iuisse venum? Si alteri eam Iosepho iniuriam intulere, quo vtriq; pacto eius alligantur sceleris? quia Ismaelitæ, qui Madianitas commitabantur, non iuere scelestis obuiã sceleris immanitatem contuentes. Quod si, & fur, & consentiens eodem criminis implicantur commercio; eandem sceleris improbitatem tum Madianitæ, tum Ismaelitæ incurrerunt. — Infringitur Iudæorum argumentum. — 3. Reg. 11. — Genes. 37.

Alia Iudæorum sententia de iusti venũdatione refellitur.

CLIII. Alij deniq; Rabbinorum adſtruunt, Vatem hoc iuſti venundationis peccatum non contuliſſe in eos, qui Iudæ tribum incolebant, in quibus Iudæi deſignabantur, ſed in Iſraelitas, qui ab Aſſyriorum ſeruitute, in quam rapti fuerunt à Salmanazare, patriã minimè repetierunt. Ex quo nullatenus ipſi æſtimandi ſunt, quibus venierit Seruator, cũ Ieroſolymæ non commorarentur per id temporis. Quæ quidem ſententia à verò prorſus abit; Iſraelitæ enim vnà cum Iudæis manumiſſi ſunt Ieroſolymam, & in alias Iſraelis oras à ſeruitute, qua præmebantur; hanc ipſis poteſtatẽ, faciente Dario; quemadmodùm ex Nehemiæ libro apertè conſtat. Et Seruatoris Chriſti tempeſtate Monarchiæ clauum obtinente Herode Aſcalonita, cui extincto ſuffectus eſt Archelaus eiuſdem filius, etiam tùm in Paleſtinæ ſolo ſuis quæq; Tribus diſcriminabatur metis: vt planùm ex eo ſit, quod in illas decem ſint reſtitutæ Tribus.

CLIV. Si Rabbini nimia obducti caligine, Vaticinium in dubitationem adducunt, eo quòd adiunxerit Vates, Deum ſeuerè adeo ſuum in populum animaduertere, quia vẽdidit, *pro argento Iuſtum, & Pauperem pro calceamentis*; ſinceros ad Zachariam oculos intendant, qui ipſo de Domino ſermonem habens Pauperem dicit: Accuratè deinde ſecum voluant, paruo adeo pretio Chriſtum ab ipſis fuiſſe æſtimatum, vt Prophetes Dei nomine veluti per iocum edixerit: *& appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: proijce illos ad ſtatuarium decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis*: Quo me creditis pretio æſtimatum? & quàm grandi pecunia me Iſraelis filij coemerint? argenteis nummis triginta! Præclarum oppidò prẽtium! Nec temerè, ſingulari imò Dei conſilio factum eſt, vt Ioſephus, alijq; primæ notæ Authores conſignauerint literis rem, quæ Iudaico Populo euerſo funditùs contigit. Iudæos videlicẽt paruo adeo pretio æſtimari, vt illorũ triginta gemino conſtarent triobolo. Planiſſimè quidem voluit Deus fidem huiuſmodi in re, eaq; tempeſtate facere, ſuum fuiſſe conſilium, vt Scriptores fidei locupletiſſimæ literis proderent, Iudęos in ſceleris animaduerſionem, qui

Exiguum pretiũ, quo Iudæi veniebant

Redem-

Redemptorem ſuum argenteis triginta vendiderant, triginta venum iuiſſe argenteo : & commendatam fuiſſe rem poſteritati ab Scriptore nationis eiuſdem non contemnendo, vt quidèm eſt Ioſephus. Diuini enim eſt moris in flagellum vertere quod in flagitium mortales rapiunt. Quo Beniaminum Ioſephus demitteret, ſe ſe dedit in obſidem, ac ſeruum Iudas : *manebo itaq; ſeruus tuus pro puero.* Non aliter poterat eblandiri à Ioſepho, vt abeundi faceret Beniamino copiam? Diuinæ id erat æquitatis conſilium: illa Iudam in hanc ſeruitutis mentem induit: Verba conceperat Diuina Aequitas, quæ Iudas ſolummodo proferebat. Sed quid hic negotij Diuina cum iuſtitia? Nempè, vt crimen deleat Iudas, quod admiſit, cum Ioſephus Iſmaelitis in ſeruum eſt venundatus; ipſe enim fratribus venditionis fuerat author. *Melius eſt, vt venundetur Iſmaelitis. Quid hoc iuſtitiæ ordine pulchriùs? Nempè qui hic ſeruitio ſe addicit, ipſe eſt, cuius conſilio in ſeruum venundatus eſt Ioſeph*; ait ingenioſè Rupertus. Serui ferat vicem, cuius conſilium alij ſeruitutem impoſuit; ſolemne enim Dei eſt re eadem pœnas infligere, quà homines vtuntur ad ſcelera.

Solet Deus ijs homines punire, quibus peccant.

Geneſ. 44.

Rupert lib 9, cap. 9.

CLV. Verùm enimuerò quo planiùs omnibus fiat, debere exponi Vaticinium de Chriſti Seruatoris venditione, facturus videor operæ pretiũ, ſi hoc loci inſeram, quod Iudæi ijdem memorant ab Hadriano Imperatore factum anno à Chriſti nece octogeſimo : Ità nimirùm Seruatoris venundationem vlciſcente Numine. Coniecit in vincula Iudæos decem illorum quemq; tùm nobilitate, tùm literis præſtantiſſimum, ſuum deinde in conſpectum adduci iuſſos, qua de cauſa iuſtum vendidiſſent, rogauit, cùm capitis lege cautum inter illos eſſet, ne quis illorum ſuæ nationis hominem auderet venundare. Quæ illos Lex eiuſdem etiã ſupplicij alligabat, qui eiuſdem ſe criminis obſtrinxerant: ac tandem alijs, atq; alijs exceptos cruciatibus extremo iuſſit ſupplicio affici, quemadmodum ſui ipſorum Magiſtri ſubtiliter ferunt; & ad plenum Galatinus.

Hadriani Imperatoris conſilium de puniendis Iudæis.

CLVI. Rem Iudæi non eunt inficias, ſed vt veritati obtendant caliginem, ab Hadriano, inquiunt, Chriſtum haud

fuiſſe

fuisse nominatum, ac proinde fieri posse, vt Iosephum à fratribus venditum Iusti nomine intellexerit. Abs re quidèm alienum prorsus videtur, asserere, Imperatorem capitis in eos sententiam fuisse laturum ex illorum Legis præscripto, qui quando huiusmodi facinus patrarunt, nullâ adhuc Lege obstringebātur; Hanc enim illis tulit Moses annis postea ducentis. Neque etiam in illos acerbè ità consuleret Imperator ob admissum ab illorum maioribus scelus ab anno iam tùm sesquimillesimo; nec illi huiusce rei vēiret in mētem. Ex quo ad liquidum exploratum est, quam venundationem vltus est Hadrianus fuisse eandem, qua Christum IESVM Iudæi æstimarant; Cuius Discipuli Romanum Imperium suæ admiratione Sanctitudinis latè impleuerant.

Diuino cōsilio id genus supplicij Iudæi patiuntur. CLVII. Deum nescit, qui Diuinam in hoc Iudæorum supplicio Prouidentiam non agnoscit: Vna enim Dei sapientia illud in nostræ Redemptionis testem poterat adhibere. Aeternum Parentem alloquitur Dauid Christi no-

Psal. 58 mine: *Deus ostende mihi super inimicos meos, ne occidas eos: ne quando obliuiscantur populi mei, disperge illos in virtute tua, & depone eos Protector meus Domine.* Enixè Christus suo à Parente efflagitat, vt quid boni suis de inimicis sibi exhibeat; ne eos è medio tollat, vt sui cultores nullo vnquam tempore obruantur obliuione: dicantq; se non singularibus adeò beneficijs à Deo fuisse deuinctos; qualia profectò sunt, Deum fieri hominem, & in hominum gratiā parere morti. Ea propter Deo sedit, superstites fuisse Iudæos, & totum in Orbem diffundi, quò sacris ex voluminibus, quę secum afferunt, & eadem sunt, quibus vtimur, cognosceremus castissimam Orthodoxæ Fidei Veritatem: Deinde ex supplicio, ac Dei alienatione edisceremus Diuinā æquitatem, maioresq; agerentur à nobis radices in Fide, cui cęlesti beneficio nomen dedimus.

Genes. 4. CLVIII. Mortem Caimo non irrogauit Deus, & suum conseruauit Populum, vt vbiq; gentium profugus, incertusq; sedis vagaretur; Viuere Caimo, supplicium fuit, Iudæi damnantur exilio; quanquam enim illorum scelus omnibus

nibus sit nominibus immanius, superesse tamen voluit Numen, quo esset in propatulo crimen, cui se in Seruatoris morte addixerant, Cœlum in vindictam de Iudæis sumendam lacessens; quippè si Abelis sanguis suas ad Cœlum voces intendit è terra, Christi è Cœlo cruor clamorem in terras contendit suum. Fratricidij causa maledixit Caimo Deus: *Maledictus eris super terram*. Destitutus à Deo est Populus Deicidij ergo: *Non populus meus, & ego non ero vester Deus*. Verùm quis roget; si populi Iudaici scelus Caimi flagitium tot relinquit spatijs, quid seueriùs plectitur Caimus? *Maledictus eris super terram*. Non acerbiores maledictioni pœnas Caimus dedit, quàm quas à Iudęis Numinis alienatio expetit: illa enim cęlesti deijcit patrocinio; hæc etiam Deum prorsus auertit à Populo: *Et ego non ero vester Deus*. Ose. 3.

CLIX. Tria Sacris in Literis prolusere huic mysterio. Primum duo Izaaci filij prodidere, namq; Iacob minor natu Ezau præripuit benedictionem, quam licèt natu maior haud merebatur. Alterum expressere Patriarchæ Iacob benedictiones, quas Manasseo, & Ephraimo impertiuit; cũ enim Manasses Ephraimo præiret ortu, illum tamen Iacob dexteræ benedictione afficere prorsus abnuit, eamq; Ephraimo minori è liberis detulit; non vano immutatæ augurio sunt: Manasses quippè Israeliticam gentem adumbrabat, quæ primò nata iure beneficiario Diuina sibi promissa adscribebat: Ephraim verò natu minimus Ethnicę nationis typum preferebat, quæ procul amota, & aliena, optata à Numine fuit, vt promissa adiret beneficia. Tertium nobile Gedeonis vellus præfigurauit: cœlesti fuit roratum aspergine, solo nimia circunquaq; siti laborante: Sed postmodum exsiccato vellere emaduit humus: quod sanè in Seruatoris aduentu impletùm est, cùm cœlestis veluti ros in castissimum Virginis vterum se se effudit; indeq; enascés populum adiuit suum, quo familiarissimè est vsus, ac cœlestis disciplinæ adspersit rore, cæteris terrarum nationibus neglectis, atq; inanium Deorum cultui obnoxijs: Vbi verò cœlestem conscendit Patriam, largissimè inde pluens gra-

Iudaici, et Ethnici populi veteres typi.

tiæ flumina, ac Diuinum in terras Spiritum emittens, totum, quantus est, Orbem huius salubris admodùm pluuiæ fecit compotem; Iudæa solummodò maiori ex parte suæ perfidiæ siccitudine oppidò laborante.

CLX. Id ipsum innuit Moses in hæc verba: *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Iudæos, inquit Numen, concoquere nullatenus valeo, debitos enim mihi Religionis honores ad commentitios Deos conuertère: Paria illis ego reponam: Initiabo Populum familiaritate mea, populum, inquam ignobilem, & sine nomine, & æternæ felicitatis iura concedam genti, quæ Iudæorum iudicio gentis nomine indigna creditur. Comprobatur Oseæ Oraculo: *& erit in loco, vbi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filij Dei viuentis.* Quam vaticinationem de Ethnicorum delectu explanarunt Apostoli; quos quidèm Ethnicos alienos à Dei populo æstimabant Iudæi; postea verò adscripti sunt in eorum numerum, quibus spiritalia adoptionis iura concessit Deus.

Deut. 32.

Deus pessimè nūc odit Mosaicæ Legis obseruantiā.

CLXI. Postremò supplicium huiusce nationis, ac exilium sceleri mirè consentiunt, quò Numinis iram lacessiuit tùm perfidia, tùm Legis obseruatione. Si enim Deum haud læderent, Mosaicæ Legi obtemperantes, non se pro clemētia sat gereret, si tot precibus non subscriberet aliquando, cum populus is esset Deo in delicijs, apud quem beneficia maxima collocarat, cum latam ab ipso Legem adhuc colat, & nullis Idolis genu submittat, quod præcipuâ illis curâ interdixerat Numen; omnibus deinde circumuentus necessitudinibus, Diuinam continenter opem imploret; non inquàm pro clementia sat gereret Deus, si tot elapsis seculis non veniret suppetias Populo, cui fidem obstrinxerat, præsto semper futurum sese, vbi esset loco deterrimo comprehensus. Enimuerò supplicij diuturnitas indicat manifestè, quantùm aduersus illos creauerit in Deo odij sua ipsorum obfirmitudo, atq; perfidia: Et quantum Dei oculis tædium pariat huiusce legis obseruatio post Christi vindicis mortem,

tem, quæ extremam Legi diem attulit.

CLXII. Capitis huius calcem, haud ingratũ credo, facturum me esse, si concludã testimonio, quod Paulus Burgensis, ac Galatinus describunt ex maiorum gentium Rabbino, & præstantissimæ Iudæos inter notæ; Rabbi Moses Aegyptius is fuit: ergo hic cùm de Seruatore Christo ageret, damnatum, ait, fuisse capite à Synedrio, magna hæc erat iudicij domus; nititur deinde, vt erat plenus noctis, facere palam, Christum non verum Orbis Liberatorem extitisse; vt rei faciat fidem, illum, inquit, fuisse in causa vt ferro, ignique Iudaicus populus fuerit depopulatus. Ingentem haud dubiè caliginem! Fatetur Rabbinus Moses Messiam se totum Israeliticæ gentis addicturum saluti, additq; Christum Iudaici populi euersioni fomitem admouisse. Bene est: me modò accipiat. Vel Christum Synagoga excepit, & coluit vt destinatum sibi Assertorem; vel repudiauit, & egit in Crucem? Primum quàm aliter præstiterit, est in conspicuo; alterum verissimè habet; Nihil enim frequentiùs omnium sermonibus vsurpatur. Itaque si se hoc obstrinxit crimine, & celeri postmodum cursu secuta est pęna flagitium; quid locupletioribus opus est testibus, vt Christum verum mortalium libertatis vindicem iudicet Synagoga; quandoquidem vnius, & alterius Testamenti Vaticinia ex præscripto euentum obtinuere: *Peccatum peccauit Ierusalẽ: propterea instabilis facta est: omnes qui glorificabant eam, spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius.* Hæc & alia nobis Vetus suppeditat Testimonium: & Nouum: *Filiæ Ierusalem* (agnosce Redemptorem) *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt; & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos: & collibus: operite nos.*

Rabbi Moses Aegyptius.

Thr. 1.

Luc. 23.

CAPVT DECIMVM.

Messiæ Diuinitas cælesti Testamenti vtriusq; Harmonia ostenditur.

ChristiDiuinitatem Iudęi abnegant.

CLXIII. RECentiores Rabbini Messiæ Diuinitatem præfractè abrogant; Nihilq; maius homine autumant habiturum, quia Mundi Redemptionē ciuilem, ac temporariam futuram credunt, *nescientes scripturas, neq; virtutem Dei.* Si enim accuratè Sacros versarent Libros, mille passim occurrerent Diuina Oracula, quibus recipit Deus ipse, Messiam non alium à Deo futurum: imò vetustissimis in explanationibus quamplurimos Rabbinorum offenderent maxima authoritate Viros, qui Christi ante aduentum ætatem egere; ij Messiæ Diuinitatem sunt assequuti, credidere, disertisq; verbis eorum temporū æquales homines edocuerunt, ac mandarunt literis.

Testatur Iobus Sanctissimus Christi Diuinitatem.

CLXIV. Diuina Testamenti vtriusq; synoris rem oculis mirificè exponit. Et sumpto Sacris è Vatibus initio, ducat agmen inuictæ patientiæ Vir Iobus Sanctissimus; qui verba facturus penitissimo de mysterio, vt videlicet sibi mortalitatem Deus erat cōiuncturus, quò homines, & sceleri, & inferis obnoxios restitueret in libertatem, effatur in

Iob. 19.

hunc modum: *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quē visurus sum ego ipse, & nō alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Huiusmodi expositioni, quæ anno amplius sesquimillesimo ante Christi aduentum edita fuit, respondent musicè Chaldaica, & Græca editio. Nodo caret hic locus. Secundas obtinet Regius Psaltes, qui secundum Psalmum totum Christo dicat; in quo hæc inter alia de Redemptore: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te.* In quo planè Oraculo Docet Deus, Orbis Liberatorem, quo de agit, suum ipsum filium esse futurum, quem ab ipsa æternitate, (eam designat aduerbium *Hodie*) progenuerat:

Ostenditur ChristiDiuinitas ex DauidisOraculo.

Psal. 2.

qui

quì quidèm locus cõmuni omnium Doctorum siue Christianorum, siue Hebræorum sententia, eo, quem diximus, sensu exceptus fuit. Vnus tantummodò è recentioribus abnuit ab omnibus; præfractè enim, & dedita opera Dauidi aptauit Oraculum.

CLXV. Tertium nobis testimonium Regius idem Vates impertitur, qui in Psalmo quadragesimo quarto non nisi Messiam loquitur; & ad Catholicam Ecclesiam sermonem conuertẽs, *audi filia*, inquit, *& vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum*. Quartum eodem è Psalmo eruitur: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*. Mundi vindicem alloquitur. Quintum è Psalmo centesimo nono: qui etiam totus de Christo: *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis*: vbi prior Dominus Parentis Aeterni personam refert: in altero Filij persona exprimitur, quem suum Vates Dominũ nuncupat; ab ipso quippè genus erat ducturus. Fusiùs locũ expendimus initio huius operis, quo Christi insistentes vestigia, Iudæos profligauimus. Sextum ex eodem Psalmo. *Ex vtero ante Luciferum genui te*. Hæc Aeternus Genitor ad Messiam; quem, vt ostenderet verè Filium, & contrita iã voce, Naturalem, *ex vtero*, inquit, *ante lucem genui te*: vbi ex Parentis visceribus pronatus Filius eandem naturã sortiri manifestè prodit; & quod ante lucem, hoc est, ante Orbem conditum genitus fuerit, æternitatem Parentis adæquare demonstrat.

Ostenditur ex eiusdem oraculis.

Psal. 44.

Psal. 109.

CLXVI. Septimum testimonium adhibet Isaias capite septimo: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, cuius est notio: *Nobiscum Deus*, Humanitatis enim interuẽtu nobis Deus familiariùs adesse cępit, coalescente nimirùm media vnione hypostatica, homine, Deoq; ad Hypostasin eandem: hoc est, natura Diuina, humanaq; in Verbi Hypostasi familiarissimè coniunctis: vt verè Deum hominem, & contrà, hominem affirmes Deum. Octauum ex eodem Vate deducitur: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius Imperium super humerum*

Isai. 7.

Ostenditur ex Isaia;

merum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, Deus fortis. Abundè erat istiusmodi Oraculum, vt omnes dubitationis Reliquias labefactaret. Vnum præcipuè admonet Isaias, quod Christi Diuinitatem prorsus absolueret; Christum, inquit, Imperij molem suis portaturum humeris: *Cuius Imperium super humerum eius.* Nō à nobis alendum, ait; suis imò, nos humeris subiturum, inquit. Quod nam maius Diuinitatis indicium? Ad hominem arguo contra Iudæos. Patrato prodigio, quo multa hominum millia, vt refert Ioannes, quinque tantum panibus refecit: Ingens illa hominum vis animum inducit, Christum humanum fastigium excedere; erupit protinùs in ea verba, quæ Nicolai Lyræ iudicio Christo Diuinitatem adscribebant: *Illi ergo homines cùm vidissent, quod IESVS fecerat signum dicebant; Hic est verè Propheta, qui venturus est in Mundum.* Hactenus turbæ: Modo Lyra, *quasi dicerent,* Lyranus inquit, *quod Christus fuerit promissus in Lege tanquam Propheta cæteris excellentior, vt habetur capite Deuteronomij Duodeuigesimo, & sic confitebantur eum esse verum Christum.* Verè Christum esse fatebantur Prophetam omnium maximum, Regem, ac Dominum è Cœlo lapsum: *vt facerent eum Regem.* Qui tamen verè Christus haud valet esse, nisi duplici cōstet natura; altera Diuina; humana altera. Nomen quippè *Christus* duplicem naturam ad eandem hypostasin coeūtes designat. Quid igitur ex hoc prodigio cognoscunt turbæ. Christum Regem esse diuinitùs è Cœlo missum? præclarè alia gessit Christus; quæ Iudæi conuitijs excepere, & Christum Legis contemptorem dixerunt: quid igitur rei est, vt satius Christi arguant Diuinitatē ex hoc, quàm alijs ex prodigijs? Nempè attulit lucem Christi ingenium. Patrantem homines videre prodigia: *Viso miraculo,* non victum vt sibi compararet, sed vt illorum fami esset auxilio; rebus nostro labore partis non ipsum vti, imò nostris præsto esse incommodis sua operà; Hæc verò, qui præstat; non tantum Regē, sed Regem Deum iure dixeris: Non qui Christi honorem falsò inuolarit, sed qui verè Deus sit. Singularis Dei Character hic est; quo carent mundani Reges: hi quippè nihil no-

Illud est Diuinitatis argumētum, Imperiū, id est, clientes humeris sustinere.

Ioan. 6.

nostram curant vtilitatem, suis tantùm seruiunt commodis, nostroq; ex labore victum quærunt; Deus contrà, nos alit, quin opis aliquid à nobis exigat, vel enim victu laborantibus opitulatur, quo periculo defungantur, vel, nè incidant, manutenet.

CLXVII. Quò Christi Diuinitatem assequeretur, machinas admouit Cacodæmon: in irritum cecidit prima petitio: In altera consuluit Christo, vt se è Templi pinnis daret præcipitem; Tantæ enim curæ Angelis erat, vt deuolarent oppidò opem cadenti allaturi, ne vel discriminis vmbram adiret. *Vt in manibus tollant te.* Egregia vsus calliditate Dæmon. Si Christus se in præceps iaceret, vt Angelorum manibus teneretur, argumento erat ineluctabili Dei non esse filium, quem votis omnibus Orbis expetebat: Si verò damnaret ipsius consilium, vt profectò damnauit, tùm temporis non hominem modo, sed Deum etiam haud immeritò æstimaret; quemadmodùm reapse contigit, cum illum intentis apprimè vocibus Dei vnigenam salutauit: *IESV Fili Dei Altissimi.* Sed quid ad rem istiusmodi argumentatio? Plurimum rei certè habet. Neque enim sustinetur Deus, imò sustinet: non à nobis fulcitur; nos ipse excipit ruituros; non nostra retinetur ope; manum admouet suam, qua cadentes sustentet; quid igitur Angelicis vteretur manibus apud Matthæũ, qui Diuinos subijcit humeros apud Isaiam; apertissimum Diuinitatis indicium extulit, qui clementer adeò, vt se se oculis insinuat, nos tenet, ac sustinet, vel lapsis appellens dexteram, quò ruina possimus emergere; vel nobis pro fulcro assistens, nè fallente vestigio affligamur ad terram; & quo indies euehi valeamus. *Cuius Imperium super humerum eius.*

CLXVIII. Tanti ponderis argumentum hoc est ad Diuinitatem asserendam, vt illo nixus fuerit Moses; cùm Iudaici populi perfidiam asperè insimulauit; qui Deum debita Religione prosequi recusabat: & postquam illius infidelitatem alijs, atq; alijs argumentis perstrinxit, hæc addidit: *In solitudine (ipse vidisti) portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum, nec sic* (Deum cõmẽdat Moses ex hoc imperij genere.) (Deut. 1.)

qui-

quidèm credidisti . Ah populorum infidelissimè ! ah obfirmatissimè ! qui cum Deo vterere profulcro, teq; suis familiarissimè manibus exciperet, nec tot beneficijs lacessitus ipsi, vt æquum erat, habuisti fidem: ex beneficio, quo à Numine sustinemur, quàm illi debemus fidem, arguit Moses: quò doceret Iudæos quàm tenerentur, in Dei fidem inducere se se, quonam illos Deus pacto sustinuisset, ipsorum in mentem reuocauit: Non, inquit, Deum confugisse hominum ad suppetias; sed illis fuisse pro fulcimento; non illi nos quietem, sed tranquillitatem nobis ipsum comparare: quippè qui Rex ; *Dominus Deus* : quippè qui Parens : *vt solet homo gestare filium* . At verò clientum commodò studere, illorum quietem sua emere lassitudine, labori nõ parcere, vt nobis parcat; has implebit partes Princeps is, quem Diuinitas planè commendet: *Dominus Deus tuus* . Eam ob rem, & Isaias, & Moses, quo suaderent Iudæis veram Messiæ Diuinitatem, non nostris, inquiunt, in laboribus acquiescere, sed quò nos illorum leuaret onere, in se se strenuè admodum recepisse: *Cuius Imperium super humerum*
Id vnũ laborat Christus, nè laboremus. *eius* . Nihil enim Seruatoris Diuinitatem æquè patefacit, quamquod ipse sui laboris præmium tranquillitatem nostram petat: atq; id vnum laborat, ne laboremus: non suæ in nobis quietis sedem, sed nostræ collocat in se se: Se, fatetur Ioannes, Christi pectore vsum pro ceruicali: *qui & recubuit supra pectus Domini* . Præpostero rem iuisse ordi- Ioan. 21.
ne forsan quis credat: de more enim principum est, purpuratorum pectori, atq; humeris niti; non vero obire id muneris illos aduersus. Quid igitur in præsens secus res est? Multum nēpè Princeps discrepat à Principe, id est, à Christo Principes alij . Hi nostris è laboribus suam decerpunt tranquillitatem, Christus, vtpotè qui Deus, nostram in se quietem effingit: Igitur cum alteri fuerit quiescendum, vel in Ioanne Christo, vel in Christo Ioanni; excepit Christus Ioannem sinu, vt quiesceret: in quo sanè Dei, atq; hominis naturam haud obscurè demonstrauit: siquidèm obfirmato ad patientiam animo totam laborum molem sustinere, vt nos quietis omnimodæ compotes faciat; Diuinam id spectat beneficentiam.

Quod

CLXIX. Quod Christi Diuinam naturam non ineptè etiam comprobat, ex eodem Vaticinio: *Filius datus est nobis*. Illud quidèm, *nobis*, est, natum ad Imperium esse: *Cuius Imperium super humerum eius*. Et non sibi, sed nobis nasci? Regnandi inire prouinciam, totumq; regnandi laborem non suis, sed nostris commodis nuncupare, magnæ adeò molis res est, vt Seruatoris Diuinitatem prorsus absoluat; qui enim homines Regnorum clauis assident, suæ tantùm causæ seruiunt, remq; agunt suam, nostræ obliti. Propheres Micheas cùm Assertorē Regem, ac sui Populi Principem futurum prædiceret, effatus est in hunc modum: *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*. Ex te, O Bethlehem, inquit Vates, meis totus addictus commodis enascetur; qui Regios Israelis fasces, atq; trabeam obtinebit. Vide, quæso Vates Sanctissime; quid verborum feceris! Si Regis, si Domini munere est functurus, quid tibi Regem aget? non sibi? Omnia alia mundi Dynastæ, præter hoc, agere norunt; quanto sui nocumento rem Orbis assiduè experitur. Vna Regum mentes titillat Regnandi ambitio: Suo student honori; alienæ immemores vtilitatis; omnem mentem, ac cogitationem ad conciliandam Maiestatē adijciunt, & nulli habent curæ clientum causam: Si solemne hoc malum tenent Principes, qui totus ab illis abnuet Messias? opportunissimè Micheas: *Et egressus eius ab initio; à diebus æternitatis*. Causam habes. Qui, inquit Micheas, Regia dignitate insignis transmittet in terras: (vti quidèm transmisit) ab ipsa æternitate exoritur: quasi diceret: æternus est, vtpotè qui Deus: Deus quidèm, & homo; vt homo temporum obnoxius decursui Matrem nactus caruit Patre; vt Deus ipsi coæuus æternitati Patre natus nesciuit Matrem: At verò Rex, qui vnà Deus est, non tritam insistet Regnandi viam: noua docebit Reges imperandi documenta: sibi alij, inquit Prophetes, regnant Principes; hic nobis: illi vnam adspirant suæ dignitatis præstantiam; hic nostræ satagit felicitatis incrementi. Paucis deniq; rem absoluamus: quæ homines Regna tractant, tota Regibus seruiūt Regna;

Regnare alijs, nō sibi, Diuinitatis est argumētum.

Mich. 5.

quæ verò obtinet Deus, Regnorũ totus Rex eſt: *Egredietur mihi Dominator*, quàm pulchrè hoc Iſaiæ Oraculo congruit: *Datus eſt nobis*. Vt tanti Regis, ac Principis Diuinitatem Iudæis commendarent, & Orbi; omnium nuncupatum vtilitatibus, Regni ſtudentem commodis depinxere: Deum eſſe, qui eo cõſilio Imperij faſtigium tenuit, manifeſtè probarunt, Regnum amauit nobis; non ſibi: *datus eſt nobis*, *Egredietur mihi*. Prædictis hiſce Oraculis alijſq; quorum Sacri Veteris teſtimonij Libri feraces apprimè ſunt; humanæ libertatis Author, ac Parens Prophetarum Vaticinijs terris deuotus præſtituto aduenit tempore; & miraculorum infinita multitudine ſe probauit Orbi, eundemq, quem receperat Lex, ſe eſſe minimè obſcurè prodidit.

Septẽ Noui Teſtamẽti enumerantur teſtimonia, quæ Chriſti Diuinitatem oſtẽdant.

CLXX. Quæ inter veterem, nouamq; Paginam Harmonia intercedit, iſtiuſmodi veritatem edocet apertiſſimè. Septem præcipuè dabo teſtimonia, omnia enim, prius me Sol deficiet, quàm enumerem. Ducat aciem Angelus ad Virginem functus legatione; cùm Dei de induenda humanitate conſilium aperuit: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* (Luc. 1.) Secundùm adhibuit teſtimonium Meſſiæ Prodromus Sanctiſſimus Baptiſta: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* (Ioan. 1.) Tertium Seruator ipſe: *Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor: & ſicut Pater ſuſcitat mortuos, ſic & filius, quos vult, viuificat.* (Ioan. 5.) Quartum Apoſtoli: *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia, & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc IESVM, quem vos crucifixiſtis.* (Act. 2.) Quintum Iudæi ipſi, quibus victum impertiuerat diuinitùs in deſerto: *illi ergo homines, cum vidiſſent, quod IESVS fecerat ſignum, dicebant: quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in Mundum*: quemadmodùm ſupra memorauimus. Sextum Samaritani Ethnici, vbi Chriſti diſciplinam accepere, illiuſq; Prodigia: *Ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator Mundi.* (Ioan. 4.) Septimum Res geſtæ, quas hominum commodo, atq; beneficio dicauit Chriſtus: *Rabbi ſcimus* (verba ſunt Nicodemi Iudæorum Principis) *quia à Deo veniſti Magiſter; nemo enim* (Ioan. 3.)

poteſt

potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cùm eo. Quis ergo vsquam est, qui ausit in dubitationem adducere, quæ affirmant Angeli; quæ Prophetæ aperiunt, quæ adstruit Numen? O Prædicandam cæcitatem! Et scelus ineluctabile!

CLXXI. Verùm vt appareat manifestiùs nullum posse Iudæos, qui Seruatoris Diuinitatem pernegant, suo nomen sceleri prætexere: Optimi cuiusq; inter ipsos Magistri vtemur suppetijs: atq; ex illorum sententijs construemus argumenta. Sed tria præmonemus, quæ probauimus supra. Primum Præmoneo, Redēptionē, quam mortaliū nationi sua adductus clementia Deus erat comparaturus, futuram spiritalē, & sempiternā; non verò ciuilem, ac temporariā, vti iam suprà demonstratum est. Alterum, Deum suam habuisse in Concilio sapientiam, quo tāti momenti rem ità institueret, vt Diuinæ iustitiæ pro hominū nominibus fieret ex asse satis; quod non ex sententia accidisset, ni Deus ipse humanā indutus naturam suo hominūm crimina capitè excipiens efflaret in Cruce animū. Tertiū; Deū, cū magnam hanc decreuerit expeditionem, ab Vnigenito suo impletā amauisse tempestate opportuniori; quo quidèm nos edocuit, destinatum nostræ libertati Assertorem Deum, & hominem futurum; quo vt homo, & mori posset, & mereri; vt Deus infinitam meritis dignitatem præstaret; posletq; nostra ex asse nomina Deo explicare. Ostēditur Christi Diuinitas ex Rabbinorū Doctrina.

CLXXII. Quibus ità constitutis, facilè erit intelligere, Diuinam Personam, quæ hoc mortalibus contulit beneficiū, Aeternū fuisse Verbū, Aeterni Genitoris Filiū, qui humanā naturā Diuinæ erat hypostasi annexurus, vt quidèm præstitit, quin vllo vnquam tempore vtranq; exueret; & licèt mortē erat oppetiturus, morteq; humana in ipso vita desideraretur, dùm deuicto mortis horrore nō reuiuisceret; Diuinitas nihilo secius vtriq; continenter adesset, & dissitas hominis partes, corpus videlicet, & animū indesinēter foueret. Diuinæ lucis afflatus radijs Moses, Iosue, cæterosq; quos tantæ credidit rei opportunos, disciplinam edocuit; atq; ità suos in discipulos (quos Prophetarum filios appel-

lant Sacrę Litterę) per Prophetas transfusa in Dei Populū emanauit. Ex qua septuaginta interpretū Editio, Chaldaicaq; Paraphrasis initium præcipuè duxerunt, vtraq; Christū ante edita. Inde etiam magni Rabbi Hachadoz disciplina Seruatoris aduentu longè superior, aliæq; illorum temporū æquales; quas Talmud amplectitur, emicuere: quarum tamen intellectus egregiè fallit Iudæos: quibus, vt aspergamus ruborem, ex ipsis Rabbinorum sententijs duplicem Christi naturam inuestigabimus demonstrandam; Indeq; non sola hominis natura constaturum, quemadmodùm Iudæorum Recentiores obfirmatè contendunt.

Ostenditur ex Paraphrasi Chaldaica.

CLXXIII. Primum itaq; ordinem ineat Chaldaica Paraphrasis, vtpotè magnæ inter Hebræos præstantiæ; hæc ad Psalmū quadragesimū quartū, Tuum, inquit, solium, Deus, quod cęlesti aulæ affixisti, ipsa cùm æternitate contendet, & Regium Imperij tui sceptrum omnibus fortitudine præit; Tuq; Messias Rex, quia vni sanctimoniæ insignem operam impendisti, & totus in sceleris odio fuisti, ea de causa vberiori lætitiæ oleo inunxit te Deus, quàm cęteros, quibus familiariter assueueras. Quis hacce in explanatione, modo non exciderit de mentis potestate, Redemptoris Diuinitatē non agnoscat? Cùm illum disertis planè verbis Deum appellet Vates; cuius solium in Cœlo collocat, & recipit diuturnitatem: Quis Deum esse, & hominem ibit inficias, quē Vates prædicit inungendum lætitiæ oleo, qua hominem? in quem ingentia gratiæ flumina tanquam in Oceanum à Diuinitate effunderentur; quæ in res creatas erant impertienda, quin ipse aliquid caperet detrimenti.

Rabbi Hachadoz de Christi Diuinitate iudicium.

CLXXIV. Alterum subeat locum Rabbi Hachadoz, qui suo in libro, quem secretorū indicem inscripsit ad nonum Isaiæ caput hæc inquit: Quemadmodūm litera, H, in Hebraicis elementis ex duplici coalescit, ex D. nimirum, & V. ità Messias ex naturis Diuina, & humana constituitur. Et veluti duæ H.H. duæ sunt D.D. ex quibus duplex V.V. gemini tanquam liberi enascuntur, ità in Christi persona generatio duplex reperitur, altera Diuinitatis, qua Dei est Filius: Humanitatis altera, quà Prophetissę natus erit; iuxta

Isaiæ

Iſaiæ Oraculum, quod Diuini Spiritus nomine edidit: *Acceſſit ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit Filium*. Deinde vt ex characteribus D. & V. ex quibus H. conſtruitur apud Hebræos, alter ab altero diſcrepat, diuerſiq; inter ſe ſunt; haud ſecus in Chriſto Diuinitas ab humanitate ſeiungitur; & contrà; Vtrumq; autem Diuinitas videlicet, & Humanitas Meſſiæ Perſonam conſtituunt. *Iſai. 8.*

CLXXV. Tertium: Galatinus ex libro Sanhedrim inſcripto, capite Helech expoſitionem decerpſit ad illa Iſaiæ verba: *Et erit in die illa, in obliuione eris, ò Tyre, ſeptuaginta annis, ſicut dies Regis vnius*. Quis nam ſit Rex iſte vnitus? Rogat. Gloſſa Meſſias, inquit, hic eſt. At Rabbi, Hic, ait, duplici coaleſcit ex natura, generationeq; triplici, ſeu ſubſtantia; vt eſt in Pſalmographi Oraculis: *& permanebit cum Sole, & ante Lunam in generatione, & generationem*. Vbi Rabbi Salomon, Meſſiæ, de quo literis conſignatum, ante Solem filius, ſiue genitus inditum eſt illi nomen, timori eris haud modico Iſraelitis: & ante Lunam; hoc eſt, priuſquàm Dauidis domus Regni faſtigium obtineat: quemadmodùm cecinit Dauid idem; *tanquam Luna æternum conſtabilietur*. Hancce expoſitionem è Talmudiſtico volumine deſcriptã teſtatur Galatinus: eamq; adſcribit, magno Rabbino Hachadoz, quem antonomaſticos Magiſtrum dixere. Ergo ſi Iudæi ipſius ſcripta, & ſeruant, & venerantur Religioſè, quid ad eundem ſæpius (quod aiunt) Lapidem? quid ſuam etiãnum amant noctem? qua de cauſa Chriſto Redẽptoris honorem adhuc inuident? Cum de Chriſto Rabbinus hic apertè admodum ſermonem exequatur; & nimium muſicè conſentiat Euangeliſtis. Eadem inſtat veſtigia Chaldaica Paraphraſis; ſeptuaginta Interpretum editio; Rabbi Moſes Haſardan, alijq; multarum imaginum Rabbini. Qui Meſſiæ Diuinitatem diſertiſſimis verbis prædicarunt; & morte pro ſalute mortalium conficiendum prædixere. Nequeunt igitur ſuæ caliginis crimen auertere à ſe Iudæi; erratumq; eleuare neutiquam poterunt; Angeli quippè, Prophetæ, Euangeliſtæ, ſuiq; ipſorũ Rabbini id refellunt non mediocriter; quo enim nomine cauſandus eſt error, quem teſtes locupletes adeò damnant? *Iſai. 23.* *Pſal. 71.* *Pſal. 88.*

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

Ostenditur Messiæ Diuinitas ex Theologico cùm Sacrarum Literarum Veritate concentu.

CLXXVI. DVo è Sacris Litteris nobis liquidò comperta sunt, Christum scilicet Vnigenam Dei esse Filium, ac verè Messiam. Vt tamen peruicax Iudęorum error, qui Diuinitatem Messiæ, ac Seruatoris Mortalium pernegat, detur funditùs pessum; tres dabit hoc caput Conclusiones certas adeò, vt quæ maximè; iuxta cœlestem Testamenti vtriusq; harmoniam, iuxta Theologorum asserta; iuxta Rabbinorum præstanti inter Iudæos nota disciplinam. Prima igitur concludit in Deo Verbum, & Dei Verbum, Deum esse. Altera, humanæ salutis Parentem Dei Verbum, illiusq; Filium Vnigenitum esse demonstrat. Tertia, Dei nomen Deum eundem esse, ipsiusq; virtutem, Deiq; nomine Messiam exprimi patefacit. Primodum omnium quemadmodùm tria in quouis homine verbi genera repeṙiuntur; primum est, quod chartæ mandatur; alterum, quod profertur; quæ quidē legitimè voces dicuntur, siue ea scribantur, siue proferantur. Tertium mentis est verbum, quod sibi hoc nominis digniùs vendicat; ità etiam in Deo reperitur Verbum. Primum Prophetarum libri (ea sunt Sacra Volumina) scriptum continent. Alterum Sanctitudine, ac
Ierem. 1. scientia eximij Viri produ̅t; de quo apud Ieremiā: *Ecce dedi verba mea in ore tuo*: Et hæc quidèm verba, voces potiori dixeris iure: vt supra significatum est. Tertium deniq; illud est, quod suo in sinu Aeternus Parens amplectitur, & è se ipso progenerat Anarchus ipse. Hoc verbum Psalmogra-
Psalm. 31. phus loquitur. *Rectum est Verbum Domini, & omnia opera eius in fide: Verbo Domini Cœli firmati sunt.*

Deus ōnia fecit per D. Verbum. CLXXVII Hoc itaq; Verbum, quod iam inde ab ipsa Aeternitate è se ipso Deus progenuit, continenterq; gignit,
Psalm. 2. quod indicat Vates Regius: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Hoc planè Filio, siue Verbo ingentem hanc Vniuersita-

sita-

ſitatis molem à primis Deus excitauit fundamentis: effinxit elementa; & quæ ex ipſis compoſuit: Aethereos duxit campos, quos prædiuiti aſtrorum ſuppellectili diſtinxit. Principium Verbum hoc eſt, à quo Moſes primæ rerũ molitionis ſcribendæ initium ſumens ſuæ facit operæ pretium. *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Quod autem hoc de Principio accipiendus ſit Moſes; non verò de temporum initijs; quod de Dei Sapientia, quàm ſemper Deus ſinu fouit, ac retinuit, conſtat ex ijs, quæ eiuſdem Sapientiæ nomine habentur in Prouerbijs: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. Ex quo palam fit idem prorſus eſſe Dei Verbum, atq; Sapientiam, qua Orbẽ condidit, ac ipſius viarum principem fontem; varijs licèt nominibus explicetur; cùm Deus ſpiritus ſit, iſq; virtutis, ac præſtantiæ infinitæ, & accidentalis cõcretionis longè expers, enim verò res eſt ſimpliciſſima; Vnde in eandẽ ſententiam conuenit Prophetes, cùm Deum, inquit, Cœlos ſapientia effinxiſſe ſua; ac ſi diceret: Verbo ſuo, vel ſuo in principio, vel virtute ſua; vel ſuis manibus, vel brachio ſuo; omnia quippè hæc ad Dei Verbum, ac ſapientiã referri queunt; quà Numen vniuerſa compoſuit.

Geneſ. 1.

Prouerb. 8.

CLXXVIII. Non planè abs re erit, Iudæos hoc loci admonere de re, quam Doctores aliquot ipſos iam edocuere. Expendunt Doctores nõnulli illa Geneſeos verba: *In principio creauit Deus Cælum, & terram*: & dicendi, quàm tenuit Moſes, rationem exquirunt; Rectius, vt apparet (inquiunt) Moſes, diceret: *Creauit Deus in principio*; non verò in principio creauit Deus. Vt enim illud, *in principio*, Diuinum exprimit Verbum, ità illud, *Deus*, æternum deſignat Parentem. Et certum omninò eſt, ſancitumq; à Fide æterna in generatione Parentem Filio præcellere; Filius enim à Patre gignitur; hic verò nullatenus à Filio eſt: (non temporis prioritatem; nullus enim huic in Diuinitate locus. Originis, (vt loquuntur Theologi) prioritatem loquor; quæ de diuinarum Perſonarum dignitate non quicquam detrahit; æquam quippè illarum æternitatem patitur. Quid igitur Moſes non à Parente, ſed à Filio ſumpſit exordium? Factum

Moſes initiũ ſumpſit à D. Verbo.

Geneſ. 1.

pul-

pulchrè; ſuum etenim Moſes in ſcribendo labore Iudæis præcipuè nuncupauerat, quos erudiebat ad ſalutem; Dei verò vnigena Filius Meſſiæ erat prouinciam ſuſcepturus, ipſorum maioribus promiſſus, totq; priſcorum Vatum expetitus votis; in animo autem habuit Moſes admonere Iudaicum populum, Meſſiæ Diuinitatem adeo obuiam ſe ſe ferre; vt primo Sacrorum Librorum verbo eam vel incurioſi offendant; Prudentiſſimè itaq; Moſes Filium prætulit Parenti; nemo enim, qui filium ſciret, Parentem ignoraret.

CLXXIX. Non erit ſuperuacaneum annotare, quod vbi Pſalmographus ait: *Rectum eſt Verbum Domini*: addit
Pſal. 32. è veſtigio: *Diligit miſericordiam & iudicium*. Quò omnibus compertum fiat, Verbum, quo de agit, Rationale, eiuſdemq; cum Deo naturæ eſſe, actus enim amoris à Rationali natura enaſcatur neceſſe eſt; & ea propter Sacris in Literis Dei Verbum non ſemel audit Dei oculus; quemadmodùm apud Ezechielem: *Non miſerebitur oculus meus ſuper te*; vbi
Ezech 5. Chaldaica editio: *Non miſerebitur Verbum meum ſuper te*. Ex quò Dei Verbum vita fungi manifeſtè deducitur; actum enim miſerendi ſola vitæ compos natura valet elicere. Et in eandem ſententiam; quemadmodùm vbi Hebraicus codex Dei oculum, Chaldaicus verò Dei Verbum appellat; ità vbi illud Hebraicus os dicit, & faciem, vt Verbum eiuſdem cùm Deo naturæ eſſe fidem faciat; ità illud Verbum Chaldaicus vocitat; quippè os, facies, brachium, manus, in quorum locum ſuffecit Chaldaicus Verbum; omnia eandẽ cum perſona, quàm referunt, naturam induunt.

Dei Verbũ æquè clementiam, et iudiciũ exercet.

CLXXX. Qua tamen de cauſa, memorato ſuperiùs loco, inquit Regius Pſaltes, Dei Verbum non clementiæ modo amore teneri, ſed iudicium etiam diligere vnice? *Diligit miſericordiam, & iudicium*. Huiuſmodi verbis vſus eſt Dauid; vt Hebraicum Populum admoneret, Dei Verbum, quẽ Meſſiam Iſraeli deſtinatum receperant Oracula, etſi flecteretur clementia ad amorem, tamẽ æquitate impelli ad ſupplicium irrogandum: Reddit quidèm amabilem clementia. At formidabilem facit iuſtitia; quaſi ea eſſet Dauidis ſententia. Dei Verbum, ingratiſſima nationum, æqui obſer-

obſeruantiſſimum pertimeſce;æqui dixi obſeruantiſſimum, quia Deum noui : *Rectum eſt verbum Domini* . Qui quæ in vos conferet beneficia, ex aſſe exiget rationem : diem vobis dicet, quo die ſuum ante Tribunal tot vos de nominibus appellabit: haud aliter caue euenturum credas, ò Iudæe! quod enim,annis voluentibus fiet tibi; aliqua iam ex parte doles: iam nunc irato vteris,cui clementi aſſueſcere recuſaſti,ipſa animaduertendi integritate Diuini Verbi veritatem haud mediocriter commendante;non enim affinius eſt Diuinitati, laborantibus opitulari:*diligit miſericordiam*, quàm ſupplicium ſumere de ingratis : *& iudicium*. Bellè igitur Dauid Verbi Diuinitatem explicat, à clementię beneficio; & ab æquitate iudicij;vnius enim eſt Dei æqua illis ſupplicium lance irrogare; quibus quærendis, & curam,& amorem impendit. Ità verò caſtè æquitatem adminiſtrare, vt amoris illecebris minimè deliniatur, Dei, Diuiniq; tantummodò Verbi eſt: *Rectum eſt Verbum Domini*.

CLXXXI. Ad hæc, Dei Verbum Deum eſſe, liquidò patefiet; ſi attentè perpendatur multis Sacræ Scripturæ locis, quibus Sacri Vates Deum appellarunt magno illo nomine, quod Tetragrammaton Græci dicunt,quatuor nimirum characteribus conſignatur; illudq; rei creatæ indere nefas erat;ſi attentè,inquam,perpendatur,huius vice nominis ſcriptum à Chaldaico Verbum : quemadmodùm apud Iſaiam : *Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna*. Nomē Tetagrammaton Hebræus retinet: Chaldæus verò magni nominis loco Verbum ſuffecit: inquit itaq; *in ſuo Verbo*, vel *per ſuum Verbum*: Vt planum faceret, non alienum à Deo eſſe Dei Verbum: Deinde vbi Iſaias: *ego ſum*, inquit, *Dominus faciens omnia,extendens Cælos ſolus, ſtabiliens terram*. Chaldæus in hunc modum: *ego Dominus*, ait, *actor omnium extendi Cælos per Verbum meum* : *fundaui terram in virtute mea*. Ad illud Oſeæ Oraculum: *Abijciet eos Deus meus,quia non audierunt eum,& erunt vagi in nationibus*. Addit targum Ionathas in hunc modum : deſpicatui erunt Numini, Verbum enim ſuum merito non ſunt officio proſequuti, & in omnes Orbis plagas vagi, & errabundi diſſi-

Dei Verbo Sacræ Literæ Tetragrammatō Dei nomē attribuūt,

Iſai. 45.

Iſai. 44.

Oſe. 9.

pabuntur. Quia Dei Verbum non exceperunt, discriminis tantum adibunt? Et meritò. Dei enim Verbum Ratio est: homines verò à ratione ità alienos, vt fores obstruant rationi, quis non credat? Iure existimationis facere iacturam suæ: æquum vehementer est, vt à mortaliū nemine habeatur honore, qui Dei rationi præfractè obsistit: ex Diuino enim præscripto, ij tantum, qui frænis obtemperant rationis, honoris fiunt compotes suo merito. *Homo cum in honore esset, nō intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Regij Vatis ex adito verba sunt; cum probrum, ac dedecus, quod sceleris ergo incurrere mortales, illis obijcere niteretur; postquam hominum genus è sublimiori fastigio in abiectissimum post conditum Orbem deiectum est locum; animantibus enim rationis expertibus persimile se se reddidit: *comparatus est iumentis insipientibus.* ex stoliditate contemptum æstimat Trabeatus Psaltes? mihi ipse persuaseram, hominis despicatum egregiè Dauidem commendaturum; si exprobraret mortalibus paupertatem, quà laborant? si splendoris, si dignitatis, si magnificentiæ, quæ mortales efflictim depereunt, defectum obijceret? Si deniq; vilem ideò, & sortis infimæ hominem diceret, quia non illum dominantem Orbi, supremum omniū Principem, ab omnibus officiosè ambitum, & salutatum de genu intueretur? Ast aliam instabam à vero viam; honori enim Ratio facit pretium; & si quem destituit decus, læsisse se credat rationem. O si saperent aliquando mortales! Et, quando, & quibus honoris sit constituenda præstantia, intelligerent! Vatem Regium consulant; qui dedecus ex amentia æstimauit, vt ex mente honorem perpenderet; atq; ideò hominem, inquit, sempiternam sibi infamiæ notā inussisse, quia bellum indixit rationi. Egregium sanè mortalibus documentum! Nimirum tunc illos felicius litare honori, cum merentur sub ratione. Quid mirum igitur probris, & cauillis Iudæi petulanter excipiantur? si desciuere à ratione: Nihil sibi dignitatis fecere reliquum, quia Dei rationem fecere nihili. Illud ergo profectò est: omni Iudæos honore spoliauit Deus, quia Verbum à Deo missum

Iure nullo habetur honore, qui Dei rationi obsistit.

Psal. 48.

repu-

repudiarunt, ità illos damnauit exilio, ac dedecori: omnium ſalibus expoſuit, ac ludibrio; vt erat Oſeæ Oraculũ, de quo ſupra meminimus illius cum explanatione.

CLXXXII. Omnibus hiſce Prophetarum locis Ioannis Euangelium conſentit muſicè; æternam Diuini Verbi generationem, ac proceſſionem apertè admodum exponẽs: vt iam inde ab ipſa æternitate ab Aeterno Parente ſit progenitum; vt vnus cum ipſo Dominus, vt conditor vnus ſit; vt per ipſum res creatas in lucẽ ediderit è nihilo: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil.* Quæ igitur cepit Iudaicum Populum dementia? cũ enim hæc, quã diximus, ipſorum ſit diſciplina; ſuiſq; è præſtantioris authoritatis libris eam ediſcant, nec quicquam à noſtra diſcrepet; adeò tamen animi vitio parent, vt edicere auſint, Meſſiam Deum minimè eſſe, neq; in hæc vſq; tempora aduenisse. *Ioan 1.*

CLXXXIII. Altera deinde concluſio, Redemptorem videlicet Orbis Dei Verbum, Deiq; Vnigenitum eſſe, ex plurimis Sacrarum Literarum Oraculis mirùm quàm dilucidè pateſit: quibus planè locis Hebræus Codex Meſſiam, Chaldaicus verò Verbũ nuncupat: quemadmodùm Pſalmo centeſimo nono: *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* quem ipſi quidèm Hebræi Meſſiæ adſcribunt: qui apud Chaldaicum habet in hunc modum: *Dixit Deus Verbo ſuo.* vbi diſertis planè verbis Meſſiam Dei Verbum appellat: Idem alibi non ſemel retinet. Aliam Galatinus explanationem à Rabbinis interpretibus deſcribit; ad Pſalmi ſecundi verba: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo prædicans præceptum eius.* Gloſſa, quæ infra: *Narrata ſunt myſteria eius, ſcilicet Meſſiæ Regis in ſcriptura legis, Prophetarum, & Agiographorum; in ſcriptura legis* Exod. 4. *Filius meus progenitus Iſrael; in ſcriptura Prophetarum. Iſai.* 52. *Ecce intelliget ſeruus meus exaltabitur, & eleuabitur; in ſcriptura Agiographorum. Pſal.* 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Sacra ipſa volumina, & Rabbinorum ſententię manifeſtè admodùm teſtantur, Dominum illum, qui Dei ad dex-

Meſſias Dei eſt Verbũ, et Vnigenitus.

Pſal. 109

Pſal. 2.

teram solium erat suum constituturus, Messiæ functurum munere, Messiam deinde Dei esse Verbum, Deiq; Filium Vnigenam; vt illum non semel vocitat Chaldaica Paraphrasis.

Rex à Deo iussus aget Ecclesiasten.

CLXXXIV. Quod Dauid in eo, quem adhuc præ manibus Psalmum habemus, nos monet, *ego autem constitutus sum Rex ab eo prædicans præceptum eius*. Hæc de se Christus, interprete Dauide. Regias ego, & concionatorias partes impleo: Sed quod Regem inter, & Ecclesiasten commercium? Quid Regio solio Sacra cum exedra? aut purpureæ trabeæ concionatoria cum toga? Quid cum pileo diademati? aut Sceptro Sacri Oratoris cum motibus? Regia maiestas ad dicendum, an ad regendum Populos creata est? Vtrasq; egregiè partes sustinebit Rex; si obsecundante Numine, Regiam dignitatem obtineat: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*. Oratorem aget, & Regem; eo enim studio ad Reipublicæ administrationem appellet animum, vt cliẽtum disciplinæ, ac moribus non postremam adhibeat curã, neq; enim benè gestæ Reipublicæ merebit testimoniũ, qui ciues ad omnem pietatem non effingat; licèt Principum documenta vehementissimæ orationis vicem obtineant. Sceptrum prædicet æquitatem; charitatem Purpura; constantiam Solium; cogitationem Diadema; totus deniq; Rex Oratio sit, quia totus vox sit, non mediocriter oportet. Hæc forsitan causa Iudæos impulit, vt Regni Diadema, ac fasces vltro detulerint ad Ioannem; quippè qui totus ad dicendum cùm vox esset: *Ego vox*: ex dote altera prudenter alteram Iudæi agnouerunt: & qui totum se in vocem effinxerat, vt edoceret, hunc idoneum admodùm credidere, qui regnaret: Iccircò Regis pariter, & Ecclesiastę partes sibi Christus vendicat, quo nimirùm Principes moneat, clientum disciplinam in Regium Diadema incumbere. Verum id, quod alij præstant ex officio, suaptè natura exequitur Christus. Et hoc forsan consilio duo illa adnexuit; *ego autem*: quasi diceret: Regis, & Concionatoris, Principis, & Magistri, sustinere prouinciam mihi vni accidit speciatim: cum enim Verbum natura sim, Oratorem agere natura habeo:

Rex totus vox sit, oportet.

Hæc

Hæc de ſe Chriſtus. Sed quid de Chriſto Aeternus Genitor? *Filius meus*, inquit, *es tu. Ego hodie genui te*. Te,ais, Regio conſtitutum faſtigio Eccleſiaſtæ munus vſurpaſſe; at ego, tunc verè filium agnoſco meum,cum te audio concionantem. Sed qua de cauſa Aeternum Parentem impẽsè adeò demeritus eſt Chriſtus hoc loci,vt illi hoc dederit teſtimonium? Chriſtum nimirùm vidit, Regias inter curas ipſius honori nauiter ſtudentem, & de cœleſtibus inſtitutis edocentem mortales: *Prædicans præceptum eius*. quibus planè præceptis ad cœleſtem illos felicitatem ducit, de Fidei veritate erudiens, ac Diuinarum Legum obſeruantiâ, tutiſſima ad ſalutem via; Palamq; terris facere contendit, huiuſmodi ſtudio, ac Diuini honoris ardore,eum tantùm flagrare poſſe,qui Dei eſſet filius. Princeps enim, qui Diuini honoris ſtudium cum Imperij dignitate fœderare nouit; qui Regiam Maieſtatem alienæ ſalutis curæ adiungit; ea ſiquidèm propter omni ad clientum diſciplinam cura incumbebat; vt illis propitiaret ſalutẽ; Princeps, inquam, huiuſmodi,quem non trahit regnandi illecebra;ſed vnum capit clientum ſalutis ſtudium; quem non angit proferendi Imperij ſolicitudo,ſed propagandæ Fidei cura ſollicitat, fidem planè facit, non ſe ab hominibus creatum in Regem, ſed Diuino ſibi conſilio mandatum fuiſſe id muneris: non ſe hominem tantum, ſed Deum etiam prodit;ſi enim nobis Regem illum iuſſit Deus: ſibi etiam Filium progenuit: *genui te*. Regalem trabeam induere,ad latè,longeq; Fidem diſſeminandam, non effecta modò Religionis ſtudij, Diuinitatis etiam ſunt argumenta; non ſerui tantus eſt ardor; addictiſſimi amor eſt Filij.

CLXXXV. Quæ in nouo legimus Teſtamento hanc certè Veritatem comprobant, videlicet, Meſſiam Dei eſſe Verbum, Vnigenamq; Dei Filium; Nos etenim Euangelia manifeſtè docent, Chriſtum verum extitiſſe Meſſiam,Deiq; eſſe verè Filium. Primum edit concentum Ioannis Euangelium: *Verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*. Alterum ingenua Petri,ac Thomæ confeſſio: *Tu es Chriſtus Filius* Ioan. 1.

lius Dei viui : Dominus meus, & Deus meus. Tertium edũt Christi verba, quæ & ad Discipulos, & ad Pharisæos dedit: ad Discipulos: *Si cognouissetis me, & Patrem meum vtiq; cognouissetis, Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Quomodo tu dicis : Ostende nobis patrem? Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est. Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse fecit opera.* Ad Pharisæos: *Si Deus*, inquit, *Pater vester esset, diligeretis vtiq; me; ego enim ex eo processi, & veni, neq; enim à me ipso veni; sed ille me misit.*

Ioan. 14.

Ostenditur Messiam Dei esse Verbum.

CLXXXVI. Quod verò Messias Dei sit Verbum, quod ipse in Orbem legaret, vt Diuinæ Fidei professoribus esset auxilio, illosq; à scelerum noxijs expediret, ex plurimis Scripturæ Sacræ locis perspectum, exploratumq; est. Dauid in Psalmo vnde vigesimo : *Mittat tibi auxilium de Sancto.* Vigesimo supra centesimum, *Leuabo oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: Auxilium meum à Domino, qui fecit Cęlum, & terram.* Centesimo quadragesimo quinto : *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius: Creauit enim, vt essent omnia.* Spiritus Sanctus : *Et Sanabiles*, ait, *fecit nationes Orbis Terrarum.* Idem liquidò etiam perspicitur ex fusa admodum explanatione, quam Talmudisticus codex refert in Commentarijs Rabbi Isaaci ad Geneseos caput quadragesimum septimum. Vbi sermo de loco contexitur, qui concessus est Iacob, vbi posset etatem commodè agitare. Glossa itaque in hunc modum Dauidis innixa sententiæ: *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Maiorq; inest glossæ virtus, ijsdem enim quibus Dauid, vtitur verbis. Agit hisce in verbis Prophetes de beneficio, quod Deus apud homines collocauit in gratiæ lege; cum suum in terras Filium expediuit, qui medicum agens nostris vulneribus faceret medicinam. Nec temerè non Filium vsurpauit, sed Verbũ, quo patefaceret, quàm perleui negotio nos firmam restitueret in valetudinem; Cùm enim Diuinum sit reapse Verbum, eâ nobis præsto erit celeritate, qua creatur Verbum. Si enim desudantis artis industriâ; eximij, quo stant, pretij medicamentis molestissimis ob eam, qua adhibentur, diffi-

Psal. 19.
Et 120.
Et 145.
Psal. 106.

D. Verbũ nobis medetur celerrimè.

culta-

cultatem, lentissimis propter eam, qua medentur, moram, humani solent medici laborantibus opitulari, id exequitur Verbum naturâ ipsâ : idq; ea præstat facilitate, ac celeritate, vt abundè sit Verbum, vel nutus, quo lethales quiq, morbi è vestigio pareant imperanti abire : *Deus enim Verbum homo factus, & missus, vt homo omnis generis animarum vulnera sanauerit, & corruptas cogitationes incolumes reddiderit.* Sunt hæc Basilij ad eundem Psalmum. Rabbi Samuel Leuita Verbum, inquit, Dei esse legatum; & nobis sanitatem, ac salutem allaturum; etsi non omni, sed aliqua tantum ex parte; licèt enim suum Deus Verbum saluti omnium nuncupauerit, non tamen ab hominibus in Vniuersum fuit exceptum.

CLXXXVII. Quæ tot ante annis, quàm Christus in Orbem transmitteret, scripta legimus hisce in locis, Dominus idem, ac Seruator Israelitico Populo coram dixit: *Missus sum ad oues, quæ perierunt de domo Israel*. Et quod postmodum enucleatiùs Pharisæis exposuit: *Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui malè habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* At verò scelerum expiare sordes, vnius Dei est munus. Resipiscat igitur tandem aliquando Synagoga; agnoscat Dei Verbum induisse humanitatem; Christumq; hoc Dei Verbum esse, vnigenamq; illius Filium, ac rei humanæ vindicem; hæ quippè sunt Sacrarum Literarum voces : hæ ipsius Rabbinorum, quibus summa apud illam authoritas; hæ Christi disciplinæ, ac rerum mirè gestarum. Cumq; iam ipsi prodigiorum Veritatem agnouerint : *multa signa facit*, Disciplinæ etiam certitudinem fateantur necesse est, quæ enim Christus miracula edidit, id contendebant, vt illius firmarent disciplinam; nam quæ veritatis Legibus obluctatur, non vera tuentur prodigia. Quò Testimonium daret veritati, se venisse in terras, Pilato testatus est Christus. Quid esset veritas, & quo dictum probaret argumento, rogauit Prætor. Sed inaudito responso terga Seruatori dedit. *Quid est veritas? iterum secundo exiuit.* Si studiosus adeò rogandi, quid ità audiendi incuriosus? De Christi veritate, vel Ethnicus

Matth. 15.

Luc. 15.

Ioan. 11.

Quàm doctrinã prodigia firmant, vera est æstimãda:

magnum

magnum exhibuit Iudæis documentum. Se Christi subduxit aspectui; nec responsum sibi dari curauit, quasi secum in hunc modum perpenderet: Nihil vltra te moror: sat mihi, id te dixisse, tuaq; id prodigia luculenter adeò probare: Nihil huiusmodi de re intelligere amplius satago. Neque enim sancita à Fide vera ad calculos reuocanda; sat superq; est habere authorem Deum, cumq; Messias is sit; nobis Fidem imperat dicto suo.

Ostenditur Dei nomē ipsum Deum esse. CLXXXVIII. Tertia deniq; Conclusio illa est, Dei nempè nomen ipsum esse Deum; & Messiam exprimi Dei nomine. Prima pars concluditur ex Psalmi vigesimi tertij explanatione, vbi glossa in hæc verba: Ego Deus omnia condo; Cœlos per me ipsum effingo, & terram constabilio per illum, qui mihi continenter adest. Idem comprobat Isaias. (Isai 44.) *Quis ergo fuit mecum? Nomen meum vnà mecum missum fuit in seculi creatione: Dixit igitur Dauid coram Deo Sancto, & Benedicto ex eo, quod tu cum nomine tuo creasti Cęlos, & terram, nomini ego illa attribuam dicens: Dei Tetragrammaton est terra.* Et dignissimū annotatu est, quod inquit huiusmodi Glossa; egregiè enim Orthodoxæ Ecclesiæ disciplinæ concinit; Nempè Dei Nomen primæ rerum molitioni ipso cum Deo interfuisse; ità enim Deo hæret, vt nequeat vel mente concipi ab ipso disiunctum; nihilq; aliud nomen Dei est, quam Dei Verbum, aut Filius, per quem condidit, quidquid vsquam est. Quod minimè obscurè patefecit Chaldaica Paraphrasis, quę hocce Isaiæ eloquium legit in hunc modum: *Ego Deus faciens omnia extendi Cęlos verbo meo: fundaui terram in fortitudine mea.* Sed quid alijs, atq; alijs argumentis est opus, cùm apertè admodum, missisq; ambagibus Deus rem prodat, quin explanationum, aut commentariorum opera vtendum sit. Mosi olim iusserat Numen, vt suum ab Aegypto populum vēdicaret: Qui audiret, rogauit, à Deo Moses: *excepit Deus: Ego sum: qui sum*: quasi diceret: Ego sum: neq; vt sim aliena ope indigeo. Sed quid ad interrogationē respōsū? Nō naturā peruestigat Moses, Nomē inquirit; nō quid sit Deus; quid sit Dei nomen exquirit; aptè Deus, vt qui maximè, naturam

edixit,

edixit, vt nomen inde æstimaretur; exposuit quis esset, vt palam inde fieret, qui appellaretur; arctissima enim sibi necessitudine Dei esse, & Dei nomen adstringuntur. Præclarum Dynastis documentum! quisq; suum est nomen; è sua enim quisq; penditur existimatione: non id sum, quod mẽte me esse concipio; sed id quod aliorum de me prædicat existimatio. Quod igitur sim, vel minus latinè, (vt clariùs) meum esse iudicem habet viuendi legem. Vnde nihil est, qui habetur nihili. Verùm enim verò cùm Dei Nomen admirabile sit, Diuinam esse Naturam apertè concludit: Iccircò, vt Deus, quo nuncuparetur nomine explicaret, quis ipse esset, exposuit.

CLXXXIX. Altera Conclusionis pars, nimirùm Dei nomine Messiam exprimi, haud dubiè agnoscitur in Psalmi duodeuigesimi expositione: *Magnificans salutes Regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid*. Glossa ità explanat: Expositionum altera, *magnificans*, habet, *Iouen*, hoc est, *virtutis locus*, habet altera. At quam turrim, aut munitum propugnaculum illi occupauerunt, quo se protegerent? Regem Messiam, qui turris vice, aut munitissimi propugnaculi erit; vt est in Prouerbijs: *Turris, vel castrum fortitudinis nomen Dei Tetragrammaton: ad ipsum recurrit iustus, & subleuatur*. Quod strenuè firmat Rabbi Adarsani disciplina ad illa Geneseos verba: *Et dixit Pharao ad Ioseph, & absq; te non eleuabit Vir manum suam*. Et illud Sophoniæ adducens: *ad inuocandum nomen Dei, &c.* sic dicit: *Non est autem nomen Dei Tetragrammaton hic dictum, nisi Rex Messias, sic vt dictum Isaiæ 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo.*

Messias est Dei nomẽ.

Psal. 22.

Prou 18.

Genes. 41.

CXC. Quod verò Sacris in Litteris à præstantissimis Hebræorum Rabbinis Messiæ inditum fuerit penitissimum, & Religiosissimum illud Dei nomen, quod Deo solebat attribui, præterea nemini, ex Ieremiæ Oraculo satis constat: *Ecce Dies venient, dicit Dominus, & suscitabo David germẽ iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra: in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter; & hoc est nomen, quod vocabunt eum,*

Ierem. 23.

Dominus iustus noster. Huic editioni prorsus consentiunt Interpretes septuaginta, & Chaldaica Paraphrasis: cuius hæc sunt verba: *Ecce dies veniunt, Dicit Dominus, & statuã Dauid Messiam Iustum, & hoc est nomen eius, quod ipsi appellabunt eum, Deus Tetragrammaton*. Quæ quidèm Ieremię
Ierem. 33. verba ab ipso rursum repetita cõceptis verbis retulit Chaldaica Ionathæ Paraphrasis: Et Vulgatæ, (vt aiunt) Editioni, Latinæ, Grecæ, & illi (quam dicimus à septuaginta,) Chaldaicæq; magnæ inter Iudæos authoritatis, ac fidei; multò ante Christi aduentum tempore perscriptis, omnes veteres Talmudistæ consentiunt, qui suas huic sententiæ lucubrationes dicarunt: qui omnes asserunt, indendum Messiæ illud Dei nomen, quod præcipua homines Religione colerent. Et ad hunc modum Threnodiæ explanationes conspirant amicè admodum: *Expandit Sion manus*
Thren. 1. *suas; non est qui consoletur eam*. Vbi Glossa: Quod Messiæ est nomen? Rabbi Abba reddit: Deus Iehouah noster Iustus. Idem nobis planè obuium in Psalmi vigesimi explicatione; vbi post ingentem laudum cumulum, quo Messiam ad Cœlum euehunt, hæc inquiunt: *Vocauit Regẽ Messiam nomine suo; & quod nomen eius? Deus Tetragrammaton, Vir pugnæ; & de Rege Messia dictum est apud Ieremiam*
Ierem 23. *& hoc est nomen eius, quo vocabunt eum, Deus Tetragrammaton iustus noster*.

CXCI. Haud illepidè Malachias, cùm de Messiæ ortu ageret, rem expedijt: *Orietur* (hæc suum ad populum Deus, interprete Malachia) *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius*. Arbitrij est nomen, non naturæ: non enascitur, inditur. Quid ergo cum vellet edicere Deus, Messiam nasciturum, oriturum, inquit, nomen suum? Videlicet Dei nomen Dei est Messias. Nec illud prætermittẽdum silentio, Solem nimirùm fuisse nuncupatum, cum dictum Dei est nomen: *Orietur nomen meum Sol*. Quid necessitudinis interuenit, vt Messias Sol audiat, cùm Patris nomine illustratur? quid cùm Solis splendore nominis gloriæ fęderis intercedit? Parentibus tradere præstans admodum documentum contendit Numen,

Filius optimis moribus parẽtũ splẽdor est.

nem-

nempè nullam sibi illustriorem nominis celebritatem posse accidere, arbitrentur, quàm obtinere liberos morum integritate laudatissimos : *Nomen meum Sol iustitiæ*. Ex conspicuis sanctimonia liberis nominis commendationem benè magnam parentes decerpunt. Idcircò duplicem vno in ortu celebrandam natiuitatem prædicauit Deus. Sibi enim in filio, qui felicibus astris enascebatur, non mediocre nominis decus enitesceret; Nobis verò nostræ salutis Author illucesceret : *Et sanitas in pennis eius*. Cui enim parenti filius editur apprimè Sanctus, immortalis nominis gloria enascitur : haud secùs Dei Filius Messias totus mortalium commodis nuncupatus nobis gratiæ Parens, & Author, Aeterno Genitori magni nominis comparator, ac illustrator : *Nomen meum Sol iustitiæ*.

CXCII. Nec latum quidèm vnguem abeunt ab hac sententia cùm Euangelistarum, tum eiusdem Seruatoris testimonia. Scriptores Euangelici Incarnationis mysterium Deiparæ Sanctissimæ ab Arcangelo Gabriele prædictum libenter offerunt : *Et ait Angelus ei : Ne timeas Maria : Inuenisti enim gratiam apud Deum*: Ecce *concipies in vtero: & paries Filium : & vocabis nomen eius IESVM, hic erit Magnus, & Filius altissimi vocabitur*. Luc. 1. Hominem Deus quanto maximo sibi nodo adstrinxit; hinc homo ad Diuinitatis fastigium est euectus. Cumq; Deus essentialiter, vt aiunt, vnus sit, perspicuum fit Dei nomine Messiam Altissimi Filium referri : *Ego, & Pater vnum sumus*; his quondã Christus Pharisæos verbis edocebat se vnum, eundemq; natura Aeterno cum Parẽte esse, ac Deum Filium. Ioan. 10. Alterum Seruatoris testimonium illud est : *Nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te : manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo : tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt : Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt, quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis : & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia è te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti*. Ioan. 16. Tantum habent ponderis hæc Seruatoris IESV Verba, vt satis superq; essent hominibus

persuadere, ipsum humanæ libertatis Authorem, Deiq; esse Filium; atq; Dei nomine Messiam exprimi; cum ex illis dilucidè adeò constet Christo mortalium liberatoris honores fuisse tributos; Se enim Deum esse, palam fecit: *manifestaui nomen tuum hominibus*: Felici siquidèm reciprocatione Redemptorem consequitur Deus: Dei itaq; nomine Messias haud dubiè concipitur.

Parui ducendę Recentiorum Iudæorum interpretationes.

CXCIII. Cum igitur omnium punctis res sit testata, nempè Deum ipsum Mundi libertatem recepturum in se se, naùci pendendæ sunt voluntariæ interpretationes, quas Iudæorum Recentiores Ieremiæ Oraculo, ac cæterorum Prophetarum Vaticinijs inscitissime adhibent: quippè qui blaterant, Messiam Deum minimè futurum; nauci, inquam, pendendæ, quia ab infectis obstinationis veneno cordibus enascuntur; ipsisq; Sacris Literis è regione obstrepunt impudenter: ac Doctorum sensibus, Hebraicisq; summo numero Editionibus aduersantur: Imprudenter Iudæi inquiũt, Messiam licèt penitissimo Dei nomine vocitent Sacræ Literæ, non inde illius Diuinitatem iustè concludi. Ierosolyma enim Vrbs hoc etiam fuit nomine decorata: Vt est

Ezech. 48. apud Ezechielem. *Et nomen Ciuitatis ex die Deus Tetragrammaton.* Hoc etiam honoris obtinuere loci tres, quos

Genes. 16. memorat Sacra Pagina. De primo meminit Geneseos liber: *Et vocauit Abraham nomen loci illius: Deus videbit*:

Exodi 17. De altero Exodi: *Et ædificauit Moses altare; & vocauit nomen eius: Deus Tetragrammaton signum meum*. De tertio

Iudic. 16. liber Iudicum: *Altare, quod Gedeon instruxit, Dominum pacis appellauit.*

Infringuntur Iudęorum arguméta, quibus nitebãtur, ne Messiam Deum esse faterẽtur.

CXCIV. Quod quidèm quam stultissimè effutiant, inde patet, quia nomen illud Religiosissimum vni Deo, Messiæq; & nemini rei creatæ adhibitum vnquam est: & vt Deus Deus Iustus cognominatur, haud secùs Messias, qui sibi obnoxios ad æquitatem redacturus aduenit, Deus noster Iustus nuncupatur. At enim cum Sacrosancti libri Ierosolimæ Vrbi, alijsue locis, quibus id nominis impertitum est, magnum Dei nomen indunt; Non id quidèm in omnes illis conuenit partes, quin quiduis aliud adnectitur, quod

omnes

omnes faciat certiores, locum huiusmodi haud esse Deum; sed ibi aliquid egisse Numen, cuius memoria hocce in nomine elucescat. Vt cum Cęlestem Ierosolymam nominat, interpretatur ad hunc modum: *Deus ibi*: hoc est, suæ Diuinitatis copiam suis Deus familiaribus Vrbe in illa faciet: quemadmodùm Editio Chaldaica manifestè demonstrat. Quò igitur Prophetes indicaret felicitatem, quam suis erat cęlestis Rex purpuratis impertiturus nomē Vrbi imposuit: *In illa Deus*. quasi id significaret: nihil, non nisi Deum in illa futurum Ciuitate; gloriam, pacem, ac eiusdem Dei felicitatem regnaturam ibi, prӕterea nihil. Qua explanatione hoc Ezechielis Oraculum affecit Chaldaica expositio: *Nomen Ciuitatis exponens à die, qua posuit Deus Diuinitatem suam*.

CXCV. Argumento alteri petito ex Genesi fit satis ad hunc modum: locum, quem facturus Deo Filium Abrahamus conscendit, *Dominus videbit*, cognominauit; ità commendans posteris mysterium sacrificij, quo suum mactare filium iubebatur, atq; egregium exhibens, & fidei, & obtemperantiæ specimen: ex quo quidèm Sacro magnam sibi spem demetebat, eximijs à Deo beneficijs cumulandum se se; & omnium prӕcipuè prӕstantissimo, quod receperat Deus, nimirùm ex eo ipso Filio, quem Deo immolabat, Deum ipsum enasciturum: Hoc verò non est Dei nomen loco indere; sed ansam arripuit ex euentu Prophetes, vt de humanæ libertatis mysterio sermonē insereret; innueretq; mortalibus, eam, quæ Isaaco in irritum cecidit, necem, Christum Dei Vnigenam occubiturum: id indicauit, cum dixit: *Dominus videbit*: Et Chaldaica Anchelos explanatio hoc loci affatur in hæc verba: *Et coluit, atq; adorauit Abraham in loco isto, & ait coram Deo, hic erunt colentes te, vel seruientes tibi generationes*.

CXCVI. Nodum ab Exodo erutū soluit eiusdem Anchelos expositio: *Aedificauit Moses, & coluit, vel sacrificauit super illud coram Deo, qui fecit ei signa*. Hebraica explanatio rem apertiùs elucidat: *Aedificauit Moses Altare, & vocauit nomen eius, Deus signum meum: Dixit R. Elay: Deus vo-*

us vocauit illud, scilicet Altare signum meum : Aram construxit Moses,quam eo affecit nomine, Deus signum meũ; non quidèm id Prophetæ consilium fuit, vt aram Deum nuncuparet; sed vt omnes admoneret, Deum, cui hacce in ara faciebat Sacra, Authorem esse prodigiorum, quę ibidem edebantur.

CXCVII. Quod autem Iudicum è libris obijcitur,molli quidèm brachio Chaldaica Paraphrasi prorsus euertitur; Ea est: *Edificauit ibi Gedeon Altare Domino, & seruiuit, id est, sanctificauit super illud coram Deo, qui fecit ei pacem.* Ex quo perspicitur liquidòGedeonẽ locum illum nequaquam dixisse Deum; verùm contendisse habere gratias Numini, cuius ope victoriam hostibus præripuerat eo loci. Itaq; ex ijs, quæ hucusq; memorauimus, Oraculis ad plenum exploratur, magnum illud, ac Sacrum Dei nomen vni Orbis Assertori fuisse inditum, vtpotè qui idem est Deus. Constat deinde satis,quæcunq; Iudæorum Recentiores ementiti sunt, vt huiusmodi veritati offundant caliginem, somnia omninò esse, & iniquæ mentis deliramenta. Quod con-
Isai. 28. stabilitur firmiùs ab Isaia. *In illa die erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* Chaldaica Ionathæ editio in Isaiæ Oraculum suffecit huiuscemodi verba: *In tempore illo erit Messas Deus Iehouah exercituum ad diadema gaudij, & ad sertum exultationis, vel laudis residuo populi sui.* Ex quo apparet liquidò,vbi Deus à Propheta magno fuit nomine nuncupatus, fuisse à Chaldaica Paraphrasi cognominatum Messiam. Et in cōpendiaria Geneseos explanatione ad verba illa: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, habentur hæc: *Futurum est, vt gentes seculi deferant munus Messiæ filio Dauid, sicut dictum est a-*
Isai. 18. *pud Isaiam: in tempore illo deferetur munus Deo Tetragrãmaton exercituum.*

Isai. 8. CXCVIII. Nec à se alibi discrepat Isaias: *Dominum exercituum ipsum sanctificate, & ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, & in laqueum, & ruinam habitantibus Ierusalem; & offendẽt*

ex

ex eis plurimi: & cadent, & conterentur, & irritientur, & capientur: liga testimonium: signa Legem in discipulis meis, & expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à Domo Iacob, & præstolabor. Quod Isaiæ Vaticinium Rabbi Hiya liberi interpretati sunt, in libro Synedrij cuius est initium: *Iudiciorum vnum*, ad hunc modum. Non terras appellet Messias, donec duæ Israelis domus funditùs interierint, vt est apud Isaiam: *& erit ad sanctificationem, ad Lapidem autem ruinæ, & offensionis duabus domibus Israel*. Vbi Rabbi Salomon Israelis Seruatorem collocat.

CXCIX. Ex quibus dilucidè admodùm patefit, veterum Talmudistarum explanationes, id Messiæ nomen adiecisse, quod Deus sibi voluit Religiosissimum, quodque vni Deo tantùm, non verò Rei merè creatæ adhibebatur: vt ex hoc Isaiæ loco planè constat. Et quia tanta id nomen Religione excipiebatur, nullo vnquam tempore Orthodoxa Ecclesia Christi amabilissima Sponsa illud ausa est nominare; & vt maiorem illi haberet honorem, Hebraicæ institit Synagogæ morem, suffecit in illius locum, *Adonai*: quemadmodùm speciatim in Exodo demonstratur: vbi ad Mosen Deus: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Iehouah non indicaui eis*. Cui substituit Catholica Ecclesia *Adonai*. Est itaq; certo certius, Messiam, ac mortalium liberatorem ex Sacrarum Literarum testimonijs, ex Rabbinorum, ac Veterum Talmudistarum disciplina ipsummet Deum futurum, qui sibi mortalitatem adnecteret. *Exodi. 6.*

CC. Quod etiam firmatur robustius ex Sacris Libris, & Hebraicis traditionibus; quæ asserunt, Deum sanctorum hominum conspectum subiturum, illorumq; consuetudine familiariter vsurum; quibus consentiunt graphicè quatuor Euangelij scriptores, qui Christi vitam, ac gesta literarum monumentis consignarunt; quod quidèm fieri nullatenus poterat, nisi Deus fieret homo; vt se ità videndum mortalibus exhiberet, illorumq; posset conuictui assuescere; Deus siquidèm, vt Deus est, concretione mortali alienus, & corporis sensuum expers, oculorum aciem fugit. Cum itaq;

huma-

humanam haud dubiè naturam Deus esset induturus, & suo homines dignaturus alloquio, illos deinde suæ felicitatis socios habiturus, Deum esse Messiam oportebat. Hunc verò Christum IESVM Sospitatorem hominum esse, nemo planè prudens inficiabitur: quemadmodùm sempiternus
Matth. 17. eiusdem Genitor est testatus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

CCI. Deum verò se hominum oculis proditurum, & acturum cum in illis in terris docet apertis admodum verbis Baruch: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius in conspectu eius: hic adinuenit viam sapientiæ, & tradidit Ia-*
Baruch. 3. *cob Puero suo, & Israel dilecto suo, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quid planius? aut quid apertius? quid aliud indicauit Prophetes, cum inquit, Deum ipsum, ac Dominum nullum præterea alium, Deum, inquam, ipsum, qui sapientiam inuestigauit, ac reperit, suámq; tulit Legem Israelitico Populo, in quo præcipua ipsius charitas eminebat, in terris sui hominibus fecisse copiam, ipsorumq; sermonibus oblectatum, nisi quæ postmodum Ioannes verbis alijs edocuit: *Verbum caro factum est, & ha-*
Ioan. 1. *bitauit in nobis.*

CCII; Subscripsit Isaias: *Discite pusillanimes, confor-*
Isai 35. *tamini, & nolite timere; Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis Deus ipse veniet, & saluabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum.* Vbi Chaldaica Ionathæ explanatio in hæc verba: Se Deus ipse deteget, & vobis salutem impertietur. Annotatu dignum est, quod vbi Hebraicus codex *veniet*, ait; exposuit Chaldaicus: *Se patefaciet*: cùm enim Deus quidquam vsquam locorum est sua impleat immensitate, Messiæ volens Diuinitatem commendare Chaldaicus interpres; non inquit: *Veniet*: Sed ait: *Se se prodet*: Quod alibi attigit Propheta idem: E*t dicent in illa*
Isai 25. *die: Ecce Deus noster iste: expectauimus eum, & saluabit nos: iste Dominus: sustinuimus eum, exultabimus, & letabimur in salutari eius.* Quod certè Oraculum ea donandum explanatione, qua illud veteres Talmudisticæ Disciplinæ Doctores affecerunt, qui voluentibus, dicebant, annis

futuram

futuram tempeſtatem , qua ſuiſmet oculis homines vidiſſent, illumq; populi digito indicarent. Ità planè habetur in Pſalmorum explanatione ad illa Dauidis verba : *Expectans expectaui Dominum.* Pſalm. 30.

CCIII. Et in minori Geneſeos expeditione, cum expendit verba illa: *Et apparuit illi Dominus in valle Mãbre*; hæc ſe legẽda offerũt:ſcriptũ Iobi in libris eſt: *Et rursũ circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deũ* Qui quidẽ locus magni eſt momẽti tũ ad Liberatoris diuinitatẽ affirmãdã,tũ ad demõſtrandã corporũ Reſurrectionẽ, ſi præſertim, quæ iam edixerat, dixitq; poſtmodum, ac dicentis authoritas perpendatur. *Scio enim, quod Redemptor meus viuit; & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum; quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt; Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Iob. 19. Idem. 19.

CCIV. In Libro Siphre inſcripto ad illud Leuitici: *Et ambulabo in medio veſtri, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in Populum*: Hoc rẽ exẽplo Hebræi veteres sũt proſequuti. Animi cauſa ſuum Rex viridarium petijt; ſermonem texuit cum topiario, qui ſe ſe à Regis conſpectu tantiſper amouebat,quàm ignobiliori eſſet numero probè noſcens. Quem Rex, ſimul ac ſenſit, protinus allocutus:quæ cauſa eſt huius tuæ à me alienationis? quid tuum mihi conſpectum inuides? Ecce me tui planè ſimilem. Haud aliter prorſus accidet futuris temporibus. Voluptarijs in hortis Deus Sanctus, ac Benedictus inuitabit ad colloquiũ Iuſtos;qui coram illo maximo perfundentur timore: quem Deus leuabit his verbis: Timori parcite; me enim veſtri perſimillimum, & omnia vobis conformem intuemini, Annè defueritis honori, quem mihi habeatis, neceſſe eſt; eo quod me veſtri aſſimilem dixerim? Imo vobis ego Deus, mihi vos populus eritis. Si his omnibus aliqua ex parte abrogaueritis Fidem; id ſaltem fatemini, me ſcilicet in libertatem ab Aegyptiaca ſeruitute attuliſſe vos. Idem prorſus ſenſiunt in libro, quem Toanith dixerunt: qui de ieiunio agit; in quo hæc: Illuceſcat aliquando dies, qua Deus Leuit. 26.

Sanctus, ac Benedictus Sanctis cum hominibus aget veluti conuenticula; & medium occupabit; quorum quilibet illum monstrabit digito; vt est apud Isaiam: Dicent deinde: Deum nostrum ecce amplectimur; ipsum opperiamur, & circumfluemus lætitijs omnibus, voluptateq; afficiemur incredibili ob ipsius salutem.

Isai. 25.

Vaticinationes, quę de Messia erant, in Christo exceptae euentus.

CCV. Vniuersas Vaticinationes, ac traditiones excepit in Christo euentus, vt in cœlesti vnius, & alterius Testamenti harmonia perspicuum profectò fit: In Christo, inquam, Diuini Spiritus opera è castissima Virgine nato; quẽadmodùm prædixerat Isaias, & Augustissimæ Deiparæ, Iosephoq; Sanctissimo Angelus patefecerat: *Fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem Filium, & vocabis nomen eius IESVM, ipse enim saluũ faciet Populũ suũ à peccatis eorũ*. Bethlemico in tugurio, vt præmonuerat Micheas, & memorãt Euãgelistæ: *Et peperit Filiũ suũ primogenitũ, & pannis eũ inuoluit, & reclinauit eũ in præsepio.* vbi illum agnouere, diuinosq; honores sacrarunt de genu Pastores, ac Orientis Reges; iuxta Dauidis, & Isaiæ prædictionem, planèq; legimus in Sacra Euangelij narratione: *Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc*. Suæ disciplinæ radios Ierosolymæ impertiuit; vt ex Isaia patet, & Scriptoribus Euangelicis: *Aperiens os suum docebat eos*. Cuius prodigiorum admiratione tota defixa est Iudæa. Quemadmodùm ex memoratis authoribus constat; *Abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos*. Et nihilo secius neoterici Rabbini affirmant, salutis humanæ Parentem, Deum minimè futurum: Suam illis Diuinitatem, vt probaret Christus, summa prodigiorum ope incubuit, quæ passim occurrunt in Euangelio: At enim ipsi à Christo alienant se se, quia & verbis, & gestis suæ Diuinitati Fidem adstruit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis,*

Luc. 2.

Luc. 2.

Matth. 5.

Matth. 4.

Ioan. 10.

quia

quia Pater in me est, & ego in Patre. Nec Christi dictis, aut factis fidem habent; non dictis; ipse enim id vnum laborauit, vt illis persuaderet se Deum hominum commodis humanam induisse naturam; quod etiamnùm Iudæi præfractè abnuunt: non factis; quià nostræ salutis studio Crucis aram subijt, quâ functus vitâ cęlestis Genitoris iras humanis capitibus impendentes placauit: At enim populo Iudaico, cũ ingratitudinis semper infamia laborauerit, vice est caliginis ingratitudo, vt credulitatem suam à Christi disciplina abducit, ità facta peruicaciter inficiatur. *Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia.* Hæc de Hebræis Dauid. Sed qui prodigia non agnouerunt, quæ vsurpauerant oculis? Desiderata in ipsis est cognitio, quia grati officio animi defuere; nouere, vt vterentur, vt referrent acceptum; nescierunt beneficium; cumq; referendæ gratiæ immemores se præstiterint, stultæ mentis probrum incurrere: iure enim stultum dixeris, quem ingratum noueris; quod planè vitium animo licèt enascatur, mentis potiùs dandum est inopiæ, quàm voluntatis crimini: *Homo, cum in honore esset, non intellexit*; ità de Adamo Regius Vates. Nouit haud dubiè Adamus; quibus eum beneficijs cumulauerit Numen; sed ignorationis insimulat Dauid, quia agendarũ nouerat gratiarum oblitum: ingratum moris est nescium dicere; facta inter animi facultates mutatione voluntatis scelus menti tribuitur; facilius quippè creditur posse hominem intellectrici facultate destitui; (quod fieri fortasse nequit.) quàm accepti beneficij deesse gratijs. *Haccine addis Domino popule stulte, & insipiens?* Si ea est populo nota inurenda, quia Dei beneficijs non respondit, quid stultitiæ probrum ei obijcitur? In manum nempè conueniunt ingratitudo, & stultitia. Eodem quoq; nomine in Synagogam conflauit inuidiam, cum illius insipientiam amasiorum oculis exponendam decreuit Deus; nunquam enim seuerius plectitur flagitiosus, quàm cum illius crimina proferũtur in apertum, vel inter familiares: *Et nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum.* Illius ingratitudinem contendit damnare, & imprudentiam vocat? Sub manum est

Iudæi nec Christi dictis, nec factis fidem habent.

Psal. 105.

Stultus est, qui ingratus est.

Psal. 48.

Deut. 32.

Acerbissimè animaduertitur in scelestũ, cum illius crimina publicantur.

Os. 2.

nominis ratio: Nihil intereſt diſcriminis ingratum inter,& ſtultum. Licèt Iudæos, & mentis inopia, & voluntatis flagitium adſtringat, quippè qui caligini obſtinationem adiungant: illam animi perturbatio intulit, hanc improbitas mentis inuſſit:& planè tantæ pleni noctis, vt Chriſti veritatem nullatenus agnoſcant,quæ tamen ſe ità apertè prodit, vt manibus ſe ipſis offerat attrectandam: *Quod vidimus*, (ſcripſit ſua in Canonica Ioannes) *quod manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ,& vita manifeſtata eſt,annunciamus vobis.* Rem planè inauditam? *Quod manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ.* An verbum ſe tangi manibus ſinit? Verbum, de quo hic Ioannes, non ipſa eſt Veritas? *Ego ſum Veritas*, inquit idem. Non ipſa eſt Ratio? quid ni? Verbum & Ratio idem prorſus ſunt; Diuinæ enim mentis feliciſſimus partus eſt. Quid ergo? Ratio, Veritas attrectari manibus valet? Si eæ ſint Diuini Verbi, ipſiuſq: Legis apprimè Sanctæ, haud difficulter faciam, quin mirer; poſtquam mortalitatis nube Diuinitatis radios obtexit. Retroactis ſeculis, inquit Ioannes, Parentis Aeterni ſinu commorabatur hæc Ratio omnium oculis inacceſſa. *Quæ erat apud Patrem.* voluentibus poſtea annis ſe ſe nobis videndã obtulit: *Et apparuit nobis*. Et noſtra quidem memoria Chriſtianę Legis Veritas,ac Ratio, cui Aſſertoris Diuinitatis myſteria innituntur,aperta adeò,teſtataq;eſt,vt non oculis modo, ſed manibus etiam fiat peruia, ità robuſta,ac firma, vt manibus non reſpuat attrectari. *Et manus noſtræ contrectauerunt de Verbo.* Iudæi verò ea ſunt immerſi caligine, vt vel obuiam non aſſequantur.

1. Ioan. 11. · *Ioan. 14.* · *Ioan. 1.*

Iacob luctatur cum Verbo D. id tamen non agnoſcit.

CCVI. Rem adũbrauit,qua cũ Angelo lucta Iacob contendit: latebat ſub Angelo Diuinum Verbum, vt communis fert Doctorum ſententia; neminem nominatim adduco, ne cuipiam videar iniuriam facere; cum enim omnes, vel pene omnes ſuum addant ſentẽtiæ calculũ, immẽſi eſſet operis ſingulos nominare. Amplectebatur manibus Diuinum Verbum hominis ſub imagine Iacob: *Ecce Vir luctabatur cum eo*; & inter luctandum, *interrogauit eum Iacob; Dic mihi: quo appellaris nomine?* Premit manibus Diuinam

Geneſ. 32.

uinam Iacob Rationem,& eam tamen nescit Iacob. Quid mirũ! Dei rationem Angelus, Iudaicam gentem exprimebat Iacob, vt vulgo credunt Doctores ijdem; quia Diuini Verbi hominis facti mysterijs sua ità arcet caligo; vt mente minimè assequantur; quæ attrectant manibus; suæ quidèm est flagitium cæcitatis, sed suæ obstinationis supplicium. Euertet Iudæus noctem, simul deposuerit perfidiam. Tenebit, quod ipsum etiamnũ fugit, Christũ videlicet Dei esse Filium, ipsiúsq; Verbum, quod ille misit in terras totum hominis nuncupatum commodis, quemadmodùm profitetur Catholica Veritas, quam Lex primum prædixit, quam postmodũ expleuit Euangeliũ, nostrisq; temporibus cœlestis testatur Harmonia, quam suauissimã edit cum Lege Euangelium, cũ Propheticis Euangelici Scriptores; siquidẽ pro se quisq; non oscitanter quidèm clamat, Christum Dei Vnigenã Filiũ esse, vereq; Messiã, qui nemini alij, vel superiori, vel sequenti id honoris concedit; Nec superiori, quia nullũ ante ipsum adepta est terra Messiã: nec sequenti, quia nullus in posterum Christus ipsi est sufficiendus; si Christus minimè alius; igitur nec Messias.

CAPVT DVODECIMVM.

Christianæ Crucis cum mundi libertate Harmonia.

CCVII. IVdaismi errores non secùs, ac maris vndæ sunt; tantò hæ maiori voluntur mole, quantò aguntur longius suo à centro; illi haud aliter eo vehementiùs errant, quò à Christo totius veritatis cardine longiùs abhorrent. Nequit concoquere Iudæus, Diuinos à Christiano honores deferri; Messiæq; dignitatẽ tribui illi, qui actus in Crucem scelestos inter, ipsis in speciem haud dissimilis efflauit animum. *Prædicamus* (inquit gentium Doctor) *Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum.*

Iudæi velut maris fluctus.

1. Cor. 1.

Et

Et hæc Iudæorum inuidia in maioris cæcitatis, ingratitudinisq; probro ipsis est obiectanda; quippè quam ex præstantiori Diuini amoris pignore, & liberaliori aduersus homines beneficio ducit; vt nihil Deo habeat gratiarum, & pergat nescire Messiam. Nulli primas cedit caligo, quia iniquissimo fundamento incumbit: *Nescientes Scripturas, & Virtutem Dei*. Longè præit omnibus ingratitudo, quia mendacij innititur argumēto; vt verissimum Redemptionis mysterium eat inficias. Legis ipsi vtuntur suppetijs: *Maledictus omnis, qui pendit in ligno*; Cùm tamen Lex ipsa edoceat, eum tantummodò probris afficiendum, quem damnauerint supplicio scelera; Qui verò impensius suum nobis amorem Deus commendaret, aut quo homines beneficio obstringeret arctius, ac se morti deuouens, vt nostris nos sceleribus eximeret.

Deut. 21.

Proponūtur nōnulla veteris Testamēti loca,

CCVIII. Diuinus testamenti vtriusq; concentus, veterumq; Rabbinorum sententiæ ac traditiones obfirmatis Iudæis demōstrabunt humanæ libertatis mysterium in Christi IESV Dei Vnigeniti ligno affixi morte dilucidè admodum explanatum. Quo rem meridiana luce illustriorem intueantur, operæ erit pretium ea perstringere loca, quæ vtraq; de re agunt. Ac primum omnium certamen ineat Zacharias, qui de Deo ad hunc modum: *Aspicient ad me, quem confixerunt*. Qui fieri poterat, vt Deum suffigerent homines, nisi fieret Deus homo; sibiq; manus afferri sineret? vt planè Assertori Christo contigit; Liceat hoc loci animaduertere, Christum in Crucem actum omnium oculos ad sui conspectum inuitare: *Aspicient ad me*, in Thaboris vero Gloria suis illum discipulis interdixisse: *Ceciderunt in faciem suam*. Nec diù inuestiganda tanti discriminis causa. Præhabet nimirum Christus suæ Crucis probra suę gloriæ splendori. Alterum argumentum non longè aliud à primo suppeditat Psalmus vigesimus primus, qui totus Christo, Christiq; cruciatibus Sacer est: in hoc igitur Christus *foderunt*, inquit, *manus meas, & pedes meos*. Et licèt aliquid litium inferat Hebraicus Codex, an *foderunt*, habeat, vel, *quasi leo*. Duorum & septuaginta interpretum

Zach. 12.

Christus Crucis probra gloriæ splendori præponit.

Matth. 17.

Psal. 21.

Edi-

Editio, quæ annis ante Christum tercentis scripta fuit, haud dubiè quod nos in præsens, semper retinuit *foderunt*. Quorum authoritate nihil apud nos antiquius. Indeq; deducitur idem apud Hebraicum exemplar fuisse consignatum; & verba illa, *quasi Leo*, supposita esse Iudæorum scelere. Nostrorum igitur exemplarium asserta fide hærere mihi aquam facit dicendi Ratio; Non enim Christi nomine Prophetes inquit: Induerunt manus clauorum cuspide, aut terebrarunt vulneribus: *foderunt*; ait; Et quæ translationi venustas? *Terra*, respondet Cassiodorus; *fossa fructum facit: sic fructum vitæ dedit Christus vulneratus*. quod proscinditur solum, vberrimos creat fructus, & opibus homines cumulat: haud secus homines prædiuites animis prouentus ex Christi vulneribus demetunt. *Cassiod.*

CCIX. Tertio nostræ fauet causæ Isaias capite secundo, & quinquagesimo, & quinquagesimo tertio; Quæ Messiæ prorsus nuncupantur, & quorum explanationes Talmudistæ Messiæ adscribunt. Hæc Vates minimè obscurè: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra.* Quod de Orbis Liberatore explicare tantũ fas est; nefas de Iudaico Populo; quemadmodùm ausus est Rabbi Salomon; licèt alibi stilum verterit, & Messiæ addixerit Oraculi interpretationem; cui tamen dicam impingit Burgensis Antistes, & Galatinus; eo quod vel latum pedẽ à Talmudistarum disciplina contemptis traditionibus discedere ausus fuerit. Quartum argumentum offert Ieremię Threnodia: *Spiritus*, inquit, *oris nostri Christus captus est in peccatis nostris*. Ad quem locum Chaldaicum exemplar ante Christum conditum effatur ad hæc verba: Rex Messias, quem non segniùs diligebamus, ac auram, qua viuimus, in sceleratorum mortis casses incidit. *Isai 52. & 53.* *Thren 4.*

CCX. Quinto nostras agit partes Daniel; qui postquã scripsit de hebdomadibus septem, quæ ad Templi vsq; constructionem exactę sunt; deinde de septuaginta duabus, in quas perstiturum erat Templum, addit: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*. Vt in Christo res prorsus habuit. Itaq; si hebdomadum cuiq; septennium erat assignan-

aſſignandum, cui ſententiæ Talmudiſtæ ad vnum adſtipulantur; Et Meſſias vita erat ſpoliandus, priuſquam abſolueretur hebdomadârum numerus, planum quidèm fit extitiſſe Meſſiam Chriſtum, cui nondum impoſito hebdomadibus fine irrogata mors eſt. Nec abeunt ab his oraculis prædictiones aliæ, quæ ſpeciatim attingunt dolores, ac cruciatus; quos obfirmato ad patientiam animo ſubiret Author humanæ libertatis. Admiſcent ſuum, & quidèm Diuinum concentum Euangelij Scriptores: *Suſceperunt autem*
Ioan. 19. *IESVM, & eduxerunt: & baiulans ſibi Crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum; Hebraice autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc, & hinc, medium autem IESVM.*

Rabbi Simeon. CCXI. Et conuerſa ad Talmudiſticos Doctores Oratione, qui illatam hoſtiliter Seruatori necem in ſalutis humanæ gratiam, expediere, omnium Princeps in Theatrum prodeat Rabbi Simeon Magni Rabbi Iohay Filius, qui Chriſti annis multò ſuperior. Hic in ſuo myſteriorum libro hæc inquit. Cùm hæc accepiſſet Oſeas, lacrymis vbertim cœpit indulgere; & effari in hæc verba: Væ illis! Væ illis! Væ illis improbis, ſceleſtis, & Iſraelis homicidis! Quorum amore perculſus, quo illis faciat, delictorum veniam, Vnigenam Deus ſuum ſanctum, ac benedictum humanam indutum naturam legabit. Væ illis? qui obſtricti ſceleribus, & improbitate Meſſiæ indicent bellum, & habebũt deſpicatui ipſius diſciplinam, qua illis imperabit, vt abluendi cauſa ea aſpergantur aqua, quæ ſordes animi expiat; at enim ipſi à Dei deflectent vijs, nec illius voluntati gerent morem; imo iræ impotentes, & tumoris pleni manus illi inferre impudenter audebunt. Ad inferos deuolabit tùm temporis ipſius animus, vbi tridui moram trahet, quo Patrum, ac Sanctorum hominum animos inde eximat;
Geneſ. 46. vt in Geneſi mandatum eſt literis: Deſcendam tecum in Aegyptum, & inde adducam te.

Rabbi Accados. CCXII. Alterum locum obtinet Rabbi Accados, qui etiam Chriſti temporibus longè maior, & teſtem ſæpè vocat ipſum Rabbi Iohay: Doctoris huius ſententijs inſertis

veluti

veluti gemmis distinguit Galatinus egregium apprimè librum, quē Catholicæ Veritatis arcana inscripsit; vbi disertis verbis affirmat; eam sibi famam, atq; nomen Rabbinum Accados Hebræos inter confecisse; vt illum antonomasticè dicerent Magistrum Sanctum. Hic igitur in eo, quem ad Antonium Consulem scripsit, libro hæc inquit. Mirum cepit consilium Deus, vt à Dæmonum seruitute, cui illos Adami scelus addixerat, hominum animos eriperet. Nec vllo queunt pacto salutem adspirare, ni Rex idem Messias cruciatus acerbissimos perpetiatur. Hoc multis iudicium locis, quos expedijt, firmat Magister ipse.

CCXIII. Tertium occupet Rabbi Moses Adarsan è prima inter Talmudistas nobilitate, qui in hunc modum ad illa verba Psalmi: *Et viuet adhuc in finem, & non videbit mortem*. Messiam significat, qui Patrum libertati deuouet vitam suam; at in posterum æternum viuet; & nunquam aspiciet inferos. Et ad Psalmum vnde trigesimum: *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius*; Id, inquit, indubiè de Messia dictum Iusto nostro; eodem quippè temporis articulo, & vita erit, & mors, ex sui nimirū animi sententia; vt illam vel concedat alijs, vel sibi capiat. *Rabbi Moses Adarsā.*

CCXIV. Quartum Rabbi Samuel Leuita ad Psalmum centesimū quadragesimū septimū: *Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*. Habet huiusmodi orationē. Dei Verbum ipsius fungitur legatione; habebimus ipsi honorē, simul aduenerit. Ad hæc Rabbi Saul. Non ne transmisere in nos Prophetæ; in quos ad mortem vsq; sæuijmus, & effudimus illorum sanguinē? qua igitur ratione Verbū modo excipiemus, nostrāq; illi adhibebimus fidē? Quia eos, excepit ille, in sanitatem restituet, & præsentibus eximet infortunijs; & his acti prodigijs ad illum credulitatē nostrā adijciemus. Rursū inquit Rabbi Saul. Qua de causa non ait Psalmographus, nobis salutē impertiet, sed illis? At ille; id mihi fuisse in causa videtur, vt aliter, ac dicis, loqueretur Vates; vidit nimirum nō omnes; sed tantùm aliquot oblatam salutis facultatem arrepturos. Prorsus, vt dicis, reddidit ille. Se in terras cō- *Rabbi Samuel Leuita.*

 sulit

tulit Dei Verbum;sed non ab omnibus fuit exceptum;hanc ab illo gratiam iniere aliquot tantum nullo numero homines: quos absurdo ingenio credebant omnes, quiq; piscatoria arte victitabant, maris accolæ: de quibus ibidem ait: *Ascendentes mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis.*

Rabbi Adarsan. CCXV. Quintum Rabbi Adarsan, qui ad caput quartum, & vigesimum Geneseos scholion scribens, ad illa verba: *Et introducet eam Isaac in tabernaculum Saræ matris suæ* hæc ait: Hic Rex est Messias, qui improbos inter, ac damnatos ætatem egit, seq; dicauit Numini Sancto, ac Benedicto, ipsiusq; nomini, quò illud, totis animi viribus quanto maximo honore afficeret; idq; vnum summo conatu operam dedit, Dei clementiam Israeli propitiare, & in illius gratiam studere impensè humilitati, vt est apud Isaiam:

Isai. 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Disciplina pacis nostræ super eum.* Et quando Israelis Filij cōsciuerint crimina, eæ deprecari habebit curæ: quemadmodùm inquit idem Vates: *In eius liuore meditatum est nobis:* Vt iste ipse Rabbinus legit: iccircò illum Deus continenter protegit, vt pariat Israeli salutem, & lætitijs omnibus cum ipsis indulgeat extremo illo die; quo die animæ vita functæ corpora rursùs induent: vt

Deut. 33. proditum est in Deuteronomio: *Beatus tu Israel, quis vt tu? Populus saluatus per Deum clypeum auxiliatoris tui:* &

Isai 145. apud Isaiam. *Israel saluatus erit in Deo saluationis sempiternæ. Non erubescetis, neq, confundemini vsq; in sæcula æternitatis.*

Rabbi Salomon. CCXVI. Sextum Rabbi Salomon, qui Psalmi duodenonagesimi verba illa explanat: *Quod exprobrauerunt inimici tui Domine, quod exprobrauerunt talos Christi tui*: quémadmodùm antiqui legerunt Hæbrei. Memineris, Domine, Christi tui talos contumelijs fuisse oneratos tuis ab inimicis. Huius Rabbini Glossa, hac donat locum explicatione. Messiæ tali postremi huius mortalis vitæ dies sunt. Clau-

Rabbi Moses Adarsā. dat agmen Rabbi Moses Adarsan; qui ad Caput Geneseos vndequadragesimum ad illa verba: *fregit Ioseph*; ità ait.

Dauid

Dauid nomine locutus est. Rabbi Iodon: vt mihi canere non licuit ad eam diem, cum probris omnibus fui acceptus, ita Israelis Filij, vbi Messias aduenerit, non musicis indulgent canticis in id vsq; tempus, quo Messiæ contumeliæ, ac probra illata fuerint; vt in Psalmo octogesimo octauo traditur: *Exprobrauerunt inimici tui Domine, & exprobrauerunt talos Christi tui*. Et Psalmi sexti decimi Hebraica explanatio conceptis idem verbis refert. Quod etiam quamplurimis Talmudistici voluminis locis videre est.

CCXVII. Postquam principem capitis huiusce partem, tot, tamq; robustis Sacrorum Librorum testimonijs; tot, tamq; præclaris Rabbinorum melioris notæ argumentis planam fecimus; promissi alterius præstare fidem reliquum est; nempè vt mysterij, cui fidem adiungimus, rationem proferamus in apertum; quò Iudæus cæcus planè, ac rudis in contemptu magnitudinem, in stultitia, vt Gētes credunt, sapientiam, Dei virtutem in imbecillitate, gloriam deniq; suspiciat ipso in probro. Percurramus singula. Elucescit in Crucis contemptu Dei magnitudo; si enim abiectio via est, quæ ad dignitatem ferat; nulla ad fastigium via compendiaria magis est, ac Crucis humilitas. Ad Deum hominem sermonem intendit Dauid, quem, ait, optasse Occidentem ad ascensum: *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*: Nodum planè offert haud contemnendum. Procliuior ad descensum occidens, quàm ad ascensum aptus; Eum Sol extabescente iam die, se dat præcipitem, cursum agit in Occidente. At iam perspicio, quorsum Dauid collimet. Diuino loquitur de Sole Christo IESV; quem ad sublimius euectum fastigium contendit edocere, cum Crucis in occasu tabescebat; cum in speciem despicatui opportunior credebatur: *Super occasum quippe Dominus ascendit, quia vnde in Passione occubuit, inde maiorem suam gloriam, resurgendo manifestauit*: commentatur venerabilis Beda: maiora magnitudini incrementa suæ ex Crucis contemptu videtur Christus fecisse lucri. Despexit Dauidem Michol, cum illum Regia exutum Purpura, abiectumq; vidit ante Arcam: *Quam gloriosus hodie fuit Rex Israel discooperiens*

Dei magnitudo in Crucis humilitate elucescit.

Psal. 67.

2. Reg. 6. *se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris* :Ità illa Dauidem ironicè excipiebat. Quid causæ fuit, quominus Christi humilitas non Mariæ Sanctissimæ præbuerit ad questus argumentum, quod Michol Dauidis contemptus suppeditauit? Hæc aulam incolebat; ad Crucem illa commorabatur : *Stabant autem iuxta Crucem IESV mater eius*. At verò si in aula dedecori est humilitas; in Cruce honori est contemptio. Fato iam proximus decumbebat Iacob; cum Ephraimum, & Manassem, quibus ominantia feliciter verba impertiret, Ioseph deduxit : maiorem natu ad dexteram, ad sinistram minoré admouit : Iacob autem decussatim aptauit manus, & minori dexteram, sinistram maiori imposuit : *extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris : Sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus*. Minor itaq; Domini dignitatem obtinuit; maior verò suæ conditionis noui hominis sortem non excessit. Vnde ea minori præstantia? manus in decussim Iacob extendit, & Crucis typum expressit, quo omnes faceret certiores, vel Crucis signo exigua etiam initia prolixè admodùm excrescere: *Manuum cancellatio salutiferam Crucem adumbrabat; atq; inferioris adductio nouum populum subindicabat per huiusmodi habitum modo non edita voce clamãs: cum Crux in benedictionem apparebat inferior populus augebitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* inquit ingeniosè Isidorus Pelusiota. Quod olim prolusit in Sciagraphia; reapse postmodum absolutum est : Quippè ex Crucis contemptu gradus effinxit Assertor, quibus ad maiorem conscenderet dignitatem, quemadmodùm Author est Apostolus : *Videmus IESVM propter Passionem mortis gloria, & honore coronatum*. Facit fidem dictis Christus affixus Cruci. Tota ingemiscente natura pendebat à Cruce Seruator, cum animum tradidit in Aeterni genitoris manus: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Quid, quæso, non illum in Sanctissimæ Parentis manus credidit, quo acri doloris morsu perstrictam hoc pignore solaretur? Quid non discipulo illi, quem habebat in amoribus; Iure enim animus

Ioan. 19.

Genes. 48.

l. 1. Epist. 362.

Ad Hebr. 2.

Luc. 23.

illi

illi crederetur, quem amor optauerat suas in curas? at nusquam terrarum locus est, qui Christi crucifixi magnitudinem æquare valeat: Accipè Ambrosium: *Nunc commendàt in manibus Patris Spiritum suum, quia totum aliud non capit Christum*. Actus est in Crucem Christus; vnde tantam sortitus est magnitudinem, quantam totus capere nequit Orbis; Vnus non sufficit Orbis eximiæ adeo Maiestati.

CCXVIII. Partem alteram aggrediamur: Suos è Cruce Radios Diuina emisit Sapientia: eosq; emisit, vt assequi nequierit Petrus humanitatis in Cruce agnitionem, qui Diuinitatis gloriã cõplexus fuerat mẽte: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Cum vero Christum conaretur à Cruce auertere, acceptus ab ipso est asperè; & ignorationis arguitur: *Non sapis ea, quæ Dei sunt*. Ergo ne Diuinitatis arcana patent Petro; & fugiunt humanitatis mysteria? Videtur hominum mens Diuino instincta lumine posse Diuinitatis præstantiam in ipsa assequi Gloria, at in assequenda humanitatis in Cruce dignitate videtur deficere nõ immeritò. Re vna, & altera liquido perspicitur. Primum in ius, fasq; scelus, ac improbitatem per Crucem immutauit. Deinde quod sceleri inseruierat, addixit probitatis obsequio. Quod ad primum attinet; in rectum nefas Crucis interuentu mutauit Deus. Testatur Ioannes se Dei vidisse gloriã, vbi vidit Deum hominem factum, vt in hominum salutem mortem occũberet ligno affixus: *Vidimus gloriã eius*, idest, *fixuram clauorum*. Ruperti scholium est: Dei in Crucem acti eam vidimus gloriam, ac Maiestatem, quanta decebat Dei Filium. Probra in decus vertere, Dei est Sapientia, præterea neminis. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre*. Honorem in dedecus immutare, comparata ità est hominum natura, qui omnia perdunt, vexantq; At contrà, gloriam ducere ex probro, vnius id est Verbi, hoc est, Dei Sapientiæ. Quod ad alterum attinet; nimirũ cogere ad virtutis obsequium, quod sceleri inseruierat, admodum patet. Princeps nostri mali causa arbor extitit: Alteram in Deus, qui nostræ faceret felicitati initiũ, suffecit. Prædicandam haud dubiè sapientiam! quæ ipso in malo

Sapientia suos in Cruce Radios emisit.

Math. 16.

Facilius quodãmodo videtur posse Diuinitatis dignitas, quã Humanitatis in Cruce gloria cognosci.

Deus per Crucem in rectum nefas immutauit.

Ioan. 1.

Quod sceleri inseruierat, addixit virtutis obsequio.

malo noſtram elaborat vtilitatem. Adamum leui ex puluere effinxit Numen; cũq; illi addere animos, ac firmũ reddere aduerſus bacchantium ventorum flatus voluiſſet, leuem oris auram afflauit in pondus: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*. Nouam planè artẽ! aura in ventum Deus armat puluerẽ? Quid aptius ipſius ruinæ credi poſſet? Omne peperit Arbor hominibus nocumentum; alia Diuinæ Sapientiæ conſilio totius felicitatis caput fuit. Eximium igitur ſui ſpecimen in Cruce exhibuit Sapientia. Rem aſſerit firmiùs eiuſdẽ Crucis Typus; fuit is lignum illud, ac Serpens, quem Diuino iuſſu Moſes extulit in ſolitudine vnicã Populi vlceribus opem; ad quem alluſit Chriſtus apud Ioannẽ: *Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, &c.* Inauditum planè medicinæ genus! inde opẽ ſperare, vnde inflictum eſt vulnus: morbi cauſam fixo obtutu vſurpare, vt arceatur morbus. Si à ſerpentibus plagas accipiebant Hæbræi, qui illis faceret medicinã ſerpentis conſpectus? eruamus rei arcanum. Cum Deus ſapientis nomen impenſiùs ambit; ex ijs, quæ damno fuerant, decerpit emolumenta: ſanitatem reſtituet ſerpens, quam eripuerat alter: *Voluit Deus, vt illi qui à ſerpentibus icti erant, per ſerpentem ſanarentur, ut magis miraculũ appareret*: inquit doctiſſimus Maldonatus. Nullibi venuſtius Sapientia eniteſcit, quam vbi antidotum reddit, quod venenum fuerat.

Geneſ. 2. — *Ioan. 3.*

Dei fortitudo in Crucis imbecillitate emicat.

CCXIX. Tertia capitis pars in Crucis imbecillitate Dei fortitudinem receperat demonſtrare. Ea eſt Crucis Virtus, vt vel illius vmbræ proiectior audacia nequeat obluctari. Nubis cuiuſdam patrocinio tectus inibat viam Iſraeliticus Populus excuſſo iam Pharaonis iugo; qui illum obfirmatè eſt inſequutus: *Perſecutus eſt Filios Iſrael: At illi egreſſi erant in manu excelſa*. Venditabat ſibi Pharaonis ſuperbia, vel potius mali Dæmonis, quem exprimebat Pharao, poſſe ſe Deo palmã præripere. Cùm ſe Iacob, neſcio quando, iactatum cerneret, & inſequutum, confugit ad Bethel, vbi olim ſcalã viderat in ſomnis. Hic animos deſponderunt ipſius hoſtes, & inſolitus illos terror inceſſit: *Terror Dei inuaſit omnes per circuitum Ciuitatis, & non sũt auſi*

Exodi. 14.

ausi persequi recedentes. Annotatu dignissimum est, tantum inesse Pharaoni audaciæ, vt ingentem hominum vim, quorum causam tantæ Deus habebat curæ, ausit impetere: hostes verò Iacob tanto perfundi metu, quem Deus non visibili tegeret patrocinio? Quid tantum creauit discrimẽ? Id profectò est; quem modo Iacob locum incolit, se ibi olim obtulit videndam Scala illa illustris apprimè Crucis typus: *Vidit in somnis scalam.* At vero, vel ipsa Crucis Sciagraphia eum hosti offundit terrorem, vt, quæ Deo ipsi bellum audet indicere, Cruci non ausit præfractior superbia: *Dominus innixus scalæ Christus est in Cruce pendens*; explicat Augustinus. Pergat modo Iudæus Christianæ Crucis potentiam, ac virtutem abnuere; quæ in ipsorum maiorum patrocinio eminet haud obscurè. Exitij vltimi horrore perfusam fęminam viderat Ioannes; in illam ferebatur Serpens odio inexpiabili. Quò præsenti euolaret periculo, *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ.* Quænam hæ sunt alæ, quibus fęminæ vtendum est pro clypeo, ad arcendam tanti aduersarij vim? Designant haud dubiè Crucis brachia, quæ Dei Filium sustinuere in se se. Mentem hanc tenet Andreas Cæsariẽsis Apocalypseos Interpres primæ notæ tùm antiquitate, tùm authoritate. *Ab initio in præsidium data est ei charitas in Deum, & in proximum. Huic porrò addita est eius prouidentia, qui per nos in Crucem actus est, quæ simul omnia per alas designantur.* Non modo fauet, ac tegit Christi virtus, verum etiam tutatur, ac defendit. Nullum est scutum vulneribus ità imperuium; nullum præsidium periculis ità alienum, ac Crucis patrocinium. Quominus in Saulis inuidiam incideret, Dauidem Israelis Regem inungere, haud mediocriter Samuel pertimescebat. Quò illum Deus faceret securum discriminis; vt vitulum tolleret, quo sibi faceret, dedit in mandatis. *Vitulum de armento tolles in manu tua: & dices: ad immolandum Domino veni.* Vt tanto Samuelem metu exoneret, vituli Sacrificium imperat? Et quidem iure. Proludebat enim vitulus Christo hominum libertatem in Cruce exequenti. *Vitulus quid est, nisi splendor imaginis Redemptoris?* inquit Antistes summus

[Margin notes: Genes. 18. — In Cat. Lyp pom. — Apoc. 14. — c. 35. — 1. Reg. 16 — l. 6. in 1. Reg.]

mus

mus Gregorius. Vbi verò aderat Christi imago in salutis humanæ gratiam Cruci suffixi, nihil esset, quod timorem posse incutere; Nihil quippè est, quod Dei ad Crucem acti potentiam, ac virtutem aliqua valeat ex parte frangere.

Dei gloria in Crucis probro gloriosiùs nitet.

CCXX. Reliquum deniq; est, vt de postrema omnium parte sermonem exequamur. Ea est Dei gloria Crucis probro illustriùs emicans. Si enim Christi potentia magnum sibi in Cruce decus obtinuit, non illi profectò primas cesserit Christi gloria. Deum insidentem currui luminibus vndiq; circumfuso vidit Ezechiel, & vt faceret visioni fidē,

Ezech. 2.

Diuinæ instar gloriæ vidisse se testatur: *Hæc visio similitudinis gloriæ*. Componamus huiusmodi locum alteri Ioannis. De sua in Crucem euectione Assertor loquitur. *Cum*

Ioan. 12.

exaltatus fuero à terra. Quæ quidèm verba adscribit Ioannes gloriæ illi, quam in Templo aspexit Isaias: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam Dei*. Hic rei nodus; quæ se Ezechieli gloria obtulit, similitudo tantum gloriæ est: *Visio similitudinis gloriæ*; de qua apud Ioannem gloria sermo est, sola dicenda est gloria? *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam Dei*. Hæc reapse æstimanda est gloria; illa altera, gloriæ tantum instar sortietur? Factum belle! Assidentem Cœlo Deum vidit Ezechiel, de Deo Cruci affixo Ioannes loquitur: at Dei crucifixi gloria nescio quo pacto superat Dei gloriam, cum se videndum Cœlo exhibet.

Dei hominis in Cœlo gloria concipi nequit nisi comite Crucis maiestate.

CCXXI. Illud etiam addere mihi liceat, Dei hominis in Cœlo gloriam non posse ad plenum concipi, nisi comite Crucis Maiestate. Quinto, & vigesimo capite apud Matthæum edocet Seruator, gloriam, ac Maiestatem; qua extremi iudicij die, de mortalium causis laturus sententiam in Orbem iterum se se conferet: imponitq; finem orationi omnium ad oculos referens, quam sunt adepturi felicitatem quotquot tanto ipse bono destinauit: sed initium facit è vestigio, quos in Cruce perpessurus erat, cruciatibus: *Scitis*

Matth. 25

quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, &c. Verùm quid commercij intercedit inter Christi Crucem, ac Beatorum felicitatem? Planè arctissimum; ità vt altera

nequeat

nequeat ſine altera explicari. Ni ea potius ſentẽtia arrideat: nimirũ Crucẽ Beatitudinis partẽ eſſe: *In Sede Maieſtatis ſuæ ſe ſeſſurum declarat, vt Diſcipuli Sacramentũ Crucis admixtũ eſſe gloriæ æternitatis cognoſcant*. Ità Pulchrè Diuus Paſchaſius. Qui pulchriùs Sacramenti nomen Cruci indidit: *Sacramentum Crucis*. Satis conſtat Sánctiſſimam Euchariſtiam ſibi ſpeciatim hoc Sacramenti nomẽ vſurpaſſe: quiddam in hoc elucet, quod eſt alijs alienum: alia oculos fugiunt, hoc fallit: credenda alia imperant, quæ non videmus; hoc contra, ac intuemur. Quæ enim videmus, Panem monſtrant: at quæ credimus, nihil minus; Chriſtum enim ibi adeſſe profitemur. Haud ſecus Crucem non inuenuſtè gloriæ Sacramentum dixeris; Si oculorum aciem ad Crucem conuertimus, non niſi probra offendemus; ſi Fidem, nihil, niſi gloria, occurret: non Panem, ſed Panis ſpeciem, ſub qua deliteſcit Chriſtus in Euchariſtia, attingit intuitus: quæ opprobria in Cruce ſe ſe oculis ferunt obuia; non opprobrij, gloriæ ſunt æſtimanda argumenta. Hoc monitos nos Chriſtus voluit, cum Iudas ſuo diſceſſit è cõſpectu, vt ſuis illum inimicis daret venum, quo in Crucem raperent: tum enim temporis; *Nunc*, dixit, *clarificatus eſt Filius hominis*. Quid ſe totum affluentem gloria dicit, cum eum Iudas contumelijs omnibus onerandum prodit? id eſt, quæ in Cruce feruntur, iniuriarum ingenium; quę eæ ſunt tantummodò in ſpeciem; Reuera eximiæ gloriæ momenta. Ad hæc; non magnam Chriſto affirmarunt gloriam, quæ perpetrauit prodigia, apertiſſima Diuinitatis ſuæ argumenta, & ſuam ſibi gloriam gratulatur, Crucis probra proximè ſubiturus? Et meritò, inquit pulcherrimè Auguſtinus: *Non eſt clarificatus faciens Diuina, & clarificatus eſt patiens humana*. Maiorem ſibi ex Cruce, quâ dolet, gloriam Chriſtus comparat, quam ex prodigijs, quæ patrat. *Ioan. 13.*

CCXXII. At ſi ſuæ Chriſtus per Crucẽ conſuluit magnitudini, vt ipſe monet apud Ioannem: *Cum exaltatus fuero à terra*, vehementer etiam conſultum per illam voluit mortalium vtilitati. Deum alloquebatur Dauid, quem plena hominibus manu impertiri bona dicebat: *Aperis tu*

Chriſtus ſua in Cruce, et ſua conſuluit gloriæ, et noſtræ vtilitati.

 manum

Psal. 144. *manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Vt Orbem significet affluentem bonis, quid Diuinas appellat manus? Cur huiusmodi beneficia non potius à Diuinis ex-
Matth. 8. pectat verbis, vt postmodum præstitit Centurio? *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* loquebatur Dauid de Dei manibus affixis Cruci: *Aperis tu manus tuas expendens*
Homil. de fest. Cruc. *eas in Cruce, & imples omne animal Patris tui beneplacito.* prodidit literis Diuus Germanus. Crux vero fons ille est; è quo largo in homines flumine bona promanant: nostris illa malis fert opem: medetur morbis; errores dirigit, lapsus corrigit, pellit caliginem. Tot inter commoda, quę Crucis beneficio obtinemus, tria tantum perstringere est
Crux vitā nobis affirmat. animus. Primum vita, gloria alterum, tertium deniq; salus est. Vitam sola in Cruce affirmari, certum est. Somniarunt duo Pharaonis serui; alterum tres frumenti cani-
Genes. 40. stros capite sustinere; vitem alterum portare manu, è quā pampini tres pullulabant, & foliorum calathis luxuriantes, & fructus vbertate conspicui. Primo mortem, vitam alteri pręđixit Iosephus. Cur illi interitus è frumento, huic è vite vita prænuntianda est? Nempè tria illa vitis virgulta; *videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines;* tria Crucis ligna præ se gerebant: Crucis verò typus vel in sō-
Crux nobis gloriæ causa est. nis vitam parit hominibus, & æternam reddit. Alterum, quod mortalibus conferre solet Crux, gloria est. Moses, & Elias, vt meminit Lucas, in Thaboris vertice Maiestatis Radijs circumfusi conspecti sunt: *Moses, & Elias visi in Maiestate,* vel vt habet Syriacus codex: *visi in gloria.* Nemo nescit, quâ Moses gloriâ affulserit in Sina Monte, Dei colloquio vsus ita familiariter, ac solet amicus alteri maximè assuetus. Quis non miratur Eliam igneo in Cœlum raptum curru: At nusquam Mosen, & Eliam gloriosos prædicant Sacræ Literæ, nisi in vno Thabore, ibi enim sermonem cædebant de Cruce: *dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem.* Et quidèm homines vnius Crucis beneficio, gloriæ fiunt compotes. *Moysen, & Eliam clariores, quam in viuis fuissent, exhibuit ibi Dominus, futura Crucis signa commemorantes.* inquit disertè admodum Timothæus

mothæus Antiochenus. Ex quo patebit dilucidè causa, cur efflagitanti olim Mosi, vt suam illi gloriam exhiberet, *ostende mihi faciem tuam*, reddiderit Numen; *ponam te in foramine petræ*, hoc est in conspectum Christi Cruci affixi, quẽadmodùm ex Hebræo Codice eruit Pater Lorinus vir in primis sapiens: *Retinebo te in contemplatione Christi passi*. Tunc enim Moses quam expetebat gloriam, assequeretur; si oculos (tametsi è longo adeò interuallo) ad Christum è Cruce pendentem intendisset. Itaq; sola Crucis contemplatione in veteri olim Testimonio reperit Moses felicitatem; & in nouo ex vnius Crucis sermone gloriam hausit: *Visi in gloria dicebant excessum*. Tertium deniq; quod recepimus differendum, salus est, quæ quidèm iam inde ab ipsis rerũ initijs vnius tantũ Crucis virtute comparari posse visa est. Adami vestem mutauit in Paradyso Deus; cum enim sibi vestem consueret ex fici folijs; (iam tum ad carnis macerationem foliorum asperitate expressam cõfugiebat) illum tamen spoliauit hac veste; aliamque Agnorum è pellibus sartam Adamo induit: *Fecit ei tunicas pelliceas*. Quò ipsum edoceret, tanto sceleri opem non ab illius supplicio implorandam; sed totam inde prouenturam, à morte videlicet Dei Filij, quam erat in Cruce oppetiturus, & ipsi, & ipsius nepotibus admota. Hanc itaq; indueret, assidueq; præse ferret; cuius beneficio saluti suæ consuleret vtilissimè. Quod primum typus expressit, absoluit postmodum Seruator. De animi salute acturus actus est in Crucem Dimas, sanctissimè ipso in supplicio sceleratus; furandi artem non reliquit, sed mutauit, qui alienas quondam opes inuolabat, in Cruce rapuit Cœlum ipsum: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Sua illum de salute certiorem fecit Christus; at silentio pressit Gestæ damnationis sententiam, qua id, roget quis, de causa? quia in Cruce non iudicis, Seruatoris prouinciam sustinet; non damnationis Tribunal, clementiæ Crux ara est.

Ser. de trãsfig.

Crux nostræ salutis principiũ.

Genes. 3.

Luc. 23.

CCXXIII. Quid igitur tot illustrata testimonijs suas adhuc in tenebras se se abdit Synagoga; nec merito prosequitur officio Deum illum, ac Dominum, qui se totum He-

bræorum commodis priùs nuncupauit, quàm Ethnicorum; qui illum excepere, amplectuntur, ac retinent. Obfirmatam pectoris rupem tandem emolliat genus hoc hominum; Fiat Christo obnoxium; ac tandem agnoscat, se eò maioribus illi beneficijs obstrictum, quò acerbiores cruciatus, fœdioraq; probra pro ipsius salute est perpessus: *Commendat*
Ad Rom. 5. *charitatem suam in nobis Deus* (inquit gentium Doctor) *quoniam cum peccatores adhuc essemus secūdum tempus Christus pro nobis mortuus est*: quasi diceret: multum est quod Numini gratulemur; ob eximia beneficia, & amorem, quibus in prima nos molitione deuinxit: qui tamen amor, si illi conferatur, quo nostræ salutis gratiâ hominem induit, & vitā nostræ libertati immolauit; cùm etiamnū peccādi finis minimè à nobis fieret, id est, cum Deo adhuc inimici essemus; si huic, inquam, conferatur ille alter, longè præstantia primum relinquet. Caueat itaq; Iudæus, tantum suam amet caliginem, vt contrà, ac æquum est, exequatur.
1. Corint. 1. *Inde contra Deum homo scandalum sumpsit, vnde amplius debitor fieri debuit*: admonendum etiam censui de alia Diuini amoris commendatione hocce in facinore Redēptionis. Est huiusmodi. Principes nostræ libertatis hostes nos ipsi fuimus; vna tantùm Dei clementia, quam tamen scelera nostra vehementer læserant, nostras agebat partes, & nostræ saluti consulebat. Cum nostra enim natura ad tantam in Christo adspirauerit nobilitatem, tantumq; vtilitatis fecerit lucri, hostilius nostræ saluti, ipsiusq; amori pugnam indixit. Quod mirè patefaciunt Christi Verba, quæ cum

Nos ipsi nostræ libertatis hostes fuimus.

Matth. 26 Aeterno Parente in horto fecit: *Si possibile est, transeat à me calix iste*. In his certè precibus in cassum missis manifestè est proditum Dei benignitatem humana certasse cum natura de hominum salute; nihil enim hominum natio caperet emolumenti è potentia Redemptoris, si subscriberetur postulatis, quæ in Christo humani generis imbecillitas emittebat. Itaq; duplici ad Verbi Hypostasin coeunte natura humana altera, quam accepit, altera Diuina, quam inde ab ipsa æternitate habebat, quam è nobis induit, nostris vel in illo commodis ibat obuiam; nostram verò causam

Diuina agebat Natura, & nostram libertatem ipsius amor impensè curabat. Nulla igitur nox densioribus obducta tenebris reperiri valet, quàm inde arripere alienationis causam, vnde maioris officij, obsequijq; rationem capere, æquum vehementer erat: Crucem, flagella, intextum sentibus Diadema, cruciatusq; alios, quos pertulit Orbis Assertor, quis nescit notas esse, quas cordi, oriq; inussit; & quibus nos haud dubiè impulit, magis, magisq; ipsius charitate teneri.

CCXXIV. Quæ Deus pro mortalium libertate, & egit, & pertulit, illo aliena admodum, atq; indigna fuisse haud diffiteor; nihil enim Deo alienius, indignius vè, ac dici natum tempore, & alligatis scelere parentibus Deum illum, de quo Vates Regius Aeterni Genitoris nomine inquit: *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* Aeternitatem designat in luce; in Sanctorum splendoribus indicat sanctitatem, qua est natus. Neq; quicquam rationi absurdius offerri quiuerat, ac editum in lucē dici paupertate extrema circumuentum, & stipatum animantibus Deum illum; cuius magnificentiā summa Prophetes effert prædicatione: *Plena erat omnis terra gloria eius, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Deum suæ Maiestatis innixum solio aspiciebat Prophetes, cuius gloria vsq; eo superfluebat, vt Orbem Vniuersum longè latèq; compleret; cuius Reliquijs se comebant ad pulchritudinem cœlestes Orbes; ij enim exprimebantur à templo, in quo se Deus obtulerat Isaiæ.

Se ipso indigna, nobis necessaria Deus perpessus est.

Psal. 109.

Isai. 6.

CCXXV. Nihil etiam longius à summa abhorret dignitate, quam dici obijsse damnatos inter latrocinij homines Deum illum, è cuius facie tota pendet Angelorum felicitas. *In quem desiderant Angeli prospicere.* feliciſſimè egregius Tertullianus, *sibi quidèm*, inquit, *indigna; nobis autem necessaria; quod enim Deo indignum est, mihi expedit.* Deo enim hominibus opus, qui cū afflueret diuitijs, amaret paupertatem, qua nobis cœlestes opes compararet: vt planè docet Apostolus: *Propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Deo hominibus

1. Petr. 1.

2. Corint. 8.

bus opus, qui cum ſuapte naturà ſumma acquieſceret in Beatitudine, ambiret humilitatem, & aſpiraret ad dolores, quò ſempiternis nos eximeret calamitatibus, vt monet idẽ Paulus. *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit.*

Ad Philip. 2.

CCXXVI. Deo tandem hominibus opus, qui cum ipſa eſſet vita, ſe morti dederet, vt nobis vitam impertiret: *Si poſuerit animam ſuam videbit ſemen longæuum.* Hanc igitur lucem, hanc gloriam, hunc eximium Crucis honorem, & Chriſti mortis Deo ità aliena, atq; indigna, ſi Dei Maieſtas æſtimetur; ſi verò hominum cauſa, tàm Deo decora, quàm digna, peramanter amplectimur, & Fide colimus; hæc Orthodoxa docet Eccleſia: hæc Iudæos credere, hæc agnoſcere Synagogam oportet. Et depoſitis inuidiæ, atq; odij ſtimulis nouo flagrent Diuini amoris incendio; ità enim tanti beneficij gratia aliquâ ſaltem ex parte referri valet Numini. Atq; ità cum Elia ſuſpenſo poſſunt naſo inanes ſuos Prophetas, & Pſeudodidaſcalos irridere. Contendant, iubeant, vocem, vt queat penetrare ad Meſſiæ illius aures, quem ipſi etiam nùm habent in ſpe. Qui forſan totus in copiarum delectu, & inſtruendis ordinibus, vel tot viarum laſſus moleſtia animi cauſa moram alicubi trahens, vel deniq; poſt egregium aliquod prælium, quod cum hoſte conſereret, defatigatus, ni ſtentorea clament voce, minus audiet.

Iſai. 53.

Magna eorum, qui Chriſtum occiderunt caligo, ſed maior eorũ, qui illũ modò negant.

CCXXVII. Prædicanda planè illorum caligo extitit, qui Chriſtum rapuere in Crucem, cum tamen illius vita, prodigia, & expleta in ipſo Vaticinia ipſorum oculos laceſſerent ad intuitum; ſed omnibus nominibus maior illa eſt, quâ noſtræ memoriæ Iudæi laborant. Prima enim dãda eſt ignorationi; quippè quæ non explorauit ad plenum, nec ſcelus agnouit funditùs: vt diebus à Chriſti Liberatoris nece oppidò paucis Apoſtolorum Princeps admonuit: *Scio, Fratres, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri: Deus autem prænuntiauit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum, ſic impleuit: Pænitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* At enim altera Iudæorum

Act. 3.

dæorum caligo ſceleri adnectit tenacitatem, & deditâ operâ perſtat; Cum enim annum agitet ſeſquimilleſimum centeſimum ſexageſimum , quo minus tàm longo temporis ſpatio reſipiſcat, & in veritatis, ac Prophetarum penetralia ſe ſe abdat, elaborat quantùm poteſt Sacra Oracula præpoſterè explanare, & ſuppoſititio ſenſu corrumpere;atq, integerrimam Chriſti diſciplinam, & quidquid Chriſtus de ſua prædixit Eccleſia,quod ſuis planè numeris expletum vidēt, ſummo conantur ſtudio euertere : Sceleratius hi quidèm peccant, quam qui mortem Chriſto irrogare ſunt auſi ; factum quippè probant, & idem conſciſcunt facinus : ad hæc deſpiciunt Chriſti ſanguinem ; & Redemptionis beneficio vti nolunt.

CCXXVIII. Magna, inquam, eſt hæc Iudæorum cæcitas; inde enim accipiunt noctem, vnde lucem haurire æquum erat. Hæc cauſa Chriſtum egit in Crucem,hominum ſcilicet conſulere ſaluti, & mederi caligini ; nullibi enim ſe Seruator præclarius pro ſua geſſit dignitate,ac cum Crucem ſubijt in hominum gratiam . Pedem cum illo Iacob contulerat, & licèt euigilaret tùm temporis Iacob , non agnouit quo cum luctaretur. *Ecce vir luctabatur cum eo. Interrogabat eum quo appellaris nomine?* cum illum antea agnouerit, quem viderat Scalæ innixum; tametſi in ſomnis: *Vidit in ſomnis Scalam, & Dominum innixum Scalæ.* Obrutis ſomno oculis aſſequitur Deum Iacob ; quem tamen neſcit recluſis luminibus ; ſed quid mirum pateat dormienti Deus, ſi innitebatur Scalæ Crucis typo, quam poſtmodùm erat ſubiturus ? hæc enim faciles adeò ad Chriſti agnitionem aditus patefacit,vt nec fugiat vel dormientes : iccircò Iacob ſomno immerſus cognouit , quem oculorum compos prorſus neſcijt ; Agnoſcas faciliùs Deum , ſi Crucis pendentem brachijs aſpicias, quam ſi tuis amplectaris.

Crux faciles ad Dei agnitionē aditus patefacit.

Geneſ. 32.

Geneſ. 28.

CCXXIX. Vt præuiam Magis lucem, qui eum dies natum minimè multos venere adoratum,indulgeret Chriſtus, nouum in lucem aſtrum edidit , quod non modo viam ſuis munijt radijs; ſed veritatem etiam mirè edocuit, nimirum , tenellū illū infantem tenui admodū hoſpitio exceptū Meſ-

Crux clariſſimæ lucis vice eſt

ſiam

siam esse hominibus toties receptũ : Vt vero Centurionis, aliorũq; mentibus lucẽ ingeneraret, qui illum, quem sic viderant expirantem, totis vocibus Dei Filium nuncupabãt: *Vere Filius Dei erat Homo iste*; non modo recentẽ lucẽ non produxit; sed Cœli funalia, Solem, Lunam, ac cæteros Cœli oculos extinxit: *Obscuratus est Sol, & tenebræ factæ sunt.* Veritatem in Ortu produnt nouæ lucis Radij; eandem in occasu indicat obducta tenebrarum caligo? Innotescit illustrius Christi Veritas extinctis Mundi luminibus? Non magni res est negotij siquidem Cruci suffixus pendebat Assertor: At quò se Deum esse, & Messiam terris promissum, qui in Crucis patibulo egit animã, planũ faciat, ità vt omnes ipsũ agnoscant; non externa face indiget adhibenda. Ipsa Crucis tolerantia præstãtioris lucis vice est: Cruciatuum patientia Christi diuinitati testimoniũ dedit optimũ, maximũ. Hoc forsan habuit in Consilio Deus, vt oculorum acies hic obduxerit, cũ prodidit Crucis mysteria; neq; enim hæc liber oculorum aspectus assequitur; patent felicius, si lateant oculos; alijs, id est, corporis oculis interdici conspectum, imperari alijs, hoc est, animi, opus est, si Crucis mysteria quis amet noscere: Memorauimus supra; Iacob in Dei venisse cognitionẽ incumbentis Scalæ, cum somno grauius præmebatur: *Vidit in somnis Scalam stantem super terram, & Dominum innixum Scalæ.* Non vano Crucem augurio Scala adumbrabat; Dominus verò innixus Scalæ Christum exprimebat affixum Cruci pro salute mortaliũ. Quid igitur, si studet Deus, Crucis mysterium Iacob edocere, illius oculos obducit? Vt mentis aciẽ acueret, oculorum lumina languere iussit: Soporẽ immisit sensibus, vt nudaret arcana; Christianæ enim Crucis mysteria vni se produnt rationi: in quæ iccircò se se abdidit Iacob; quia non adhibuit ad consilium sensũs. Idem significarũt ij, qui reciproco gradu ascendebant modo, modo descendebant. Cœlestes aulicos mirabatur ascendentes Iacob, vt Dominum Scalæ Crucis typo affixum cominus contemplarentur; qui protinus admiratione defixi cursum iterum ad Iacob intendebant. Qui Christi crucifixi mysteria contempla-

Matth. 27.

Qui Crucis mysteria assequi amat, corporis oculos claudat, recludat animi.

templaturi se se tollunt humo, Angelos iure dixeris; non homines; Domini quippè magnitudinem Scalæ humilitati amicè componere; hoc est, Christi Maiestatem, qui Cruce occubuit, ipsius Crucis abiectioni, non hominum quidèm, atq; adeò Angelorum est: hominum, inquam, est, qui se totos ad Angelorum mores effingunt, non hominum, qui sensuum capiuntur illecebris; Angelorum est, qui ex rationis præscripto menti obtemperant. Christianæ Crucis mysteria assequi sola valet rationis potentia; neq; enim humanorum sensuum tarditas ad ea potest aspirare. Et cum Iudæi sensuum legibus inseruiãt præfractis rationis claustris; cum ad examen sensuum vocent, quod sola rationis trutina librari æquum erat; ea propter illis odio, & inuidiæ est; quod Christo amori fuit, & clementiæ, nimirùm hominum emere libertatem suo sanguine. Qui Crucis mysteria cõtemplãtur, iure Angelos dixeris.

CCXXX. Præclarum haud dubiè mysterium est! eximium planè beneficium. At Diuina nescire beneficia, stultorum prorsus est; Sapientes enim ea agnoscere ad suũ honorem non mediocriter interesse credunt. Vili in tugurio Christus enascitur: Quem tres ab Oriente Reges de genu adoraturi viam ineunt: *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Quis hos tanta locorum intercapedo non deterret ab incepto? vel quid Herodem, Herodisq; clientes loci propinquitas non inuitat ad officium Deo nato exhibendum? Patet facile: conspicui illi Sapientia: *Ecce Magi*: & ità conspicui, vt ipsa etiam sydera sublimi ferirent vertice: *Vidimus Stellam eius*: at verò Herodes, Hebræiq; ijs insipientiæ tenebris obruebantur, vt cæci iure audiant: *Cæci sunt, & duces cæcorum*: Magnis lacessebat clamoribus Cœlum Elisæi puer; cum se hostilibus copijs cinctum vndiq; aspiceret: *Heu, Heu, Domine mi quid faciemus*? faciebat illi animos Elisæus, & abstergebat metum; maiorem, inquiens, cęlestium militum esse vim; qui ipsis subibant auxilio: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis*. Quid causæ fuit, vt instructas hostium copias, quæ illum obsederant, Elisæi puer intueretur; & Angelicas acies non aspiceret, quæ arcerent hostium vim! *Ecce mons plenus equorum,* Diuina beneficia agnoscere sapiẽtes maximè nitũtur. 4. Reg. 6.

& curruum igneorum in circuitu Elisæi . Si tot illius erant præsidio destinati, qui tanta offunditur caligine, vt eos nesciat ? Non dum præ ætate cœlestium rerum notitiam acquisierat; & iccircò tantum illũ beneficium fugit; quod tamen cernebat Elisæus, vtpotè qui Prophetes cœlestium rerum vsu versatus haud vulgariter. Diuina verò munera non cognoscere tàm cæcorum est ; quam sapientum idonea gratulatione amplecti : *Quanta est Diuina misericordia,* (inquit Ambrosius) *defertur hominibus beneficium, nec videtur auxilium.*

Serm. 1. de Elis.

CCXXXI. Non me quidèm fugit, eum, qui velit Iudæos argumentis euincere, ea ex veteri Testimonio, ipsorumq; Hebræorum sententijs petiturum ; vt hactenus ipse præstiti. Qua de causa cum ipsis confligere erutis è noua Pagina argumentis,aut Ecclesiæ Patrum sententijs,operam est ludere. At enim, vt vnius, & alterius cœlestem Testamenti Harmoniam ipsorum oculis exponerem; alterum alteri hocce in opere composui; cum certum omnino sit,Diuino tantum concentu posse sibi inuicem musicè adeò respondere ; quo nos de nostræ salutis Authore; ac Parente edoceret. Vnde hoc in capite Sanctissimos aliquot Ecclesiæ Patres in testes adducere operæ duxi pretium ; non quò Iudæos illorum authoritate ad Fidem impellã;sed vt saltem rectæ rationi, quæ in illorũ dictis mirè eminet, dent tandẽ aliquando Iudæi manus ; Ratio enim hominum illius compotem sibi cogit obtemperare; qui secus,ac illa exigit,exequitur; sibi haud dubiè inuidet hominis naturam. Nullũq; argumentum potentiùs valet apud hominem rationis legibus obnoxium , quam fieri certiorem de Dei mente , ac consilio ; vbi enim agnouerit humanæ libertati consulere Filij sui interitu,placuisse Numini, nihil aliud reliquum sit, nisi maioribus, maioribusq; gratijs tantum prosequi beneficium Quod verò nostram sibi mortalitatem Deus induerit , perspectum satis reddidimus in prima huiusce operis parte . Quod vitam nostris commodis nuncuparit ; quod mortẽ oppetierit in hominũ gratiã ; quod Sanctissimũ id fuerit, atq; absolutissimũ, & Diuinæ Sapientiæ opus ; In altera

tera hac parte ad plenum explorauimus. Supereſt itaq; ad tanta Dei beneficia haurienda certatim aduolare: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & emite abſq; argento.* *Iſai. 55.*

CCXXXII. Satis quidèm conſtat, decretum Numinis eſſe nunquã refigendũ, Iſraeliticũ Populũ in tempus bene longũ à Deo victurũ alienũ; & extabeſcente iam Orbe, ſe ad illum rursùs traducturum; vt eſt Oſeæ Oraculum. Verũ non totus hanc infelicitatem incurret Populus: quemadmodũ docet Apoſtolus: *Cæcitas enim ex parte contigit in Iſrael.* Si quis verò roget quare hæc Iudæorum conuerſio veſpertina adeò futura ſit Diuino permiſſu? Si quando, cur modo temporis non reſipiſcant? Eam iam nunc amare Deum, reſpondeo; non per Deum itaq; ſtat, quod non ſuæ è veſtigio felicitatis ſatagant; ſed illorũ eſt ſceleri tribuendũ; non enim Sacrorum Librorum Oraculis fidem habent; nec Rabbinorũ ſuorũ iudicijs credulitatem addicunt; ſed toti voluptatum illecebris deliniti, & nimium amantes ſui ad ſenſuum fidem confugiunt; nec acquieſcere volunt Sacris in Literis, quæ, quidquid de Chriſti Cruce docuimus, præmonſtrarunt haud obſcurè; Ipſi verò ea tantum de Cruce credunt, quæ offendunt oculis; & quam debebant mandare rationi prouinciam, credunt illis. Ea propter tàm lento illis gradu remedium iure adhibebitur. Qua de cauſa Thomæ perfidiæ tandiù Chriſtus non fecit medicinam? Octo ipſos dies perſtitit Thomas, quin Magiſtri anaſtaſi fidem adiungeret. Quo conſilio non admouetur oppidò vlceri medicamen? Nullã cæteri trahunt in credendo moram; Vnus Thomas tandiu obfirmatus perſiſtit? Et merito ità plectitur, qui ſenſibus explorandum cõmiſerat, quod vni licebat rationi. Monebant aſſiduè Apoſtoli reuixiſſe Seruatorem, quẽ ſuiſmet oculis vidiſſe teſtabantur; adiungeret fidem dictis. Et cum ità locuples eſſet teſtimonium, non acquieuit monentibus; ni ſuis oculis facti vſurparet Fidem: *Niſi videro, & mittam digitos in loca clauorum, non credam.* Fidem verò ſenſibus æſtimare, non verò ratione perpendere, vel eſt obſtruere conuerſioni viam; vel remedio moram obtendere; vt Thomæ dies octo contigit, & Iu-

Marginalia: Nõ omnes Iſraelitæ obſtinationis damnabuntur. — *Ad Rom. 11* — Iudæi, quæ debebãt ratione æſtimare, oculis credunt iudicanda. — *Ioan. 20.*

dæis tot ſeculorum decurſu. Chriſtum induent; haud nego, aliquot; ſiquidem itá nos monent Oracula; Sed quando temporis? *ad veſperam conuertentur*. Quippè qui neq; Chriſti Crucem amplecti, neq; rationis iudicijs obtemperare, neq; Sacrarum Literarum authoritati ſubſcribere ſtudent; ſed ſola ſenſuum tarditate ducuntur. Hominem contemplantur contemptum, affixum Cruci, ab inimicis immiſericorditer occiſum; huic hærent cortici, neq; ſe ſe altius inſinuare contendunt: non cauſam diligentius perſcrutantur; cur ageretur in Crucem; neq; Sacroſanctæ Paginæ Oracula inueſtigant, quæ apertè admodum prænunciarunt, Chriſtum efflaturum in Cruce animam; probro ducunt Deum colere, quem inuidioſo affectum ſupplicio hominẽ vident expirantem.

Pſalm. 58.

CCXXXIII. Verùm enim verò, ſi peccantis Thomæ veſtigia inſiſtunt; mutent cum pœnitente factum: ſubſequuti ſunt perfidum; ament fidelem. Adſpirent ad Thomæ facinus; nec vile erit operæ pretium: Aliquid maius planè eminet in Thomæ confeſſione, quod alijs in Apoſtolis deſideratum eſt in Reſurrectione Seruatoris. Alij ſimul illius aſpectu iam immortalitatis induti luce ſunt perfruiti; Dominum ſolummodo appellarunt: *Vidimus Dominum*. Thomas verò, & Deum, & hominem profitetur: *Dominus meus, & Deus meus*: Seruatoris ad pedes prouolutus, facti conſcientia perſtrictus effabatur in hæc verba: *Dominus meus, & Deus meus*. Te & Dominum metuo, & Deum veneror: geminam in te naturam libens agnoſco, Diuinam alteram, alteram humanam: Verè hominem, & verè Deum fateor non inuitus. Sed vnde, Deus immortalis! tàm ſapienter reſipuit Thomas? Alij apertè ſaltem non tantum detulere Seruatori. Nempè hi Chriſti vulnera ſummis, quod aiunt, labris attigere: *Oſtendit eis manus, & latus*, Thomas in illorum penetrale ſe ſe abdidit: *Infer digitum tuum huc: mitte manum tuam in latus meum*. Attenta, accurataq; contẽplatione Chriſti vulnera inſpexit Thomas, quæ negligẽter, & leui inſpectæ brachio minus indicant: at diligenti meditatione perſpecta, maius quid exhibent. Chriſtum hominem

Chriſti vulnera accurata cogitatione perſpecta eum Deũ probant.

Ioan. 20.

nem tantum prima fronte demonstrant: Christum re vera Deum intimo sensu edicunt. Id est, si Christi cruciatus, ac plagæ attrectantur manibus, videntur oculis, nec longius hinc prouehitur; tot hominem circunuentum dolororibus eæ indicabunt plagæ: Si verò quæ ibi latent mysteria, cogitatione eruuntur; Si percipiuntur penitissima consilia, quę Christum ijs patere in Cruce vulneribus, impulerũt; si Aeterni genitoris gloria; mundi vtilitas, delictorum pretium, illius nominis cultus repetatur; Deum indubiè prædicant hominem tanto hominum captum amore, qui nostram omnium salutem tanto redemerit impendio. Enim verò iccircò tot pereunt Iudæorum, iccircò non amplectuntur Christianam Fidem, quia non in intimam Christi vulnerum cogitationem se se penetrant. Sed grata aliquando superueniet hora, qua suâ emergant perfidiâ; etsi continget id vesperi. Ad summam Orbis diem se aggregabit Israeliticus Populus ad Crucifixi Fidem: quemadmodùm ex Osea docuimus, quin hanc felicitatem non omnes, sed aliquot tantum obtinebunt: vti explanauit Paulus. Perpauci quidem numerabuntur, qui Christum induant, & lentè admodum; est tamen huiusmodi mora suæ vitium peruicacitatis. Clementius enim, quam pro illorum meritis, cum illis egit, agitq; Deus. Cum enim Deus primum florem, decus præcipuum, ac præstantiorem Orthodoxæ Ecclesiæ fructum inde decerpserit; non à Fide prorsùs abhorret, Deum indies maiores inde prouentus in Ecclesiæ granaria colligere numero quidèm haud multos, sed præstantia non contemnendos. Animaduertimus cum Ruperto, Iacob, simul atq; benedictione est donatus, altero claudicasse pede, ità in patre filiorum euentum prædocente Deo; è quibus alij lectissimi Filij illum semper debita Religione afficerent; alij ad claudi Parentis ingenium claudicarent. Nunc addere cũ Augustino placet, id re vera euenisse; atq; in Iacob fæmore ab Angelo contrito illius generis seriem fuisse adumbratam. Iacob felicibus, beneq; ominantibus verbis perfunctus Liberos illos exprimebat, de quibus apud Prophetam: Israelis Reliquiæ litabunt Saluti. Iacob

verò

verò affectus pede illos referebat; de quibus scriptum est: suis in vijs claudicauerunt. Itaq; eundem Iacob, & felicẽ vidimus, & claudum, in Liberorum quosdam transfusa felicitate; affecta in quosdam valetudine.

CCXXXIV. Quapropter nominibus omnibus, cui Euangelicæ lucis radius affulserit, patenti debet animo excipere, quo tenebræ, & obducta Iudaismi caligo funditùs dissipentur. Nihil enim æquè testatum esse valet, ac Mundi Redemptio; ex infinita enim testimoniorum vi vnũ abũdè monstraret, Christum esse terrarum Seruatorem; Testimonij quippè Author erat Numen. At enim si quis adhuc suæ noctis amans nobis obstrepit: is secum attentè reputet prædictionum absolutionem, prodigiorum Radios, Idololatriæ euersionem, alienationem Populi, disciplinæ perfectionem, Martyrum Triumphos; si enim hæc libero animo secum attentè voluerit, dicet haud dubiè Vate cum Regio: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet Sanctitudo Domine in longitudinem dierum*: Et quidèm Testimoniorum fide dominabitur Fidei lux; quod æquum, fasq; est, impigrè exequentur. Diuinitatis honorem Christo affixo Cruci adscribent: in lege promissum Messiã fatebuntur, Israelis gloriam, Populi felicitatem, Dei Filium, Vniuersitatis salutem tot seculis expetitam, & concessam mortalibus diù gratulabundi amplectentur.

Psal. 92.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

Os inter, & cor in Fidei professione Harmonia.

Iudæi nonnulli affirmãt sibi licere Christum ore fateri, negare corde.

CCXXXV. EO vsq; deuenit Iudaismi stultitia, vt dixerit bellatoris vindicis Fidem, cuius in spe sunt, satis esse, vt sibi Dei beneuolentiam cõcilient; & salutem; licèt verbis, operibus, ac cultu Religionem prorsùs aliam, & fateatur, & profiteatur. Non irrepsit in

in Iudæos omnes error huiusmodi; sed apostatas incessit, ac rudes; non multum discrepat ab Helchicitarum hæresi; quę anno ab Redempto Orbe ducentesimo in lucem prodijt: Affirmabant flagitiosissima hæc capita; non in magno ponẽdum discrimine Christum in cruciatibus eiurare; modo Christiana Fides corde retineretur. Nostrę ætatis Iudæi cõtra, ac illi; inquiunt enim, licere sibi Christum verbo tenus fateri; & negare corde. Quod quàm è regione aduersetur Sacræ Paginæ doctrinæ, non modò noui Testamenti, & omnium Conciliorum, communiq; Orthodoxæ Ecclesiæ sententiæ: (Iudæos quippè euincere qui studet, illorum armis, hoc est, Sacris Veteris Testamenti libris incorruptis tamen, vtendum ei est) sed Sanctissimis etiam ipsis Literis, quas ipsi amplectuntur, quàm è regione, inquam, aduersetur, nemo sanus non videt. Sacra enim volumina passim docebunt, eum, qui Fidem verè colit; intimo, extimoq; semper cũ tu eam fuisse professum. Et quantumuis affirmatiua, vt aiunt, Lex nec semper, nec vbiq; eandem obtineat vim; attamen nullo vnquam tempore eorum quispiam, qui Fidei verè nomen dedit, peccauit in Fidem; aut sibi id vnquam licere credidit.

CCXXXVI. Quam Religionem, ac cultum Fidei confessione Deo exhibent illius cultores, argumento est; Diuino ipsos amore, Deiq; præceptis insistere; Ille enim Fidus æstimandus est, qui, quam sequitur Fidem enarrat: ille credendus est amare, qui, quo teneatur amore, exponit. Suam olim Fidem Deo probabat Elias; quem, aiebat ipse, se vnũ sequi: *Derelictus sum ego solus*. Me planè fugit, qui id verum habeat? cum meminerint Sacræ Literæ, Abdiæ operà centum delituisse Prophetas, vt grassantem Achabi Regis furorem subterfugerent. Deus deinde Eliæ dixit, septem Sanctorum hominum millia sibi incolumes retinere. Si tot igitur enumerabantur, qui se totos dicauerant Numini, quid se vnum huiusmodi officio non deesse gloriatur Elias? Priuatim alij; publicè Elias victitabat; Sanctimoniæ alij studiosi quidèm, at in vmbra; in Sole, & puluere Elias. Quam animo legem alij complectebantur, non proferebant

Qui verè fidus est, Fidè ore fatetur.

3. Reg. 14.

in

in apertum; illam, & animo, & verbis commendabat cæteris Elias. *Derelictus sum ego solus*, addit scholion è purpuratis Senatoribus Caietanus; *Verum dicit, inter Dei Prophetas tunc manifestat*. Cœlestes illi, quos Isaias vidit, Angelorum apices nec pectori, nec linguæ alarum obtentu ibant obuiam. Cor enim pectore sedem locauit suam; & sua in corde Regna habet amor; hic vero obducendus minimè est; latè sui debet copiam facere. Quam piè in Deum, Deiq; Legem animatus esse valet, qui cum res, aut tempus aliud exigit, eam in pectoris penetralia amandat! Omnes eam detegere, ac confiteri apertè iure obstringi, insitum natura lumen dilucidè admodum patefacit. Enim verò cum cuncta hominis vis in animo, & corpore sita sit, vtrũq; summi Conditoris obsequio addicere, vehementer est æquum; nec absolutus ille æstimandus est cultus, quem alterum tantum adhibuerit. Hinc Sanctissimus Hilarius huius nobis Consilij author est. *Extra querelam iniuriæ est Cæsari redhiberi, quod Cæsaris est; Deo autem, quæ eius sunt propria; reddere nos oportere, corpus, animum, voluntatem; ab eo enim hæc perfecta, atq; aucta retinemus, & perinde condignum est, vt ei totum reddant, qui debere se recolunt, & originem, & profectum*: Si id, quod res est, nostris se mentibus spontè ingerit, nec, non nisi stultè, repudiari valet; quo ferenda est pacto illorum insania, quæ blaterat, posse Deo Religionem corde exhiberi à qua tamē discrepent verba? vel contra, gratum esse Numini honorem, qui verbis ipsi defertur; licèt aliud sibi cor retineat? Hancce stultitiam damnat insitum rationis lumen, & minimè fieri posse, contentiose suadet; nec multis literarum studio impensis opus est annis; aut Sacris Theologiæ sententijs medullitus opus est imbui, hanc veritatem vt quis assequatur. Quiuis, simul ac rationis lumen affulserit, ni affecto sit animo, damnabit erroris hanc sententiam, & malo ortam dæmone iudicabit. Diuina nescit Fides personata incedere; est enim longè Diuinis id moribus alienum. Dum Christus inibat cum Discipulis viam, qui se Emmaus conferebant, æstimarunt alienum, & hominem aduenam Christum: *Tu solus Peregrinus es in*

Debemus Deo obsequi, et animo, et corpore.

Luc. 24.

es in Ierusalem. Summo licèt studio exponendis Sacris Literis operam impenderet, quò illos faceret de veritate certiores: ***Interpretabatur illis scripturas***. Quid ergo in tanta literarum luce cæcutiunt, cum eæ Christo præsertim cognoscendo destinentur? Paucis attigit rem Marcus: *Ostensus est in alia effigie*. Alius, quam qui erat, Discipulorum oculis objiciebatur. Et à Numine adeò abhorret, aliud reipsa esse, & aliud, quam quod est, apparere, vt sui etiam familiares in illius hæreant cognitione; quidquid Sacrorum voluminum clamet authoritas; istius Fidem eleuabat, quā sibi Christus personam induerat. Si hanc sui ipsius dissimilitudinem, atq; adeò simulationem concoquere nequit Deus, qui sua patietur in Fide? Quo me feret animo pectoris sensa ementiri verbis, & me à me diffidere; hoc est, aliud in lingua promptū; aliud in pectore clausum habere. Neq; id exequitur Deus; neq; à nobis fieri amat. Verum enim verò, ne nobis dicam Iudæi impingant, quod noui in ipsos Testamenti vtamur argumentis; ad Vetus vt veniamus, res exigit; indeq; petitis sententijs extorqueamus ab ipsis victoriam. Principem igitur locum obtineat Princeps hominum Parens. *Marc. 16.*

CCXXXVII. Protoplastum, hoc est, communem mortalium Parentem Adamum effinxerat summus rerum opifex Deus. Vitæ illum munere afficere studens: *Inspirauit*, inquit Sacra Pagina, *in faciem eius spiraculum vitæ*. Aptius, credat quis, Moses diceret, (Sacrorum quippè Annalium scriptor Moses) vitam fuisse à Deo Adami cordi afflatam: Compertum siquidèm perspectumq; liquido est, humanum Cor vitæ auspicari initia. Primum vitam init, decedit postremum. Cordi ergo debuit Adamus, quod primum viueret; cum Deus se rerum exigentiæ soleat attemperare. Quo igitur consilio in Adami faciem vitam inspirauit, quā iam inspirauerit cordi? Erat hæc vita beneficium Numinis; quo ex Dei præscripto vitam Adamus institueret; qui verò ad Dei voluntatem, ac nutum vitam conformat suam, haud secùs viuit. Legendum exhibet in facie pectus: non duplicem instat viuendi viam: Non aliud vultu simulat, aliud

premit corde; Idem Deo prorsùs, qui hominibus est; Hos in Adamo mores amabat Numen: in his acquiescebat. At cùm plerumq, homines non ad Diuinam se voluntatem effingant, alijs, quam ius exigit, moribus victitant; iccircò nõ ijsdem, qui sunt æstimantur, vt horum temporum Iudæi egregij adeò dissimulatores, ac subdoli, vt, cum Lupi sint feritate immanes, agni videri ament mansuetudine amabiles; Mosen sinu intimo amplectuntur; Christum induunt in speciem; Cordis aras sacrant Iudaismo, Oris verba Christianismo: Se inter Christi Euangelium, ac sancita Mosis partiuntur; at speciem Christo, animum dedunt Mosi. Cum aliud Ratio, Deusq; ab ipsis exigat. Suam ipsius imaginem expressit in homine Deus: *Creauit Deus hominem ad imaginē suam; ad imaginem Dei creauit illum.* Et hoc quidèm in Adami molitione. Quid verò rei accidit in Euæ effinctione? Facturus Euam Deus, eam Adamo persimilem, inquit Sacra Pagina, effinxit: Dixitq; Dominus Deus: *non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Quàm obuius cuīq; nodus! ad imaginem Dei Adamus; ad Adami imaginem effingitur Eua? *adiutorium simile sibi.* Ipsa nascendi initia discriminis causam produnt. Euam ex Adami latere fabrefecit Deus: *tulit vnam de costis.* Bellè igitur inde hausit similitudinem, vnde originem duxerat: quæ Adami è latere prodierat Adami imaginem iure induit: ne alij latus, similitudo alij referatur accepta: quippè si Deo imago, latus homini responderet, nullam hæc inter se inirent societatem. Sectiones fierent, quas damnat Numen; vel totum immolandum Deo est; vel prorsùs nihil; & res, & species, & animus, & facies dicanda Numini sunt; neq; enim nouit Deus socios cultu ferre, aut partem alteram homini; sibi alteram deferri patitur; & multo ægrius, si Mosi componatur, quemadmodum nostræ memoriæ Iudæi exequuntur, qui Christo vultum ac speciem, Mosi animum vouent, ac amorem. Paulum accipiant disertis admodùm verbis sanam, ac Catholicam doctrinam inculcantem: *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Vos, inquit Apostolus, velim monitos, Fidem, quò Deum arctè

Genes. 2. — Genes. 2. — Fides debet, et verbis, et corde ferri. — Ad Ro. 10.

arctè demereamini, amplexuros vos esse corde; ea enim Princeps est vestræ sanctimoniæ basis: Sed cauete, vestro munere esse defunctos, existimetis. Verbis etiam prædicanda vobis est Fides; nè vllo vnquam tempore illam prodatis; secùs salutis periculum adibitis. Et quantumlibet Iudæi non hocce argumento admodùm torqueantur, vtpotè quod nostro ex Apostolo petiuimus; ipsi autem nouo Fidem abrogant testimonio; dùm tamen ingenitum mentis lumen illius partes agit; mirèq; concinit veteris Paginæ Oraculis, vt iam docuimus, docebimusq; postmodum, quò ipsos planiùs profligemus; haud segniter illos impellit, & trahit ad Christum; modo sint rationis compotes, & illius frenis obediant. Ex huius veritatis præscripto, neq; Daniel, neq; Danielis Socij, quos à vulgo secreuerat Sanctitas, vetitis vt vterentur cibis, adduci vnquam potuerunt: sed frugibus, parabili quidèm victu, ad explenda naturæ desideria contenti; nè Diuinam Fidem, aut Legem viderentur deserere, extrema omnia experiri, quàm Ethnicis ritibus obsequi, malebant. Quid actum Danieli est, cum Legem sanxit Darius, vt omnes ad se preces intenderent, prætereà ad nullum Deum? nonnè solemne suum obtinuit? & die eadem domicilij fenestram reserauit; ac defixis in Cœlum oculis totus ad rerum Conditorem effusus in preces est? Cum tamen imminere sibi supplicium nosceret, & Leonibus obijciendum se sciret. Quid actum Matathiæ, ipsiusq; Liberis, vbi illa fedissima tempestate, quam in veterē Synagogam exciuit Antiochus, acceperunt impium Regis decretum? Nonnè omnes concordissimè conspirarunt animis citius relinquere, quàm Dei sancita deserere? Quid actum Eleazaro nonagenario, Viro præstantissimo, Diuinisq; Literis cum primis versato; qui illorum, quibus maximè assueuerat, suasum parui duxit; Seni consulebant amici, vt vitam, non Legis quidèm contemptu, sed contemptus specie vitam redimeret, nonnè; quominus cuipiam prauo foret documento, vitæ voluit spoliari lumine? *Non enim ætati nostræ dignum est fingere; vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam*

Dan. 1. Daniel, illiusq; Socij vetitis vti cibis nolunt.

1. Mach. 2.

2. Mac. 6.

alienigenarum , & ipsi propter meam simulationem decipiantur .

CCXXXVIII. Quibus prosequar laudibus virilem plane fœminam, septemq; illius Liberos, Fide, ac animo, ità nobilem, vt istam elegerit Romana Ecclesia, quam in suos annales adscriberet, & noui testamenti Sanctissimos inter Athletas enumerauerit vnà cum Liberis. Quos non subiere vultu impauido cruciatus? quàm nihil ad crudelitatem in ipsos reliquum factum est? quas tyranni illecebras? quas felicitates? quæ promissa fecere parui? nè quid in Dei Legem admitterent? Inter Ethnicos seruitutem seruiebat Tobias, quem sui asperè accipiebant, monebantq; neu curaret excedentium funera, vt præsens periculum vitæ effugeret, decreuerat enim, Rex, nequis demortua corpora terræ mandaret; & ipse quidèm Tobias de hoc iam fuerat cōdemnatus: Cui Sacræ Literæ hoc dant testimonium: *At Tobias magis timens Deum, quam Regem, rapiebat corpora occisorum, & medijs noctibus sepeliebat.* Nè sibi deesset, officio minimè defuit.

Tobias ab incepto nō desistit ob Regis minas.

Tob. 2.

CCXXXIX. Egregij hi sanctimonia Viri disciplinæ huius adepti sunt didascalum tùm Dei exemplum, tùm consilium. Exemplum; Dei enim verba nihil quicquam à corde discrepant. Consilium; vno quippè, & altero Testamento, Nouo, & Veteri hanc suis tradidit disciplinam. Primi Dauidem appello testem. Vate interprete effatur in hunc modum Deus: *Eructauit cor meum verbum bonum.* E corde Dei, Dei Verbum egreditur, non è lingua; cum hominū verba è lingua exoriantur, non è corde; in Deo quippè pectoris sensa linguæ sermonibus musicè consonant; idem corde sentit, quod sonat ore; consentit enim mirum in modum Diuino cum sermone Dei Voluntas. *Verbum*, pulchrè inquit, *bonum*; id quippè bonum æstimandum, quod cordi adeò concinat. *Verbum*, ait Ioannes, *erat apud Deum.* At quam insederat Dei partem? non Ioannem fugit. *Vnigenitus qui est in sinu Patris*. Sed qui Verbum sinum occupat? Non aptior Sedes est lingua? Illud quidèm est. Sinū cor incolit; & suum è corde Verbum egredi docet Numen,

Et exēplo, et consilio hāc oris cū corde harmoniā Deus nos edocet.

Psal. 44.

Ioan. 1.

quò

quò suadeat mortalibus, tantum inter suam voluntatem, ac sermonem consensum interuenire, vt cor ipsum linguæ vices expleat. Hoc Dei Documentum.

CCXL. Modo ad Consilium: Acceperat à Deo in mādatis Israeliticus Populus: *Veste, quæ ex duabus texta est, non indueris*. Ex vsu futurum videtur, si id genus veste vteretur Populus; neq; enim incederet, aut deliciosus, aut rusticus, quin potius mediocritatem præ se ferret. Sed quis credat hæc temerè imperasse Numen? quàm candidos amabat suos! quàm veros, tùm dictis, tùm factis edocere contendit: ne corde aliud retinerent, vultu aliud simularēt: antiqui essent homines moris. Id genus panni aliud cęlat, tenue nempè, aliud detegit nimirùm crassum; illud linum, hoc lana est: *linum interius celat* (inquit Diuus Gregorius) *lanam in superficie demonstrat: Vestem lana, linoq; contextam induit, qui in locutione, vel actione, qua vtitur, intus subtilitatem malitiæ, quam operit, & simplicitatem innocentiæ foris ostendit*, ex quo patefit consilij causa, quod suis in Euangelio Apostolis tradidit Christus; ne videlicet duas haberent vtendas tunicas: *Neq; duas tunicas habeatis*. Difficilem planè Legem! nimium haud dubiè iussum? Si ciuilitatis, si munditiæ est gemina tunica vti; & neq; ciuilitas, neq; munditia virtuti officit; quid causæ est, cur eam discipulis Legē Christus iniunxerit? Nodum soluit acutè Cardinalis Vitriacus in primis magnus: *Prohibitum est Apostolis, ne duas tunicas habeant, id est, vt simpliciter, & non dupliciter ambularent*. Morum candorem edocuit suos hoc cōsilio Seruator; Iussit, vt fidum cordis interpretem lingua ageret; vt concinerent animis verba; id enim est eadem tunica, intima nimirum, & extima vti. Si contra, Iacob voce; manibus, & corde referrent Esau; ascitis coloribus pigmentatas imagines deforis, fraudibus, ac dolis refertas intus statuas iure dixeris: In Dei voluptate odoranda sagacissimæ erant prudentiæ tres illi ex Hebræis pueri; de quibus memoriæ proditur, ardentes inter fornacis ignes creaturarum genus omne Diuinas ad laudes lacessisse; non tamen meminisse Iridis. Inuitarunt Solem, Lunam, ac stellas ad egregiæ pieta-

Vti veste ex duabus texta prohibetur Iudæus.

Leuit. 19.

L. 1. moral. c. 21.

Matth. 10.

Ser. 2. post Epiph.

tis officium, quo consilio cœlestem arcum non ad id muneris prouocarunt? cum illum præsertim ad Deum laudibus prosequendum Ecclesiasticus mortalibus addat tanquam stimulos: *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo.* Sanctissimo Isidoro debebo priuatæ huiusce dubitationis decisionem. *Dicitur Iris* (in-
l. 3. Etym. c. 10. quit ille,) *quasi aeris, id est, quod per aerem ad terram descẽdit; hic autem à Sole resplendet, dum cauæ nubes ex aduerso radium Solis accipiunt, & arcus speciem fingunt.* Iridis lux, ficta cum sit, ambitiosè amat æstimari vera; aliud, quàm quod est, præsefert: lucis speciem obtinet, sed reuera vmbra est: quid igitur Diuinas ad laudes deprędicãdas inuitaretur? cum oderit pessimè Deus callidè simulantem, quod re ipsa est. Eo id tempore accidisse fertur, cum tres illi pueri, quam sinu fouebant Fidem, euulgabant verbis, quin Tyranni sancitum, quo Statuæ Diuinos honores tribuere imperabat, eis aliquid terroris offunderet: qui non suam Deo Fidem probarent, si laudum socios admisissent, qui alios fallerent simulatione.

Grauissimè Deus fert simulationem.

CCXLI. Duplici præsertim de causa maximo habenda sunt odio, & fraus, & dolus in ijs præcipuè, qui Fidei dedère nomen. Prima est causa, in quam incidit, Dei inuidia, simulator. Altera qua homines afficit, iniuria. Deum adeò pungit scelus hoc, vt quoduis aliud minoris pendat. Fecere iniuriam Christo Caiphæ domi Iudęi: Fecere, & Ethnici Pilati in Prætorio. Qui grauius læserint Numen roget quis? Iudæi haud dubiè de sententia Toleti Cardinalis apprimè docti, Iudæi quippè obuoluta veluti facie Christo inferebant probrum. *Velauerunt eum*, aperta Ethnici fronte: illi prætexebant crimen: hi euulgabant. *Iudæus velata facie: Gentilis aperta eum percutiebat.* Herodem dixit vul-
Luc. 13. pem Seruator: *ite dicite vulpi illi*: cur non potius rapacem Lupum; aut ferocissimum Leonem, qualem se prestitit in Magni Baptistæ cæde? Acriùs nempè illius fraudes, quam immanitates pungebant Numen. *Versipellis enim ille Iudaicæ Legis se sectatorem profitebatur, non Religionis gratia; sed vt hac occasione sibi plebis animos conciliaret.* inquit Thomas

mas Beauxanus in Sacrosanctæ Scripturæ harmonia. Vnde illa Christi sententia apud Lucam lucem accipit. Immundus, inquit, spiritus è domo pulsus septem spiritus, quos sibi improbitate nouit superiores, conuocat, vt nouas domui machinas admoueant: *Assumit septem alios spiritus nequiores se.* Qui vero iniquior, aut tetrior esse valet spiritus, quam qui nihil suadet nisi impudicum, ac fœdum. Aptè Diuus Prosperus: *Spiritus malus est spiritus superbiæ: nequior illo simulatio humilitatis. Spiritus malus spiritus inuidiæ: nequior illo simulatio charitatis. Spiritus malus spiritus mendacij; nequior illo simulatio Veritatis.* Inflari superbia, inuidia vri, mendacio vti, non pessimum omnium facinus est æstimandum: Illud profectò est; his nimirum vitijs scatere; illa tamen virtutum coloribus ementiri; nihil enim Diuinam adæquè iram lacessit.

Luc. 11.

De Prom. & Prædict p. 2. c. 39.

CCXLII. Iniquè etiam consulit sibi, suæq; famæ, qui alios capit dolis. Exemplo est homo post natos homines infidelissimus, is Iudas extitit. Rupta per viscera eflauit animam: *Suspensus crepuit medius*: quid solitam effugit viã; facilem animæ præbet egressum os. Est hoc beneficij collatum ori: Iudam euentus absoluit iniuria, quam acceperat ab anima; quæ ipsi imperauerat, vt in quem ferebatur odio inexpiabili, necessitudinis, ac pacis signum prætenderet. Dedecori sibi futurũ os credidit turpissimam animã emittere; quippè quæ cum intus odij flagraret incendijs; foris prætulit amoris tesseram: iure igitur munire viam noluit animæ; quæ illam infide admodum fefellerat. Non abs re hoc loci erit causam inuestigare, cur tantum, & sibi, & honori suo detrimenti pariant, qui vni student dolo, ac fraudi. Ea planè est; monstrum creat à natura nullatenus effictum. Id iampridèm insimulauit Ecclesiasticus: *Væ duplici corde, & labijs scelestis.* Aliquot corporis partes à suis abhorrere legibus sinit natura; at nunquam id cordi licuit. Duplex sæpè alij caput innascitur; monstrosi alij pedes; manus cuidam solito plures; duplex tamen cor vni inesse homini patitur nunquam natura; cum enim vitæ faciat initiũ Cor, vt gemini vitæ fontes, vni, eidemq; esse nequeant, ità

Sui, suæq; famæ hostis est mẽdax.

Act. 1.

Monstrum creat, qui fraude vtitur.

neq;

neq; duplex inesse cor. At ea, quæ ferre nescit natura, mõstra creat simulator;& in morum vsum gemina inducit corda,quæ in naturalem ordinem irrepere natura non patitur. Si enim verba animi non produnt sensa,vt rerum exigit ordo,duplex haud dubiè cor esse improbitatis arte argumento est: alterum, â quo aliena sunt verba; cui concinunt,alterum.

Iudæi horum tẽporum monstra sunt, et lingua, et corde destituta.

CCXLIII. Suæ indolis indicia animantibus vniuersis scripsit natura: Leoni vngues: cornua Tauro: pedes Aquilæ: Homini linguam: Itaq;qui cordis sensus simulat dictis, infimum animantes inter locum obtinet, corde enim destituitur, & lingua, vt expromat animi sensa,quæ tamen sortitur, vt mentiatur. Ijs viuunt moribus horum temporum Iudæi, qui Legem aliam ore, corde aliam amplectentes, vtramq; negligunt; Christianam,quia corde amandant;Mosaicam, quia ore proscribunt. Vnde illos non iniuria dixeris ex leges. Ora gerant cordi concordia; dicta animis consona proferant, & officio respondebunt suo.

Lex cur ad Arcæ latus adseruari iubebatur.

Exodi. 32.

CCXLIV Placet è sua ipsorum Lege argumenta petere. Conderet in Testamenti Arca Diuinam Legem, pro imperio dixit Deus Mosi; sed ad Arcæ latus illam apponeret: *Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis*. Digna animaduersione, quæ Deus è vestigio addidit: *Vt sit tibi contra te in testimonium*. Vt ingratissimo Populo damnationi sit? an Lex Iudaicum erat Populum damnatura? si nostra id fieret memoria, nullum faceret admirationi locum, illius quippè cultores sibi inde damnationẽ capiunt,omnem enim iam exuit sanctimoniam,& nefariam induit superstitionem: At temporibus illis illi adspirabant salutem, qui se totos ad Legis sancita effingebant. Qui igitur futuram, inquit, ad damnationem testimonium eam Legem, quæ assequendæ saluti destinabatur. Vlla nè Lex est, quæ exitium pariat,dum proba est? Fieri id nè vnquàm potest? haud secùs fiet, si in latere ità condatur, vt in labris, quando res exigit, non versetur. Expendamus lentiùs Dei verba; & faciemus sententiæ fidem: *Tollite librum istum.* is erat Legis liber, qui Deuteronomium inscribitur.

Quid

Quid deinceps? *Ponite eum in latere Arcæ Domini*, id est, claudite prorsùs Legem, Lex verò clausa in latere, non salutem, damnationem creat; non tibi ad salutem testis, in te ad perniciem testimonium est: *Vt sit tibi contra te in testimonium*. Quò Lex salutem pariat, obseruandam haud diffiteor, sed condendam pernego; ad hoc liber ille Christi Euangelium, quemadmodùm interlinearis, vt vocant, glossa inquit, exprimebat: *Tollite librum, hoc est, Euangelium Christi*. Nec Diuinum Christi Euangelium salutis spem affirmat, si in latere ità condatur, vt non se se aperiat, cum ius exigit. Obfirmatè adeò Euangelicam Legem cæteris occludere, vt nunquam in publicum proferatur, id est, nulla salutis spe teneri, sed certæ damnationis infelicitatem incurrere: *In testimonium contra te*. Illud itaq; Pauli consilium superest exequendum: Christianæ videlicet Legi, & cor dicare, & os: cor ad Sanctimoniam: os ad salutem: *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*. Ad Ro. 10.

CCXLV. Et quò patefiat liquidiùs, quàm mendax, & iniqua sit illorum sententia; quæ aliam in corde, in ore aliã posse Legem perstare, affirmat; quàmq; rationi non naturali modò, ac Diuinæ, vt docuimus supra; sed communi, ac tritæ optimi cuiusq; Rabbini disciplinæ obstrepat; legant, velim, glossam magnam, quam appellant Beresit Raba, in capite altero, & quadragesimo. Hanc edidit Rabbi Adarsanus, ad illa verba: *Dixit Pharao ad Ioseph: ego Pharao*. Ibiq; reperient in quæstionem vocari, *an de Deo, seu de Messia dici possit, quod sit acceptor personarum, & respondetur, absit: sed omnes confitentes ei corde, ore, opere saluabuntur: sicut scriptum est Ieremiæ 33. In diebus illis saluabitur Iuda*. Et qua propter cæteris præstat Iuda? Cur salutem vniuersitati communem sibi arrogabit Iuda? quia, vt inquit glossa, Iuda, id est, confitentes, ea est Iudæ notio: qui quod corde amplectitur, verbo exprimit: Sermonem Hic Prophetes exequitur de Messiæ aduentu; illosq; tantùm, ait, euasuros salutis compotes, qui Iudæ nomen, & omen impleuerint omni ex parte: *Confitentes ei, corde, ore, & opere saluabuntur*. Illi sempiternam adspirabunt felicitatem, qui Ierem 33.

 Christia-

Christianam ad Fidem adiungentes se se, operibus cor, & cordi linguam adsociauerint, quod simul patratum fuerit, explebitur Isaię eloquium: *Dedi te in lucem gentium, vt sis*
Isai. 49. *salus mea vsq; ad extremum terræ*. Hanc planè doctrinam vtpotè quæ naturali iuri maximè conformis, ab Hebræis magni nominis Rabbinis inculcari indubitatum est; quam etiam Doctores Catholici docent, ac tenent.

CCXLVI. Et quod caput est, à Summo omnium Magistro, Diuinaq; Sapientia traditur. Quæ nos exemplo perdocuit, quam debemus disciplinam amplecti. Christi no-
Psal. 39. mine eloquitur Psaltes Regius: *In capite libri scriptum est de me, Deus meus volui, & Lex tua in medio cordis mei*. Tuis, inquit Christus, Dauide interprete, Tuis, Deus meus, totum me dedo legibus; vtq; palam faciam, quam ex animo in illis acquiescam, in corde descripsi meo: *Et Lex tua in medio cordis mei*. Satis hoc, quis forsan existimaret: At secùs Dominus idem, ac Seruator; Rursus per eundem Va-
Psal. 2. tem: *Ego autem*, inquit, *constitutus sum Rex ab eo prædicans præceptum eius*. Diuinam perpetim Legem verbis profiteor, ac verso: *Prædicans præceptum eius*. Sed eam cordis etiam adito ritè colo: *Lex tua in medio cordis mei*. Non satis Legem amplecti, vel corde, vel lingua: vtrumq; occupet, necesse est. Amicè debet cor inter, & linguam conuenire; idem enim præceptum, quod euulgant verba, debet animus intùs fouere; & quam pectus Legem amat, hanc debet lingua commendare; iniquum quippè est aliud dictis exprimere, corde aliud premere: eadē quæ animus sentit, ore legi, æquum est. Vt Vaticinio hoc loci, reipsa post modùm, monstratum est.

Cur igneis linguis D. Spiritus in Pētecostes die affulserit.

CCXLVII. Re ipsa postmodùm monstratum est; hunc enim euentum sortitæ sunt linguę, quibus Diuinus Spiritus latè radians se Pentecostes die in Christi Discipulos peramanter effudit: quo die indici cæpit hominibus Christiana Lex: *Apparuerunt*, inquit Lucas, *dispertitæ linguæ tanquam*
Act. c. 2. *ignis*. Cur igneas linguas induerit, Gregorius Antistes Sūmus edocuit: *Et foris*, ait, *apparentibus linguis igneis intùs facta sunt corda flammantia*. In Iordane Christi super

verticē

vertice Diuinus Spiritus sub columbæ imagine se se prodidit: in Cænaculo suæ Anastaseos luce Diuinum Spiritum sub auræ specie Apostolis inspirauit: *Insufflauit: & dixit: accipite Spiritum Sanctum*: Columbæ, antea, & auræ imaginem acceperat, & postmodùm linguarum instar amplectitur; quæ igni vndiq; scintillabant: *apparuerunt linguæ*. Quod tanto subest discrimini mysterium? Planè non exiguum. In Iordane Christi in Baptismate; in Cœnaculo Christi in Resurrectione nō irrogabatur mortalibus Euangelica Lex, quæ promulgata postmodùm fuit in Pentecoste. Quàm bellè igitur Diuinus Spiritus Legem hancce enuntiaturus in ignem amabilem, ac micantes linguas conuertitur: incendia nutriat in corde flamma: lingua euulget Legem: fiat omnibus planum, Legem eandē, quam cordi amor inscripsit, à lingua promulgari verissimè. Istæ enim sunt fidi cuiusq; partes verbis assiduè commendare, quod penitus corde inseuit: quas si non impleat, suo credat defuisse muneri: qui enim suam Deo Fidem probare enititur, nec dicet contra, ac sentit; nec prorsùs sentiet, ac dicit. Si hoc quippè admittit, secùs credit, ac debet; si illud, secùs dicit, ac Fides exigit. Si abhorreant à sensu verba, Fidei obstrepit; si à verbis sensus, obluctatur Rationi. Diuini Spiritus linguæ, ac amor nostræ adhuc causæ fauent. Lenta rem premamus manu. Discipulorum capita petierunt hæ linguæ, quas vibrauit è Cœlo Numen. *Apparuerunt dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditq; super singulos eorum*: Insedere capita linguæ! alienum planè inuolarunt locum: Os linguæ sedem destinauit Natura, non verticem; hanc enim sibi arcem delegit ratio. Quid igitur tàm benè conueniunt, atq; vna in sede morantur, & lingua, & ratio? Diuinum haud dubiè documentum! & nostræ aptissimum orationi: De eo nos admonere studuit Deus; de quo nos in præsens Iudæos edocemus; nimirùm eam se linguam ad rationis præscripta religiosiùs conformare; quæ ea tantum nouit docere, quæ sentire didicit, quæ rem proferre nescit, cùm aliena est corde; quin potiùs fidum agit interpretem, indicemq; verissimam, quæ intima cordis sensa demonstrat; ea

Ioan. 20.

 candi-

candidè fatens, quæ animus medullitùs sentit. Iccircò igneæ linguæ, quæ Euangelicam Legem mortalibus authorabant, Diuino planè consilio non se in ora, sed in capita contulere, quippè cōtenderunt palam hominibus facere, non se tàm ab ignis violentia rapi, quam allici à rationis præscripto; atq; ideò quam legem fouebat sinus; eam se venisse doctum; vtpotè quas ratio ipsa regebat. Nulla est iniquior post conditum Orbem iniuria, quàm Legem aliam pectore condere, verbis aliam prodere: Et nunquàm prudentiùs ratio operatur, quàm cum Legem eandem, & corde profitetur, & lingua. Fidem deniq; deserere, quam sequi teneor; in rectam Fidem hæresim est admittere: non ea, quæ credo, fateri, alligari est hæresis in rectam rationem. Si huius sancitis lingua adhæreat, adsociabitur vtriq; cor.

Noua adeò est hæc oris, et cordis harmonia, vt prodigio dāda sit.

CCXLVIII. Verum quidèm est, non omnes hanc exequi disciplinam; & omnium negligentissimè Iudæos: Ijs tantùm, qui eam percipiunt, eam operari contingit: Illi verò percipiunt, quibus Diuinæ lucis radius illuxerit. Adeò præter morem huiusmodi res mortalibus solet accidere, vt Conditor idem, ac Seruator eam duxerit vertendam prodigio; quod in suæ Fidei testimonium perpetraret. Pergite, hortatur Discipulos apud Marcum Assertor: Pergite, & totum, quantus est, Orbem peragrate; mei facitote Euangelij sementem: *Euntes in Mundum Vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Qui se ad Fidem aggregarint, & lustralibus Baptismatis aquis fuerint expiati, litabunt saluti; qui verò obstinato ad impietatem animo, Fidem non admiserint, damnationi addicentur. Pergit è vestigio Christus prodigia enumerare, quibus facienda Euangelio fides erat: & postquam fugandos Dæmones dixit, sermonis nouitatem adiunxit: *In nomine meo dæmonia eÿcient, linguis loquentur nouis*. Tunc excepit euentus Oraculum; inquit Nicolaus Lira; cum in Apostolos effusus est Diuinus Spiritus. *Hoc factum est*, inquit ille, *in Apostolis, & alÿs credentibus, qui erant cum eis, quando per gratiam Spiritus Sancti in die Pentecostes receperunt donum linguarum*. Ego quidèm linguas hasce haud nouas dicerē; diuersas potiùs

Marc. 16.

affirmarem. Eæ enim Medorum, Arabum, Romanorum, aliarumq; nationum erant, quæ ex vniuersis Terrarum plagis, illùc confluxerant, vt author est Lucas; *Audiuimus eos loquentes nostris linguis, Parthi, & Medi, & aduenæ Romani, &c.* Quæ quidèm linguæ vsu amiserant nouitatem; vna tantùm ipsis inerat diuersitas, & hæc, quæ maxima. Quò igitur pacto nouas eas nuncupat Liberator humani generis, & non modò nouas, verum, & prodigio tribuendas? Credo; non linguæ naturam, sed sermonis vsum commendat Seruator. Supra docuimus cum Diuo Gregorio igneas has linguas cordis indicem castissimè egisse, quippè quæ protulere in apertum, quidquid Discipulorum animis, ac corde agebatur. Quæ flamma se se in cordis penetralia insinuauerat, eadem emicabat in linguis: quæ Fides pectus insederat, eadem verbis disseminabatur; ità vt nihil lingua vulgaret, quod cor non sentiret: ità sibi inuicem amicè adeò, & cor respondebat, & lingua: *Et foris apparentibus igneis linguis; intùs facta sunt corda flammantia.* Quod ità insolens mortalibus est, vt prodigium addat nouitati. Cordi consentire linguam, sibiq; reciproco respondere concentu, ità vt nihil quidquam lingua enuntiet, quod è corde manasse non credatur; ità magnæ molis res est, vt prodigij loco sit habenda: Miraculo igitur ducendas, & nouitati asseruit Seruator linguas, quas posset diuersas appellare: Nouas dixit, quæ antiquæ erant: nouũ quippè est prodigij genus, linguam reperire fidelem cordis interpretem. Quæ sanè miracula vna Christi Lex continenter edit, cùm enim vera omninò sit, fidos apprimè interpretes adipiscitur.

Act. 2.

CCXLIX. Quam de se opinionem conciperent, rogauit Discipulos Christus: *Vos autem quem me esse dicitis.* Et quantumuis ad omnes intenderet interrogationẽ; vnus tamen Petrus excepit: *Tu es Christus Filius Dei.* Quid verò non in hanc Petri sententiam, suũ Discipulorum quisq; rogatus calculum addidit? Si cum de aliorum iudicijs quæsitum est; *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* omnes reddidere responsum, cur modo ad silentium obfirmantur? cur mentem quisq; suam non prodit? aderat nimirum Iudas,

Matth. 16.

das, cui longè alia, quam Petro, alijsq; Discipulis mens erat; *Iudas quòd corde non crediderat, ore confiteri non poterat*, inquit Pulchrè Diuus Gaudentius. At Christus nullatenùs patitur, eum, qui suæ disciplinæ nomen dedit, aliud, ac corde credit, profiteri verbis; amat enim cordis, & linguæ concentum.

CCL. Quò igitur argumento nitantur falsæ huius disciplinæ authores, scire sanè velim, vnde nam hæc somnia nobis venditent? posse scilicet Legem aliam corde, ore aliam coli? omnia alia nos hactenus docet, & ratio, & exēpla, tùm veteris Testamenti, tùm Noui sibi inuicem ad miraculum vsq; respondentium. Id quidèm certum est, eiusmodi sententias, ac dogmata commenta prorsus esse inania. Vbi enim aut in veteri Pagina, aut in illius Sanctissimorum hominum documentis hæc traditur simulatio? Sanguinem, ac carnem habuere haud dubiè huiusce disciplinæ præceptorem; de quibus Diuinus Spiritus, *Quod nequius*, in-
Eccl. 17. quit, *quàm quod excogitauit caro, & sanguis*. Quid aliud hoc dixerim, quàmquod ament edomitis pudicitiæ frænis in omnes se voluptatum illecebras licentiùs immergere, & effrenatiùs viuere, vt iuuencus non Iugi adhuc labore domitus, sed qui principio illud rupit, aufugitq; Id vnum Iudæi enituntur Diuinæ Legis iugum excutere: quemadmodùm de illis Isaias loquitur: *Dicunt videntibus, nolite vi-*
Isai. 30. *dere, & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia: videte nobis errores: auferte à me vi viam: declinate à me semitam: cesset à me Sanctus Israel:* àn apertius de horum dogmatum Authoribus, ac Sectatoribus debuit Prophetes eloqui? Non abit à re Ieremias:
Ierem. 44. *Sermonem, quem locutus es nobis in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur ex ore nostro*. Et quò Diuina vnius, & alterius Testamenti Harmonia suauiùs ederetur; inquit apud Ioannem humanæ libertatis Vindex: *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor, & vos quæ vidistis apud Patrem vestrum, facitis. Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum: Vos ex patre Diabolo estis, & desiderium*

rium patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia nō est veritas in eo: cū loquitur mendacium, ex proprio loquitur, quia mendax est, & pater eius.

CCLI. Idem mortalium Conditor, ac Seruator veritatis Magister, atq; adeò ipsa veritas Author nobis est, nè, si lucem attingere laboremus, carnis voluptatibus seruiamus, hæc enim, vtpotè cæca ad perniciem trahit, ac mortem; quin Christi disciplinam insistamus; quippè quæ felicitatis, ac vitæ caput est: *Caro non prodest quicquam, verba quæ ego loquor, Spiritus, & vita sunt.* Quam ob rem suo ipsius nomine, ac quos instituebat, Discipulorum nos Apostolus monebat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, nè fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Et quotquot inter Philosophos Ethnicos præstantioris notæ fuere id vnum mortalibus suadere impensè nitebantur, animi imperio, corporis seruitio magis vti: *Corpori tantum indulgeo, quantum sat est, & aliquantò illud duriùs tracto, vt Spiritui obediens fiat*, scripsit Seneca. Et hanc institere viam antiqui Pythagoræ, Platones, Socrates, Aristoteles, Zenones, alijq; inter Græcos maiorum gentium Philosophi. Hanc Catones, Varrones, Eccij, Cicerones, cæteriq; quos inter Latinos prisca secula adorarunt: qui omnes eum tantùm inter homines referendum censuere, qui toto in virtutem pectore incumberet, & obtemperaret rationi: qua in re Sanctissimi Orthodoxæ Ecclesiæ Doctores præcisè illis subscripsere. *Omnes magni homines sublimem montem ascendunt; non enim cuicunq; Propheta dicit: ascende in montem excelsum, qui euangelizas Sion: exalta in virtute vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem; non vestigijs corporalibus, sed factis sublimioribus in hunc montem si ascendas, sequeris Christum, vt ipse esse mons possis.*

Si lucē attingere amamus, voluptatibus eamus obuiam.

Ioan. 6.

1. *Corint. 9.*

CCLII. Harmonica Euāgelicæ Legis ducti veritate superamus sublimem montem; cùm enim tota spiritalis Lex sit, nos de veritate apprimè edocet: Et Christi mores, quo ad eius fieri possit, ad assequendos nos adhortatur; ac deinde fateri verbis quod corde profitemur, imperitat. Si quidèm Lex spiritalis nobis traditur; vixerunt sanctissimè illius

Doctores, quam nauiter adeò, ac constanter tenuere, vt eam non modò verbis, sed ipso etiam sanguine firmauerint. Secùm igitur Iudæi attentè cogitent, ac versent suorum præceptiones Rabbinorum, & quibus ab illis virtutibus edoceantur, & occurret videlicet Christi Seruatoris iudicium:
Ioan. 10. *Omnes quotquot venerunt, fures fuerunt, & latrones: fur non venit, nisi vt perdat, & mactet; Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Si tantum itaq; discriminis vnam inter, & alteram Legem interest, vt illa figuram egerit; hæc verò Christum obtinuerit, quem illa præfigurauerat: illam sui ipsius Doctores clanculùm furum de more docent; Hãc Christus palam in Templo, Synagogis, ac toto deniq; terrarum ambitu promulgauit, & suo, ac Discipulorum interitu Legis veritati testimonium dedit; quæ tetrior reperiri valet caligo, quàm illustrem adeo splendorem effugere, & se se in obductas tenebras volentes, videntesq; abdere; ità vt Lex, quæ euanuit instar vmbræ simulatione colatur.

CCLIII. Tria velim Iudæos præmonitos. Primum hãc Vniuersitatis molem, ibiq; humanum genus effinxisse Deum eo potiùs modo, quem ipse iam indè ab ipsa æternitate prȩuidit, elegit, atq; decreuit: potuisse deindè hominem producere ea gratiæ vbertate, vt omnes vni tantùm sanctimoniæ se se dederent, ac morum integritatem nauiter insisterent, indeq; fierent sempiternæ felicitatis compotes; Verùm rem aliter instituisse penitissimis Sapientiæ suæ consilijs; & sibi duxisse longiùs felicitatem demetere ex infortunio, quàm mortalium res in eum modum componere; vt cuncta prorsùs mala tollerentur. Eodem iam Consilio vsus, cum in lucem edidit Angelos, ingentem adeò illorum vim se dare inpræceps permittens. Alterum, quandoquidem nihil fuit, aut est opis, quæ rem huiusmodi à cursu retineret, omnes nos iræ Filios, & æternis addictos ignibus fuisse natos. Tertium, vt communis cataclismi periculo euolemus, nihil aliud nobis posse subire auxilio, quã Diuini Noemi, hoc est, Christi IESV mortalium Assertoris Arcam conscendere; illiusq; gratiam ad demerendam studio quanto maximo eniti, quo æternæ tranquillitatis portum possimus felicissimè appellere.

Tribus

CCLIV. Tribus hisce rebus ad plenũ exploratis, perspe-
ctisq; Iudæus, Hæreticus, atq; Ethnicus in eam deueniẽt co-
gnitionẽ, nẽpè hanc Diuini Noemi Arcam ijs tantũ patere,
qui Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, quã suauissimã vt sponsã
vnicè amat, nomina sua profitentur; hæc enim ianua est, quã
nobis suo Christus sanguine aperuit, in terrisq; reliquit, vt
nos in Cęlũ penetraremus: quemadmodũ expedijt Seruator
apud Ioannẽ: *Alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili; & il-* Ioan. 10.
las oportet me adducere, & fiet vnũ ouile, & vnus pastor. Et a-
pud Matthæũ. *Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ec-* Matth. 16.
clesiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduersus eã. Itaq;
si vt cõmunis eluuionis superstites reddamur, si vt cœleste
Regnum assequamur, id vnũ patet ostium, Iudæos etiã atq;
etiã hortor, vt monenti Deo audientes sint: *Proÿcite à vobis* Ezech. 18.
*præuaricationes vestras, & facite vobis Cor nouum, & quare
moriemini Domus Israel?* Si secùs præstiterint, & suis seruie-
rint erroribus à Christi disciplina, Ecclesiaq; amoti eter-
nùm Dei consortio interdicentur.

CCLV. Nulla verò infelicitas miserior potest accidere, Nihil infe-
quã Dei societate, ac amicitia deijci. Necẽ intulit Caimus licius, quã
Abel; cũq; Diuini sit iudicij suppliciũ æstimare ex scelere, Dei gratia
non morti, sed exilio damnauit Caimũ Deus: *Vagus, & pro-* excidere. Gen. 4.
fugus super terrã. Leui ità brachio plectitur crimen adeò
graue, vt illi tellus ipsa quodãmodo videatur irasci, contẽta
Cęlum voce lacessens ad vindictam? *Vox sanguinis Fratris
tui clamat ad me de terra.* Merito Caimus supplicio afficitur;
à Dei enim societate, ac cõspectu proscribitur; ait Ambrosi-
us: *Repulit eum à facie sua.* Si extremũ suppliciũ nefariũ Cai- l. 1. de Ab.
mi scelus meretur, si Abel sanguis perpetim clamat, vt Cai- c. 9.
mo irrogetur mors; id Deus haud secùs exequitur, cũ à suo
Caimũ cõspectu egit exulẽ: nihil quippè quidquã discrepat
Dei inter alienationẽ, ac interitũ; cũ deficiat animus, vbi sui
conspectus copiã Deus nõ facit. Tẽperauit à lachrymis Ia-
cob, cũ Deus sub Angeli imagine vulnus ipsi inflixit: *tetigit* Gen. 32.
neruũ femoris eius: quas tamen effudit, vbi demitti rogauit
Numẽ. Fleuit, & rogauit eũ. Opportuniores effluerẽt lacry- Osee 12.
mæ, cũ vulnus accepit Iacob; Nulli enim dedecori est forti-

tudini dolore pungi. Cōmodiùs ergò lacrymis pareat fauciatus,quã demiſſus: *Demitte me.* Tẽpori Iacob indulſit lacrymis. Has quippè ſolet excire maior calamitatũ vis:maiorẽ verò calamitatẽ Iacob æſtimabat Dei cõſpectui ſubduci,quã vulneribus perfodi:neminẽ acriùs dolor vrit,ac cum Dei arcetur intuitu:ex hoc igitur maximũ Iacob dolorẽ capiebat:nihil intereſt aduerſa corporis valetudine vti; at Diuini cõſortij iacturã facere, tota in eo dolẽdi cauſa vertitur. Quã nobis huiuſce veritatis exẽplo eſt ex elemẽtis tardius, Math. 28. quę eſt Tellus:*Ecce terræmotus factus eſt magnus.* Tota cõcuſſa eſt tellus,cũ Chriſtus emerſit è tumulo Triũphator. Quid tãtus tellurẽ inceſſit terror,vt penè in ruinã trahi videretur? Chryſ in Pſal. 2. *Sepulchrũ accepto corpore territo, quod Patris theſaurũ recepiſſet, depoſitũ cũ tremore reddidit.* Verũ quidẽ eſt ſe venerationis ergò cõtraxiſſe tellurẽ, cũ ſe vt tantũ hoſpitẽ, Deum ſcilicet,ſuo ſinu exciperet,videret delectã; tamen quid Dei ſocietate eſſet perfrui,quantũuis tarda fuerat experta: creditũ modò pignus reddere cogitur;quamobrẽ ſe in fruſtra præ dolore cõtendit rũpere; infelicitatũ enim ea eſt infeliciſſima Dei arceri cõſpectu. Quã phanatica,lymphataq; mẽte Iudæi viuunt! Dei viuunt proſcripti cõſortio, & ſibi viuere perſuadẽt! Si tota à Deo vita, ſi tota à Deo felicitas pendet,qui Deo caret,qui valet obtinere,aut vitã,aut felicitatẽ? Spiritus,quos efflãt,vitæ indices,interitus sũt paroxiſmi. Impetrẽt omnes ſibi vt credãt ſe demortuos,dũ Deo viuũt alieni,& ij sũt,quos ſeiũgit à Chriſto perfidia;qui enim l. aduerſ. Iud. Chriſto Fidẽ abrogat,Deũ pernegat:*Cui veritas cognita ſine Deo,cui Deus ſine Chriſto:* inquit Tertullianus. Exeat tandẽ Synagoga ijs, quibus implicatur, erroribus; ſiquidẽ donec Chriſtũ Meſſiã verè agnoſcat,& colat,Dei excidet beneuolẽtia. Palã deniq; fiat Iudęo,& perfido,& rudi,ſe, ni Chriſto, & tũ Cor,tũ verba ſacrauerit,neq; Fidẽ adepturũ,nec Legẽ, quò enim Deo familiariſſimè aſſueſcamus,quò illius Legẽ caſtiſſimè obſeruemus,certò eſt certius viã ad id munire Euãgelicã Veritatẽ, quã nos Orthodoxa Eccleſia edocet iuxta Pſal. 24. cœleſtẽ veteris,nouiq; Teſtamẽti Harmoniam. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas requirentibus Teſtamentum eius.*

F I N I S.

INDEX RERVM

In quo prior numerus Partem, paragraphum alter indicat.

Conuer-

Effica-

Illum

Qui-

Messiam

Quæ-

dum

ſe,

FINIS.